



*K. Müller*  
1800

35,200

VITA  
B. MEINWERCI

Ecclesiæ Paderbornensis Episcopi,

à

CHRISTOPHORO BROWERO

è Soc. Jesu Presbytero

è MSS. primùm eruta, Scholiisq; illustrata.

Nunc verò recognita; ad autographum restituta  
& NOTIS aspersa

ab

ADOLPHO OVERHAM

Imperialis & liberæ Abbatiz Werthimensis  
Ordinis S. Benedicti Monacho.

Accesserunt huic editioni, ejusdem operâ, Vita  
SS. MEINULPHI & HEIMERADI  
cum Observationibus.

35 200




~~Sum Henricus Bartholomæus~~  
NEUHUSII, in ~~Elm.~~

Imprimebat Joannes Todt, Typographus Aulicus  
suz Celsitudinis Paderbornensis & Monast.

1621.

Sum Joannes Knöpp  
pastor in S. Kollmanns





*Reverendissimo ac Celsissimo Principi*

**FERDINANDO**

EPISCOPO PADERBORNENSI

ET MONASTERIENSI,

BURGGRAVIO STROMBERGENSI,

S. R. I. PRINCIPI,

COMITI PYRMONTANO,

DYNASTÆ IN BORCKELO,

ET LIB. BARONI

**DE FURSTENBERG,**

*Domino meo Clementissimo.*

**N**ON erit mihi, opinor, fraudi  
PRINCEPS Celsissime, quòd Chri-  
stophori Broweri, viri è Societate  
Jesu quondam doctissimi, qui Vitam Mein-  
werci è tenebris primùm erutam & eruditis  
scholijs illustratam, Propatruo Tuo Theo-  
phoro Furstenbergio Episc. & Principi Pader-  
bornensi dedicavit, exemplum secutus, novã  
illius editionem illustrissimi nominis Tui lu-

A 2

cc



ce insigniverim. Non enim debebat in aliud  
nomen & familiam publicè transire hic libel-  
lus, qui hereditario velut jure jam Tuus erat,  
qui in Tuo olim fundo natus, Te auctore ac  
jubente recensitus, & ad fidem autographi  
castigatus, Tuo denique nunc sumptu inte-  
rior in lucem prodit. Sic igitur mihi per-  
suasum habeo, PRINCEPS Celsissime, quòd  
aliorum quidem sine numero clarissimorum  
virorum æternùm victura ingeniorum mo-  
numenta Tibi consecrata, nominis Tui glo-  
riam immortalitati commendabunt; ab hu-  
jus verò libelli tutelâ præcipuam pietatis cle-  
mentiaæque laudem sis consecuturus. Neu-  
husij, XII. Kal. Jan. MDCXXCI.

*Celsitudini Tue*

Devotissimus

ADOLPHUS OVERHAM.

Reverendissimo & Illustrissimo Principi  
ac Domino.

D. T H E O D O R O

D. G. Paderbornensis Ecclesiæ Episcopo,  
Sacri Romani Imperij Principi,

DOMINO CLEMENTISSIMO.

**U**T rara Phœnix avis, & non nisi quinto quoque  
saeculo ex rogo suo renascens, Indiae viciniam,  
& cedrinanemora in Libano permeare dicitur, & vix  
se credere oculis mortalium; ita etiam certis inter val-  
lis Dei optimi parentis summo beneficio, viri quidam  
heroicis virtutibus excellentes, humani generis com-  
modo exoriri, & tanquam Phœnices rari apparere so-  
lent; qui vel Ecclesiæ præclarè consulant, vel Remp-  
cum laude, & multorum insigni utilitate, feliciter, &  
tranquillè gubernent. In his ego Meinvererum nume-  
rare non verear, ornatissimum cum alijs virtutum in-  
signibus Paderbornensis Ecclesiæ Pontificem; tum hoc  
supra ceteros omnes, qui multis retro annis eum ante-  
cesserunt eximium, quod civitatem, & sedem, quam,  
templo exusto, nactus erat inopem, & afflictam, sic opi-  
bus ac operibus ornarit, ut quod de quodam dicitur, ex  
verrua fecerit marmaream, id est ex lutea, & rude-  
ribus immersa, cultam & splendidam. Sed Clerum,  
quem censu mediocre, & exemplis ac disciplina pro-  
pemedum nactus erat orbem, idem quoque locupleta-



## D E D I C A T I O.

xit, non solum vetricibus, sed Bustorpiano à fundamētis exstructo, fundatoque novo Collegio, auxit; quin & Cluniaco ab usque Burgundia præclaris morum institutis ad se vocatis Monachis, & peramplo cum basilica ijs constituto domicilio, omnes suos iuuit, rarissimis pietatis exemplis. De populo quid dicam? cuius ut salutem tueretur & tranquillitatem, mœnibus oppidum cinxit, leges civibus optimas dedit, stipe multa, & liberalitate egentium inopiam subleuavit. Jam etiam de litterarum studijs, & optimarum artium cultu num tacebo, cum Meinverci aetate Paderbornensis Clerus gymnasium habuerit, præstantium ingeniorum laude, & doctrinarum usu florentissimum?

Denique, ut in pauca rem conferam, Meinvercus is Sacerdos, & Episcopus fuit, cuius opera, studio, munificentia, pietate, & religione, perfectum est, ut ubi morum barbaries, & agrestis hominum austeritas olim domicilium collocarant, istuc, virtutis cultus, & humanitas eruditione iuncta, mutatis quasi sedibus, commigrasse videretur. Quæ quidem cum in Meinverco magna sint, ut certè sunt, haud profecto decuit, ejus Pontificis claritatem, à quo decora, & merita tanta, in Paderbornensem Ecclesiam profecta sunt, diutius, aut tenebris oblitescere, aut oblivione inobscurari. Quin, ut ipse prodiret uliro, hoc facilius eum exorari posse, confisus sum; quia aetatum hoc intervallo, te Illusterrime Princeps, & Reverendissime Præsul, ceu renatum alterum Meinvercum, & tanquam ejus Ecclesia Phœnicem agnosceret, & sibi ac Clero populoque, palingsessiam illam gratularetur. Enimvero, ni pudor mihi modum

## DEDICATIO.

modum statueret, & tua, Reverendissime Prasul, non  
 destia, officij admoneret, ex te ipso possim omnia, quae in  
 Meinvercum cadunt, laudis argumenta contexere,  
 & in latissimum inde campum praedicationis virtutum  
 ruarum excurrere. Ecclesia jacentes fortunas subleva-  
 tas, Clerum auctum vectigalibus, splendidum, & am-  
 plum Societati nostrae Collegium positum fundatumque;  
 idque addita Probationis domo, & Academia illustra-  
 tum. Erecta, quae prostrata prope jacebant, a vitae pie-  
 tatis, & ingeniarum artium studia. Civitatem impro-  
 borum machinatione perditam prope, manu bellica re-  
 ceperatam, & feliciter legibus suis restitutam. Deni-  
 que novas arces, plena dignitatis ampla exstructa do-  
 micilia; ararium, quod antea nullum, parsimonia, &  
 nullis jactura copiosum; rem familiarem, nec sumptis  
 inutili dilapsam, nec luxu imminutam, sed munifico,  
 & fructuose expensam: quid aliud inquam haec omnia,  
 nisi reviviscentis Meinverci meritorum testata que-  
 dam, & clarissima documenta sunt? Sed ne nimium  
 auribus tuis Illustrissime Princeps dedisse videar, alijs  
 haec commemoranda relinquo. Illud quidem hoc perte-  
 nu lucubrationis munusculo efficere conatus sum, ut  
 Reverendissime & Illustrissime Patroni intelligeres,  
 quae singularia & maxima in Societate nostram bene-  
 ficia contulisti, eorum memoriae, non istius tui Collegij  
 praesertim concipi, sed omnium nostrum, quotquot So-  
 cietati nomen dedimus, animo gratissimo recoli, & con-  
 servari. Fuldae XXV. Augusti, Anno MDCXIV.

Celsitudin. Vestrae

Devotissimus

Christophorus Browerus.



FACULTAS SUPERIORIS.

**E**GO Ferdinandus ab Erwitte Imperialium ac liberorum Monasteriorum Werdinensis & Helmstadiensis Ord. S. Benedicti Abbas, facultatem concedo *Adolpho Overham* dictæ Abbatix Werdinensis Monacho, typis edendi *Notas in Vitam B. Meinoverci Episc. & Observationes in Vitas SS. Meinulphi & Heimeradi*. Dat. Werdenæ, 25. Octobr. 1681.

FERDINANDUS ABBAS.

APPROBATIO.

**H**Æc Scholia & *Nota in Vitam B. Meinoverci Episc. & Observationes in Vitas SS. Meinulphi & Heimeradi* utiliter imprimuntur. Neuhusij 10. Decembr. 1681.

LAURENTIUS à DRIPT. SS. Theol. Lector  
Celsiss. & Reverendiss. Ep. ac Principis Paderb.  
Consiliar. Vicarius in Spiritualibus Generalis  
& ordinarius librorum Censor.

INCIPIT VITA 1  
MEINWERCI

*Episcopi Patherbrunnensis.*

I.



Osteaquam Mediator Dei & hominum carnem sumere, & crucem subire pro salute dignatus est omnium: discipuli ab ipso electi & dilecti, post ejus gloriosam ascensionem, Spiritus sancti visitatione & consolatione confortati, & omni scientiâ veritatis secundum ipsius promissionem: ut per eos salvarentur ante mundi consummationem, qui salvandi per gratiam præordinati erant ante mundi constitutionem. Quorum prædicationis instantiâ, conversa sunt ad Deum innumerabilia multorum hominum millia; agnitaque fide Christianæ religionis, respuerunt cultum antiquæ superstitionis. In cujus unitatem fidei, cum diversarum terrarum & linguarum alacriter & salubriter convenirent populi, convenit quoque magna clementis Salvatoris clementia, sedulaque magni Karoli multimodi laboris instans gens Saxonica: quam ad credendum eo compulit difficilius, quo id genus hominum natura animi erat ferocius. Subjecta autem jugo fidei, facta est sacerdotibus tributaria, quæ tributa aliorum exegerat temeraria; cepitque sua pro Christi amore Christia-

B stia-



V I T A

2  
 stianis tribuere, quæ raptu aliorum solebat vivere.  
 Destruuntur hinc fana idolorum, & exstruuntur ora-  
 toria Sanctorum; designantur parochiarum termini;  
 constituuntur Episcopaliū sedium in locis con-  
 gruis tituli: in quibus rudis adhuc in fide populus, ne  
 ad perfidiam pristinam relaberetur, salutaribus mo-  
 nitis imbueretur, & seruientium Deo multitudo,  
 numero & merito quotidie augetur. Inter omnia  
 verò loca principalibus Ecclesijs constituendis desti-  
 nata, speciali quadam dignitate Patherbrunnensis le-  
 des præminebat; quæ *semper magnorum titulis sig-  
 gnata virorum*, præ ceteris terris undique secus cir-  
 cumjacentibus, frequenti & varia nemorum diversi-  
 tate, agrorum ubertate, cum omnium frugum fertili-  
 tate, saluberrimorum fontium in unum locum inibi  
 latitudine & amœnitate incomparabili confluenti-  
 um, aliorumque multorum per quasque vicinias id  
 locorum concurrentiū numerositate excelebat. Cu-  
 jus jocunda amœnitate, placidaque aëris temperie Rex  
 delectatus, pro publicis disponendis negotijs inibi  
 sæpius est moratus: positisque regali magnificentia  
 principalis Ecclesiæ fundamentis, magno erga De-  
 um suæ dilectionis indicio, talem locum jure belli ac-  
 quisitum, magis Ecclesiastico quam proprio deputa-  
 vit seruitio. Cum autem noviter factæ conversionis  
 messis multa, novellæ vero plantationis operarii es-  
 sent pauci, locum eundem tuitioni Præfulum Wir-  
 ciburgensis Ecclesiæ commisit, sub quorum regimini-  
 ne status ipsius nec profecit, nec longa viæ inter cape-  
 diæ, publica que variorum negotiorum necessitudi-  
 ne





credimus, vitam assumpto, successit ei vir egregius nomine *Baduradus*, qui ex nobili Saxonum prosapia ortus, ex prædictæ Wirceburgensis Ecclesiæ clero fuerat electus. Qui præclaræ morum nobilitatis, magnanimitatis, & industriæ merito, familiaritatem Karoli Regis intimè consecutus, tantæ dignitatis & dilectionis apud eum locum promeruit; ut ei non minor facultas quàm voluntas amplificandæ, provehendæ, atque adornandæ Ecclesiæ sibi commissæ suppeteret. Unde nihil laboris studijque sui subtraxit ab acquirendis ac procurandis omnibus, quæ ibidem ad laudis divinæ augmentum, atque utilitatem Christiani populi pertinere agnovit; Ecclesias videlicet per omnem parochiam suam sub celeritate construere; principalem basilicam, ingenti decore, & grandi opere extollere; res omnes ad eam pertinentes monasterialem instituere; pueros, tam nobiles, quam inferioris conditionis in scholam congregatos in divinæ legis eruditione nutrire. Ejus Pontificatus anno decimo, Dominicæ Incarnationis octingentesimo decimo quarto, gloriosus Imperator *Karolus* Pater Patriæ, Apostolus gentis Saxonicæ, anno regni sui quadragesimo sexto, ab urbe Roma condita millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, ab hac luce migravit; æternæ vitæ gloriam, & perpetuam futurorum habiturus memoriam, pro multimodis indefessi laboris studijs, quibus fines Christianæ religionis promovit & dilatavit.

III. *Baduradus* autem venerabilis Pontifex virtutum

B. M E I N W E R C I. 5

tutum imitabilis artifex, utiliter cœpta feliciter consummans, anno Episcopatus sui quadragesimo octavo migravit ad Dominum: rexitque post eum annis viginti sex *Luithardus* jam dictæ dicendæque civitatis populum. Cui succedens *Biso* nomine, præfuit viginti tribus annis ipsi Ecclesiæ; rexitque eandem post eum *Thiedericus* annis novem. Sexto loco succedens *Unvvanus* tuit novendecim annis Episcopus, septimoque *Dudo* nomine, annis viginti quinque, virtutes octo beatitudinū docturus populum. Octavo loco viginti septem annis præfuit *Folcmarus*; successitque annis viginti octo consilij sui excellentia dispersa collecturus *Rotharius*. Decimo loco magnorum operum auctor & parator sibi suisque *Meinwercus* successit utiliter; qui decalogi legalis vel gratiæ spiritualis perfectionem, per Dei & proximi dilectionem adeptus est feliciter. Hujus laudum & meritum præconia cum alijs, & præ alijs suscipiat Ecclesia: ejus amori insistens, & devotioni, cujus ille honori institit & promotioni. Hæc ergò veraciter posteris intimari, animosque fidelium exemplis priorum decet excitari: ut qui virtutum culmina adipisci desiderant, gradus felicissimæ ascensionis agnoscant.

I V. Germania post Scythiam inferiorem sumens initium, à flumine Danubio, desinit in Reno: terra divisa populosa, quæstiosa pariter & bellicosa. Hæc majorum solertia, divisione distincta bifariâ, superiorem habet terminum, juxta septentrionalem Oceanum; inferiorem, circa Renum, finem sui faciens in mari quod Gallia Britannicæque prætenditur lit-



toribus, ex quo quaque versus omnium terrarum patet exitus. Ad hujus inferioris Germaniæ septentrionalem tractum Trajectensis diocesis est terminus locus navium & vectigalium com meatibus questuosus; magnorum & nobilium virorum gloria, quam in defensione gentis suæ & patriæ magnanimiter adepti sunt, insignis & famosus. **D**e quorum nobili prosapia, ortus est *Imed*, in eadem provincia: qui virtutis, & probitatis, majorum suorum factus hæres legitimus & strenuus, Comitatum suo tempore in ejusdem provinciæ administravit partibus. Qui tantæ nobilitatis lineam propagari, nominisquæ sui memoriam & posteritatis gloriam cupiens nobilitari; cum multiplici divitiarum apparatu, ac possessionum prædiorumquæ reditu, nobilem duxit uxorem de terra Saxoniz *Athelam* nomine: de qua processu temporis genuit *Thiedericum*, & *Meinvercum*; *Glismod* & *Azelam*. *Thiedericus* autem paternæ dignitatis & facultatis hæres designatus; *Meinvercus* in Ecclesia beati Stephani protomartyris in civitate Halverstadenſi ad clericatus officium à parentibus est oblatuſ. *Azela* verò castitatis æmulatione agnum secutura, Sanctimonialium cætuſ in Ecclesia pretiosi Martyris Viti *Eltena* associatur: *Glismod* autem tricesimum fructum pudicitiz matronalis adeptura, cuſusdam nobilis principis in Bajoaria matrimonio copulatur. *Meinvercus* igitur liberalibus studijs & spiritibus imbuendus disciplinis, in præfata Halverstadenſi Ecclesia tenerioris ætatis rudimenta, proventioris verò in Ecclesia Hildeneshemensi peregit: Ubi

B. M E I N W E R C I. 7

Ubi *Heinricus* filius ducis Bajoariæ *Heinrici*, cum alijs plurimis, honori & decori Ecclesiæ Christi suo tempore profuturis, secum theoriæ studijs continuam operam dedit. Quàm liber autem & integer à vitijs, & in puerili & in juvenili ætate vixerit; qualis quantusve inter cõævulos, vitæ sinceritate, morumq; probabilitate, conversatus fuerit, varijs hinc inde quæsitis laudationum fucis eum colorare non convenit; cùm indicijs operum evidenter postmodum claruerit, quale fundamentum domus suæ in eo sapientia Dei collocaverit. Acceptus autem de scholis, vixit in prædicta Halverstadenfi Ecclesia sub Præposito canonice legis; omnibus carus & amabilis, aspectu & colloquio affabilis, actu & eloquio irreprehensibilis.

V. Eo tempore monarchiam Romani Imperij, *Otto* ejusdem nominis secundus strenuè gubernabat; armis strenuus, fide Catholicus; non minus divinis, quàm humanis rebus deditus. Qui postquam III. Idus Julij contra Saracenos in Calabria periculosissimè dimicans, multis suorum amissis, ipse vivus vix evasit, septimo Idus Decembris sequentis anni, Dominicæ Incarnationis videlicet nongentesimo octogesimo tertio, regni sui decimo, Indictione duodecima, obiit, & filium suum ejusdem nominis successorem dereliquit. *Heinrico* duce Bajoariæ, qui priori anno, mortuo patre suo *Ottone* Duce, ducatum obtinuerat, regnum invadente, sed victo, desistente. Rex autem puer in proximo natali Domini, ipsa sancta die, unctioe *Joannis* Ravennatis Archiepiscopi Aquisgra-



ni Rex consecratus, paternæ virtutis & industriæ vestigia per omnia est imitatus: non minus Christianæ religioni humiliter inserviens, quàm regni negotijs solerter insistens.

V I. *Meinovercus* autem regia stirpe genitus, regio obsequio, morum elegantia idoneus adjudicatur, evocatusque ad palatium, regius Capellanus efficitur, ut Deo ordinante longiùs innotesceret, qui longiùs expetendus erat; fieretque in negotijs tam spiritualibus quàm sæcularibus ætate doctior, usu tritior, processu temporis sapientior. In quo, cum irreprehensibiliter conversaretur, & regalis celsitudo, & procerum multitudo eum reverebatur; utpote, cujus benevolentia ancillabatur humilitas, gravitatem temperabat affabilitas: in cujus ore veritas & dulcedo; in cujus corde pietas & mansuetudo; in cujus moribus & scientia, verborum & operum regnabat concordia. Omittantur extrinseca, licet enim in consideratione singularitatis præterire communia. Præ participibus suis in domo Domini exaltandus, participio sancti Spiritus erat primitus exornandus: ut videlicet esset discretione providus, actione præcipuus, moribus approbatus, virtute perfectus, humilitate communis, compassione singularis, mansuetudine lenis, auctoritate gravis, patientia amabilis, vindicta pro Zelo justitiæ terribilis. Qui pectus habet consilij, acumen vivacis ingenij, Atticos flores vernantis ingenij, præter alia innumera his similia, quibus immorari non convenit ne quid præter veritatem, mera veritatis assertio intendisse videri possit. Rex autem

B. M E I N W E R C I . 9

tem huiusmodi virtutum insignia sapienter animadvertens, & cum regia liberalitate honorare dignum ducens, interventu Cepte venerabilis Abbatissę, duos Mansos regales in Lutterun in pago Wentisoi dicto in Burwardio quoque Daleheim, in comitatu Herfeldi comitis, ei donavit; de quibus sibi regię concessionis & confirmationis præceptum conscribi & contradi mandavit; suę sincerę dilectioni perhibens testimonium relatu dignum; quod videlicet suam vitam diligeret ut propriam.

VII. Eo tempore Retharius Patherbrunnensis Ecclesię venerabilis Episcopus, inter alios quam plures, qui scientiã præditi, moribus adornati, secundas partes regni strenuè adjuvabant, enituit: qui nomen Episcopi officio tenuit, moribus implevit. Denique cura pervigili, intendens commisso gregi, in collectione dispersorum, in conservatione congregatorum, operam continuam dedit: & ab eodem Ottone Rege alijsque fidelibus donaria non modica diversis temporibus acquisivit. Volens autem Ecclesiam suam super Apostolicam petram fundatam, Apostolicę tuitionis præsidio artiùs communire, privilegium Apostolicę confirmationis super bona & jura Ecclesię suę à Joanne Papa ejusdem nominis octavo decimo, anno Dominicę Incarnat. DCCCCXC, episcopus illius tertio, Indiët. quartã, petijt & obtinuit: ut si aliquando mundanę turbulentię eam cornibus suis impeteret aries, tantę auctoritatis rejectus fortitudine dissiliret ut glacies. Electionem quoque Episcoporum inter ejusdem, & ab ejusdem Ecclesię



filij faciendam, quam eis diverſi Reges diverſis temporibus liberaliter & legaliter conceſſerunt, (*Karolus* videlicet *Crassus*, interventu *Bisonis* Patherbrunnensis Episcopi, sexta Id. Decemb. an. Dominicæ Incarn. DCCCXXCV. Indiçt. quarta; anno, ex quo patre suo *Hluthovvico* ejusdem nominis secundo mortuo, cum fratribus suis *Karlmanno* & *Hluthovvico* de regno altercari cæperat, nono; ex quo *Karlmanno* mortuo, à *Joanne* Papa in Imperatorem unctus fuerat quinto; ex quo fratre suo *Hludovvico*, XIII. Kal. Febr. mortuo, totius regni monarchiam, nullo resistente suscepit, quarto: *Otto* ejusdem nominis secundus, XV. Kal. Febr. rogatu *Folcmari* ejusdem civitatis Episcopi, an. Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXIV, electionis suæ XIV. Imperij primo, Regni septimo,) Indiçt. quarta, idem Papa eodem privilegio confirmavit: ut si unquam aliquis in ovile ovium aliunde, quàm per ostium introiret, excommunicationi subjaceret.

VIII. Qualis autem in hujusmodi studijs Episcopi intentio fuerit, adversitas probavit: quæ non segniùs immò multo instantiùs in adversis quàm prosperis Ecclesiæ cum commissa in omnibus fideliter & utiliter prospicere veraciter demonstravit. Denique quocunque Dei judicio, sive malitia inhabitantium exigente, sive salutis mortalium Deo per id consulente, anno Dominicæ Incarnationis millesimo, Ordinationis ipsius *Rhetarij* Episcopi nono decimo, regni *Ottonis III.* decimo septimo, Imperij quarto, Indiçt. XIII. civitas Patherbrunnensis primum

B. M E I N W E R C I. II

mum incendio vastatur; nobileque principalis Ecclesie Monasterium præcipui operis & decoris à *Karolo M.* fundatum, à beatæ verò memoriæ *Baduado* Episcopo consummatum, & XIV. Kalendas Novembr. dedicatum, cum libris, privilegijs, plenarijs, alijsque Ecclesie ornamentis propemodum conflagravit.

IX. Ipso anno Imperator tempore quadragesimali causa orationis ad S. *Athelbertum* Slaviam intravit, ibique, coadunata Synodo, septem Episcopia disposuit; & *Gaudentium* Monachum, fratrem *B. Athelberti* Archiepiscopi, qui ante triennium à *Prucis* martyrizatus, fuerat in *Prago*, Archiepiscopum ibidem constituit. Inde Italiam pertiansiens Romam intravit, ibique Natale Domini condecoratus celebravit. *Rhetarius* ergò Episcopus captâ loci & temporis oportunitate, quo tam apud Apostolicæ sedis auctoritatem, quam apud imperialem majestatem Ecclesie suæ calamitates desereret, missis nuntijs, utrisque quæ acciderant innouit: & ut antecessorum suorum constituta super immunitate Ecclesie ejusdem renovarent, & renovata præceptorum suorum auctoritate confirmarent, expetiit. Qui incendio Ecclesie & civitatis audito intimè condoluerunt, & roganti benignissimè annuentes, omnia, quæ eidem Ecclesie eatenus honori vel usui servierant, confirmaverunt. Videlicet de Episcopatus statu; de tuitione atque mundiburdio S. Dei Ecclesie, & perpetuæ Virginis Mariæ; de decimis; de omni proprietate ad eandem Ecclesiam pertinente; de electione Episcoporum inter Clericos ejusdem Ecclesie faciendâ,  
de



de ejus hominibus tam liberis quam & servis nullâ judiciarâ personâ constringendis nisi coram Advocato quem ipse Episcopus elegerit; de proprietate Clericorum, si quis illorum sine hærede obierit, (eidem Ecclesiæ concessa) de Comitatibus super pagos *Patherga, Aga, Threveresga, Auga, Sorethfeld*, datos pro decimis Novæ Corbeia, ad Monasterium pertinentibus; de tribus mansis in *Thinsburg*, & in *Trutmannia*; de foresto, quod incipit de *Delchana* flumine, & tendit per *Osnig, Ardennam*, & *Sinethi*, usque ad viam, quæ ducit ad *Herisi*. Hæc ergò, & alia omnia, quæ Ecclesia illa die, quando combusta est, habuit, vel deinceps habitura erit confirmantes, confirmata per manus Notariorum suorum & Cancellariorum sub firma adstipulatione, sigillorumque suorum impressione roboraverunt; & Romæ data Kalendis Januarij, Episcopo suæque Ecclesiæ, anno Dominicæ Incarnationis MI. Pontificatus *Sylvestri* Papæ secundo, regni *Otonis* III. Regis decimo octavo, Imperij quinto, Indictione XIII. transmiserunt.

X. Anno illo Rex in partibus Italiae commoratus, mortis periculo est præventus: quo profectò illo tempore caruisset, si beati *Heriberti* Colonienfis Archiepiscopi monitis obtemperare voluisset. Mortis autem illius occasio hæc fuit. Ante quinquennium, Dominicæ Incarnationis videlicet annum nonagesimum nonagesimum sextum, Rex ad mitigandam sævitiam Crescentij Romam venit, & tumultu oborto decenter sedato, *Brunone* Papâ defuncto, *Brunonem* cognominatum *Gregorium*, *Otonis* Ducis filium,

filium, in sedem ejus locavit, & ab eo imperialem un-  
 ctionem accepit. Imperatore autem Romam egres-  
 so, proximo anno, consiliante Crescentio, *Joannes*  
*Placentinus* Episcopus contra velle Imperatoris se-  
 dem Apostolicam invasit. Unde iterum Imperator  
 Romam veniens, proximo anno prædictum Joan-  
 nem in vasorem cæcatum & nasu truncatum depo-  
 suit, & Crescentium cum duodecim suis decollatum  
 ante urbem suspendi jussit. *Bruno* autem, qui & *Gre-*  
*gorius*, ab eo restituitur, sed post discessum ejus à Ro-  
 manis expulsus, ac deinde veneno peremptus: post-  
 quam annos fermè duos & menses novem Roma-  
 nam Ecclesiam rexerat, quartâ Idus Martij moritur:  
 cique *Gerbertus*, qui & *Sylvester* dictus est, successor  
 eligitur. Rex ergò cum isto Sylvestro Papa Natali  
 Domini Tudertinæ celebrato, cum confusionem tam  
 in beati Petri Ecclesia, quàm in Republica factam  
 decenter composuisset, incidit in insidias mulieris  
 malæ, ejus videlicet, cujus virum Crescentium sibi re-  
 bellantem captum jusserat capitalem subire sententi-  
 am: quam formæ elegantissimæ nimis insipienter  
 thoro suo socians, ab ea non præcavens, quantumvis à  
 sancto viro Heriberto sæpius esset admonitus, vene-  
 no intra cubiculum dormiens, infectus est. Et sequen-  
 ti die, beato Heriberto pestem quam perceperat,  
 confessus, cum se mori sensisset, ut corpus suum A-  
 quisgrani sepeliendum transferret, petijt: & sic *Pa-*  
*ternum* ingressus, cum generali omnium dolore no-  
 no Kalend. Februarij obiit.

Ante



XI. Ante successionem autem futuri Principis, confusum est regnum huius; insonuitque inter principes tempestas valide commotionis, propter ambitionem inanis dominationis: de quibus *Ekkibardus* Marchio usurpator regni *Palithi* interfectus occubuit, & *Cuonradus* unus de primoribus regno expulsus, aliquam diu ab eo exultavit. *Herimannus* quoque Dux Sueviæ non expers fuit tantæ discordiæ, qui dum ipse regnare voluit, electioni generali impedimento fuit. Quidam etiam princeps *Bruno* nomine regni fastigium obtinere voluit, sed effectu cærens, multis votis ejus non faventibus & præcipuè beatæ memoriæ *Berenwardo* Hildinesheimensis Ecclesiæ Episcopo, in hominibus & bonis ejus multa mala intulit, sed serenante altissimo, & mediante *Willigiso* Magontiensi Archiepiscopo, *Henricus* dux Bajoaricus secundum sæculi dignitatem locupletissimus, & litterarum studijs non tenuiter instructus: & quod his maius est, vir in omni perfectione Ecclesiastica præcipuus, eligitur: & redditis regalibus à sancto *Heriberto* Coloniensi Episcopo, qui ideo electioni non interfuit, quoniam in humando corpore defuncti principis occupatus fuit, Magoniæ Dominica octava Pentecostes, à *Willigiso* eiusdem civitatis Archiepiscopo ordinatur.

XII. Eodem anno, novo rege Nativit. Laurentij in civitate Patherbrunnensi celebrante, domna *Chunigunda*, ipsius, ut putabatur, uxor, re autem vera castitatis æmulatione foror, à prædicto *Willigiso* Magontiensi Archiepiscopo inibi regiæ consecrationis domin-

B. M E I N W E R C I. 15

minium adinvenit: quod eidem Ecclesie in augmentum honoris, & profectum magni decoris, Dei misericordia, provenit.

Ipsa anno *Woteloffus* Osneburgenfis Episcopus obiit, eique *Themarus* vir bonus & iustus, fortis, pius & moderatus successit.

*Hic Prasul factus implevit prasulis actus,  
Ut patet in factis, ipsius ibi quoque scriptis.  
Denique Baptista fundans in honore Ioannis,  
Ecclesiam quandam, supplex dedicavit eandem.  
Anno milleno bis quino desuper uno,  
Ex quo sermo Patris sumpsit praputia carnis.  
Osneburgenfi qua scitur proxima sedi  
Continuus horis tribuens sibi pignus honoris.  
Hic apud Ecclesiam per se tam sedule factam,  
Constituit cunctis post hac instantibus annis,  
Adveniente sui sacro natale Patroni,  
Latitia sacra fraternum fœdus haberi,  
Ac in amore Dei miseros inibi recreari,  
Et de collata de fratrum munere cerâ  
Candelam fieri Baptista in honore beati.*

XIII. Meinwercus autem novo regi tam carnis propinquitate quam vitæ synceritate iam dudum notissimus, de karo fit karissimus; factusque est ei in negotiis publicis & privatis comes irremotissimus, Rex autem non habens nec habere disponens liberos, Ecclesiarum Dei exaltationi continuè invigilavit; & æternitatis flagrans desiderio, temporalia bona pro acquitendis æternis liberali manu eis erogavit.



vit. Quo regni sui partes solerter circuente, & necessaria & utilia quæque ubique sapienter disponente, occurrit ei XVII. Kalendas Octobris Rhetarius Episcopus in loco, qui *Bochbardun* dicitur, & Ecclesiæ suæ ruinas innotescens, forestim, quæ incipit de *Delichana* flumine, & tendit per *Ofninge* & *Smithe* usque in viam quæ ducit ad *Horhusen*, & de hominibus Ecclesiæ commissæ tam liberis quàm & servis, nulla iudiciaria personâ constringendis, nisi advocato ab Episcopo electo, regis tuitionis defensionem, ipso primo anno regni eius, Dominicæ Incarnationis millesimo secundo, Indictione XV. obtinuit.

XIV. Sequenti dehinc anno Dominicæ Incarnationis millesimo tertio, Indictione prima, veniente Rege *Quidlingaburg*, obvius fuit iterum Episcopus, & Ecclesiæ suæ incendium lamentabiliter conquirens, quæ dominus Apostolicus, & prædecessor eius confirmaverant, confirmari, & confirmata præceptali paginâ roborari obnixè petiit & obtinuit. Quia ergo domino placuerunt viæ eius, convertit ad gratiam inimicos ipsius: de quibus *Herimannus* dux Sueviæ se ei subdidit, & interventu principum in suo honore permansit, & plures alii qui non consenserant eius electioni. Ducatum autem Baioriæ dans *Henrico*, fratri domnæ *Ghunigundæ* contætalæ suæ, incurrit offensam fratris sui *Brunonis*, qui inde plus iusto commotus cum *Henrico* filio *Bertoldi* comitis cum ambobus *Bolizlavonibus*, *Polianico* scilicet & *Boëmico*, à Rege infideliter defecit. Sed *Henricus* ad Regem refugiens, in *Gerikanstem* custodiæ datur, Bruno verò

verò proximo anno, interventu domnæ *Gisle* matris suæ, Regi reconciliatur.

XV. Anno post hæc secundo, Dominicæ Incarnationis millesimo quinto, Indictione tertia, octavo Kal. Novembris venit Episcopus ad Regem in loco, qui dicitur *Corbeia*; & Ecclesiæ penuriam nimiam conquerens, & Regij solatij opem suppliciter deprecans. Rege autem in promptu, quod daret non habente, *Meinvercus* Capellanus ejus jam flammæ dilectionis intimæ operum exhibitione demonstrâs, prædium situm in villa *Bochinevordi* in comitatu *Luidolphi* comitis Regi contulit: quod ipse Rex Episcopo suæque Ecclesiæ in proprium donavit, ea ratione, ut prædictus Episcopus, quamdiu viveret, in sua potestate atque servitute hoc possideret: finitis vero suis temporibus, ad stipendia fratrum in Patherbrunnensi Ecclesia Deo sanctoque Liborio famulantium pertineret. Cùm igitur his & talibus misericordiæ instaret operibus venerabilis Episcopus, anno Dominicæ Incarnationis millesimo nono Episcopatus sui xxviii. Heinrichi Regis septimo, pridie nonas Martij, quæ illo anno extitit sabbatum ante *Invocavit*, e ductus est de ergastulo carnis, & de valle hujus miserie & tribulationis, assumptus, ut credimus, ad gaudium sempiternæ consolationis.

XVI. Eo tempore, Rege consistente in Goslaria, ilicò legatos suos ad eum direxit Ecclesia, qui & obitum Episcopi denuntiarent, & clementiæ ejus solatium de successore idoneo suppliciter implorarent: qua lugubri Rex auditâ legatione, talem tantumque

C

virum



virum condigno mœrore deflevit, & Missarum elemosynarumque debita commemoratione animam ejus divinæ pietati commendavit. Posthæc, a cœtis Episcopis & principibus qui aderant, de successore tali loco & tempore idoneo consilium habuit; & diu scrutatis, perspectisque plurimis, *Meinvercum* tam nobilium natalium magnitudine, quàm rerum & facultatum temporalium multitudine idoneum perhibuit. Illicò, faventibus & congratulantibus omnibus, *Meinvercum* advocavit; & consueta benivolentia ei arridens, sumptâ chirothecâ, *Accipe*, ait: Quo, quid esset accepturus percontante? *Episcopatum*, inquit *Rex, Patherbrunnensis Ecclesia*. Illo autem dicente, quid sibi Episcopatus ille deberet, qui de bonis proprijs excellentiorem construere valeret? Quia hoc, inquit *Rex*, veraciter considero, ideo te inopiæ illius misericorditer subvenire desidero, ut illius in cælo cohæres fieri merearis, cujus piam matrem in terris hæredem tuum feceris. At ille hilariter, ego, inquam, ea spe & conditione Episcopatum suscipiam. Ostendens liquidò, se non despectu paupertatis, vel appetitu eminentioris sedis, aut dignitatis, sed affectu majoris utilitatis, simpliciter contradixisse. Ibidem ergò in Goslaria, proxima Dominica ab Willigiso Magontino Archiepiscopo & ceteris Episcopis, qui aderant, consecratur; electione ejus, & consecrationi congruente officio: quod item Dominicę intitulatur. Ea namq; est Dominica quadragesimæ secunda, quæ in ordine & ratione septem dominicarum, septem mundi ætates significantium quinta extat, & pulchra ratio-





curſu & occuſu omnis ætatis & dignitatis deducitur, & excipitur: & verè, via regia in ovile ovium per oſtium ingreſſus, episcopali ſede inthroniſatur. Pontificatus itaq; decoratus infulis, continuè invigilavit curæ commiſſæ gregis; timensq; notam mali ſervi & pigri, qui repoſuit in ſudario pecuniam domini ſui, nihil remiſſè faciebat. Cordi ſuo & corpori, forinſecus pro generali cleri & populi gubernatione Episcopali ſpeculatione ſollertè inſudavit; intrinſecus autem pro omnium ſalute vigilijs & jejunijs precumq; hoſtijs Deo indefinenter ſupplicavit. *Lucerna namq; in domo Domini ſupra candelabrum poſita, arſit in ſe Dei & proximi dilectione; luxit alijs ejusdem lucis ſedula exhibitione: denique pro adipiſcenda immortalitatis corona, contulit Eccleſijs, quæ hæreditario jure poſſederat, vel multimodo jugis ſervitutis labore obtinuerat, temporalia bona; quæ, ſicut alios, uſu malo, à ſalute præpediunt; ita alios, uſu bono, ad ſalutem promovent.*

XVII. Principalem Eccleſiam ſumptu ingenti & magnificentia ſingulari conſtruxit: quam tertia die adventus ſui, dejecto opere modico à prædeceſſore ſuo inchoato, & uſque ad fenestras negligenter conſummato, à fundamentis celeriter atq; alacriter erexit. Operarijs autem ſollertè operi inſtantibus quadam die advenit quidam vir incognitus, qui Episcopum aſtanti ſalutavit ſuppliciter, ſuumq; ſervitium obtulit ei humiliter: quem Episcopo, quam ſciret ſervitij artem percontante? & cæmentarium & carpentarium ſe profiteretur; & mox ab Episcopo clavum tunc

tunc fortuito lignis compingendis necessarium face-  
 re jubetur. Quo celeri velocitate velocique corpo-  
 ris agilitate facto, decenter & convenienter, coop-  
 raturus operantibus apponitur, artisque suæ scientia  
 probatus & approbatus omni experientia, ab Episco-  
 po omni operi præponitur. Quo non multo post  
 mortuo, advenam suum Episcopus digno sepulturæ  
 commendavit officio, fieri mandans ei in crypta jux-  
 ta murum monumentum, ponens ad caput ejus trul-  
 lam ejus & malleum ad posteritatis monumentum;  
 per tantæ humilitatis & pietatis excellentiam magnâ  
 sibi acquirens operantium sibi que famulantium be-  
 nivolentiam. Præpositis autem operi singulis magi-  
 stris, ipse ad reliqua episcopij negotia disponenda  
 convertitur, suæ videlicet diœcesis terminos frequen-  
 ter lustrare; si fidelium fides spei, si spes concordaret  
 rei sollerter investigare; bene acta confirmare,  
 neglecta reformare, bene agentes, ut in melius profi-  
 cerent, admonere; negligentibus ut respicerent o-  
 portunè importunè instare; *denique omnibus omnia*  
*factus*, pro cunctis animæ & corpori eorum necessa-  
 rijs erat sollicitus. Primoribus & majoribus exhi-  
 bens se formidini & honori; subditis, secundum uni-  
 uscujusque meritum timori pariter & amori. Ocu-  
 latus autem antè & retrò, ut sic interiorum & spiri-  
 tualium sollicitudinem gereret, ut tamen exteriorum  
 providentiam pro subjectorum necessitatibus sup-  
 plendis, non negligeret, regni negotijs, ut compelle-  
 batur, inservire cœpit: *reddens Deo, quæ sunt Dei; &*  
*Cæsari, quæ sunt Cæsaris*, Ecclesiæ commissæ prodes-  
 set,



set, ubi se oportunitas obtulisset loci & temporis. Continuè autem Regi insistens, ut Ecclesiæ sibi commissæ lamentabiliter incendium passæ, secundùm sponsonem, quâ sibi eam commiserat, succurreret. Rex misericorditer annuit, & Ecclesiæ præfata miseratus paupertatem, multa ei bona tam in prædijs, quàm facultatibus alijs, larga manu & plena caritate pro Dei amore dilectique sibi Episcopi assiduo & devotissimo obsequio contulit. Sæpius autem in civitate Patherbrunnensi commoratus, operum & studiorum ejus adjutor & cooperator extitit, favente & instante per omnia venerabili Chunigunda Regina, cui non minor voluntas quàm facultas in Ecclesijs Dei amplificandis & meliorandis semper fuit.

XVIII. Quodam itaque tempore inibi commorantes, beatus *Heimeradus* de Suevia oriundus, voluntaria paupertate pro Christo exul, & peregrinus eò advenit: cumque lurida facie & proceri corporis macie ac vestium vilitate deformem Episcopus ut vidit, unde ille diabolus emergeret? inquisivit. Ille autem, cum se diabolum non esse humiliter & patienter dixisset, quæsit Episcopus, an Presbyter esset? ubi autem eo die divina mysteria eum celebrasse cognovit; protinus sibi libros, in quibus cantaverat, deferri mandavit. Quos incomptos & neglectos & nullius ponderis aut pretij aspiciens, eodem momento in ignem projici fecit: eumque jussu Reginæ, Episcopi justo zelo, ut videbatur, compatientis, verberibus cædi præcepit. Posthæc quidam Comes *Duodiche* nomine, de monte qui *Wartberge* appellatur, super-

superveniente festivitate S. Andreae Apostoli, Episcopum ad convivium invitavit. Cùm autem Comes B. Heimeradam quoque invitasset, & in vigilia ipsius Apostoli eum ad cœnam Episcopo oppositum sedere fecisset: commotus Episcopus, quid virtutis prudentiæ sibi in illius præsentia vel consortio vellet? interrogavit: & multis injurijs verborum adversus illum exardescens, delirum & apostatam eum appellavit. Beato verò Heimerado pro Dei amore cuncta patienter & silenter ferente, respondit Comes se nescisse, quicquam eum adversus illum controversiæ habuisse: cœpitque verbis lenibus, & humilibus animum Episcopi mitigare, & viro Dei, quoniam provitæ suæ merito eum valdè venerabatur, veniam obnixiùs postulare. Sed perstitit in sua sententia Episcopus, placari non valens ullis precibus, quatenus tantæ nimietatis pertinacia, fieret ei postmodum humilitatis custodia; & in tantæ nobilitatis & dignitatis viro, satisfactio inferiori voluntariè exhibita, ad exemplum humilitatis à discretis commendaretur, quæ vix majoribus à subditis jure subjectionis exhibenda imitabilis videretur. Denique, quoniam ab hominibus sanctus putaretur, experiri se velle sanctitatem illius dixit. Statimque coram omnibus, ut altero die *Alleluja* ad Missam cantaret, sub interminatione plagarum ei injunxit. Cumque Comes pro eo obnixiùs supplicando, & ei hujus actionis remissionem petendo, nihil ageret nisi quòd oleum camino adjiceret: nocte finitis matutinis laudibus, assumpsit hominem Dei secretius, & consolans eum, obsecrabat, ut tenta-



menta sanctorum virorum purgamenta non refugeret, sed saltem in nomine sanctæ Trinitatis incipiens, cetera Deo committeret. Qui multum renitens, & se dimitti ad hospitium flagitans, multis precibus victus, tandem adquevit. Et veniente hora, cum Episcopus nullo modo à proposito posset abduci sententia, processit: inchoavit, sollemniter & jucundè percantavit; aded ut omnes, qui aderant, mirarentur, & se ex nullius unquam hominis ore suaviorem modulationem audisse, faterentur. Episcopus autem, finita Missa, virum Dei secretius tulit; & ad pedes ejus ruit, & veniam pro commissis in eum humiliter postulans, & celeriter impetrans, perpetuus ac fidelis ei postmodum amicus fuit.

XIX. Episcopus autem ipsum castrum sui munimine vastum, Ecclesiæ Patherbrunnensi in cujus diœcesi consistit, ornamento & munimento utile, situ verò loci in aquis, lignis, pascuis, omnimodis habile considerans, pro venditione sui vel voluntaria traditione varijs modis Comiti instabat: sed ille filium de pellice, quam duxerat, natum, hæredem facere disponens, monitis salutaribus non obaudiebat.

XX. Pontificatus ejus itaque anno secundo, Dominicæ Incarnationis MX. Indictione VIII. *Ansfrius* venerabilis Trajectensis Episcopus, cujus miralaudum præconia in gestis suis inveniuntur, ad cælestem vitam sustollitur, eique *Adelboldus* surrogatur. Sequenti anno VII. Kalend. Martij, *Willigisus* Magontiensis Archiepiscopus omni memoria dignissimus, Episcopatus sui anno trigesimo sexto, post incen-

endum Monasterij Magontiensis honorificè ab eo constructi, (quod III. Kalend. Septemb. accidit.) sanctæ ad Christum migravit, & in locum ejus *Erkinbaldus* Abbas Fuldensis subintravit. Quinta dehinc proxima Idus Februarij *Bernardus* pius Dux Saxonicus, filius Herimanni ducis obiit: & filius ejus *Bernardus* favente sibi Meinwereco Episcopo, amicisque suis ducatum obtinuit, & homo Episcopi factus, jure obsequium in omni fidelitate sibi exhibuit. Frater quoque præfati ducis Bernardi, Comes Luitderus proxima IV. Kal. Apr. obiit, qui cum uxore sua *Emma* senatrice Christianissima, multa bona Ecclesiæ Bremensi contulit.

XXI. Posthæc IV. Idus Apr. in festo B. Gregorij cū rege in villam regiam, quæ *Tribura* dicitur, Episcopus devenit, ubi comitatum, quem Haold, dum vixit, tenuit, situm in locis *Haverga, Limga, Thiatmallis, Aga, Patherga, Treveresga, Langaneke, Erpesfeld, Silbiki, Matfeld, Niterga, Sinatfeld, Balle van prope Spriada, Gambeke, Gession, Siwardeshubus* cum omni legalitate Rex ei in proprium dedit. Post Pentecosten *Helmvardeshusun* venit, & Monasterium, quod *Ekkhardus* Comes in proprietatis suæ fundo construxerat, in honore sanctæ & individuæ Trinitatis, sanctique Salvatoris, & victoriosissimæ Crucis, & S. Mariæ perpetuæ virginis, sanctique Petri Apostolorum Principis, & omnium Apostolorum & Sanctorum omnium, Nonas Junij dedicavit.

XXII. Anno sequente pridie Non. Januar. *Lubentius* Bremensis Archiepiscopus obiit, eique *Unvva-*



*nus* Patherbrunnensis Ecclesiæ Canonicus, favente Meinwerco Episcopo, successit. Hic omnibus hominibus acceptus, & Clero adprimè benivolus; inter innumera piæ recordationis monumenta, Canonicis Ecclesiæ B. Petri eo loci patroni, curtem quandam *Borengun*, ut ejus servitium, per natalitia esset Apostolorum, contulit. In australi parte chori altare in honore S. Liborij patroni sui construxit, & dedicavit. Primus omnium congregationes, quæ antea quidem mixtâ ex Monachis vel Canonicis conversatione degabant, ad Canonicam regulam traxit. Lucos in Episcopatu suo, in quibus *Paludicola* regionis illius errore veteri cum professione falsa Christianitatis immobilabant, succidit; multos gentilium in Dania, & vicinis Borealibus partibus, ad Christum convertit; plures in diœcesi sua Ecclesias fundavit & dedicavit; & pro obtinendis æternæ vitæ gaudijs, omni vigilantia & instantia insudavit, quam diu in hoc fragilitatis corpore militavit.

XXIII. Octavo decimo Kalend. Februarij, præfati anni Dominicæ Incarnationis MXIII. Rex *Mulinhusun* devenit; Ubi interventu *Chunigundæ* reginæ, *Everhardi* Bavenbergenfis Episcopi, *Egilberti* Frisingensis, prædium *Hoenstide* situm in pago *Rittiga*, in comitatu *Bernhardi* Comitis, Meinwerco Episcopo tribuit, cum omnibus utilitatibus & appenditijs, quibus id *Unuwanus* Bremensis Archiepiscopus possederat, eique dederat legaliter. Inde Rex Bavenberge iter divertit, ubi *Everhardus* primus ejusdem sedis Episcopus venerabile Monasterium, nobile

bile ac speciale regiae devotionis studium, cum conventu & suffragio omnium Cisalpinorum Pontificum, II. Non. Maij dedicavit. Rex autem eundem Episcopatum, quem ex integro in suo domate fundavit, terminis ejus ab adjacentibus Episcopatibus legitimo concambio commutatis, principibus Apostolorum Petro & Paulo, & pretiosissimo Martyri Georgio aditulatum, speciali jure Romanae Ecclesiae tradidit, ut & primae sedi debitum honorem divinitus impenderet, & suam plantationem tanto patrocinio firmius muniret.

XXIV. Eodem anno *Suitgerus* sanctae *Mimigardendordensis* Ecclesiae antistes egregius XII. Kalend. Decemb. obiit, sepeliturque in loco, quo deguit. Hic genere Saxonicus in Halverstad & Magatheburg à puero est educatus; à tertio verò Ottone praefatae civitati praelatus: quam cum divino munere fultus regeret cum omni diligentia, pollebat diversarum virtutum excellentia. E quibus hic duae tantum referantur, per quas aliae veraciter cognoscantur. Camerarius suus pilleum quendam furtive substractum celerare volens, diligenter à pio Seniore interrogatus, nihil fatetur: sed cultellum supra mensam positum, & ex animo benedictum sumere coactus, quasi ignitum celeriter projiciens, reum se nimis esse coram profiteretur. Quidam maligno spiritu arreptus, vi magna est captus, & in praesentiam praedicti Patris adductus. Quem solvi protinus jubens, baculo se solum irrupentem viriliter amovit, & facto sanctae crucis signo, divina potestate hostem exire imperavit. Tantus

vir



vir hoc non suis meritis, sed divinæ virtuti ascribens, vixit in Christo dies hujus vitæ sibi concessos, ministrans illi fidelis servus omni studio. Sedit autem in Episcopatu XVI. annis, magna infirmitate, quæ omnigenam virtutem perfecit, gravatus, & *Thiedericus* cognomen habens *Bonus Are* pro eo est subrogatus.

XXV. Proximo anno expeditionem in Italiam Rex iturus, ut Cæsaris consecrationem à domno Apostolico perciperet, in Castello, quod *Grunna* dicitur, convenire Principes mandavit, & VIII. Kalend. Maij de statu regni inibi cum eis necessaria tractavit. Episcopus autem *Meinvuercus* cum Rege expeditionem iturus, Ecclesiæ suæ penuriâ conquesta, itineris expensam labori suo congruam instanter petijt, & interventu *Chunigunde* Reginae, *Heriberti* Colonienfis Archiepiscopi, *Athalbaldi* Trajectensis, *Thiederic* Mimigardevordenfis, *Wigeri* Verdenfis, *Thiederic* Merenfis, *Bernwardi* Hildenesheimenfis, *Thietmari* Osnebrugenfis, *Herici* Havelbergenfis, *Berneshusun*, situm in pago *Lisga*, in comitatu *Udonis* Comititis obtinuit: tali præcepto sibi Ecclesiæ quæ suæ, cum eo, & de eo dato, ut quicumque ipsum Episcopum, vel aliquem successorum ejus super eo molestare, inquietare, aut divestire præsumeret, perpetuo anathemate condemnatus, C. libras componeret. L. Regiæ Camerae, L. eidem Ecclesiæ. Eadem quoque die, loco & anno, interventu sapenunero dictæ & cum omni merito dicendæ Reginae *Chunigunde*, in id ipsum etiam fraterna karitate collaborantibus, *Erchan-*

chanbaldo Magontiacensi Archiepiscopo, Bern-  
 vardo Hildenesheimensi, Arnolde Halverstadiensis,  
 Henrico Wirciburgensi, Thiederico Mimigardevor-  
 densi, Hildivardo Citicensi Episcopis & sacerdoti-  
 bus Christi, quandam regiam curtem *Moranga* di-  
 ctam, in pago *Morangano*, in comitatu *Bernhardi* Co-  
 mitis sitam, obtinuit, quam *Unuvannus* Bremensis  
 Archiepiscopus cum manu Advocati sui *Udonis* ipsi  
 Regi, omnium hominum contradictione remota,  
 tradidit; quamque ipse Rex, pro remedio animæ sui  
 prædecessoris tertij Ottonis divæ memoriæ Impera-  
 toris Augusti, & incolumitatis suæ vitæ, ac spe futu-  
 ræ, cum omnibus attinentijs suis tali conditione  
*Meinwerco* Episcopo concessit, ut eandem curtem,  
 quam diu viveret, in proprios usus potestativè possi-  
 deret, post finem verò vitæ suæ, ad vestitum Canoni-  
 corum in Patherbrunnensi sede *Deo*, sanctæq; ejus  
 genitrici *Maria*, nec non *B. Kiliano* ac *Leborio* servi-  
 entium, annuatim meliorandum pertineret. Et si quis  
 hanc donationē infringeret, C. libras auri persolveret  
 L. Patherbrunnensi Ecclesiæ, L. Camera Reg. O quan-  
 tæ dilectionis indicium, simul & semel hæc tribuentis!  
 O quam sinceræ devotionis servitium, talia & similia  
 accipere merentis! *Posteritas dantē commendet & ac-  
 cipientem, Per pia vota patrem placans his omnipotentē.*

XXVI. Episcopus itaque, quæ desideraverat, im-  
 petrat, Patherbrunnam revertitur; & rebus dome-  
 sticis dispositis, & magistris idoneis operibus præpo-  
 sitis, tempore autumnali cum Rege proficiscitur. Rex  
 autem subjectis omnibus & in deditioem redactis,  
 quæ



quæ rebellare tentaverant, urbibus, proximum Natale Domini *Papia* celebravit: indeq; profectus *Apuleam* à Græcis diu possessam, Romano imperio recuperavit, eidemque provinciæ *Ismahelem* Ducem præfecit. Cum autem civitates Apuleæ pertransisset, & quæ ad honorem & utilitatem regni pertinebant, ubique prudentissimè disposuisset, infirmatus morbo calculi, nulla poterat medicorum arte curari. Remedio autem cessante humano, corde & animo se commisit divino; ascendensq; montem *Cassinum*, patrocinium S. *Benedicti* & B. *Scholasticæ* sororis ejus, pro sanitatis suæ adeptione suppliciter imploravit, & mirabiliter impetravit. Denique completa oratione ad hospitium se contulit, & lassatus ac debilitatus, in lectulo se collocavit. Quo obdormiente, S. *Benedictus* ei apparuit, & à Deo in quem speravisset eum exauditum asseruit. Et ferro medicinali, quod tenebat, partem illam, ubi calculus hærebat, aperiens, evulsum eum in manu Regis posuit, & hiatu vulneris subita redintegratione sanato, disparuit. Rex autem evigilans, & calculum in manu sua considerans, advocatis Episcopis & Principibus ostendit eis in se facta Dei magnalia, & cum eisdem Deum dignè collaudans, contulit fratribus inibi Deo sub regula S. *Benedicti* famulantibus, in prædijs, ornamentis plurimis, donâ regalia. Ab eo tempore, & deinceps Rex quadam speciali veneratione & devotione S. *Benedicto*, & omnibus Monasticæ religionis cultoribus studuit deservire, & in amplificandis & protegendis rebus Ecclesiasticis benignus & devotus pater existere.

XXVII. Valedicto fratribus, lætus & hilaris inde discedens, Romam cum domna *Chunigunda* cum triumpho magno intravit; ubi à beato *Benedicto* Papa benignè & honorificè susceptus, quantas miserationes & beneficia per servum suum *Benedictum* Dominus ei contulisset, enarravit. Papa autem Deo pro omnibus beneficijs suis gratias agens, pro salute Regis, & totius populi Christiani sacrificium laudis Deo immolavit, & solemnè benedictione cum universi populi inexistentabili exultatione Regem in Cæsarem & Imperatorem consecravit. Eodem ergo tempore, Bavenbergensem fundum Rex cum omnibus pertinentijs suis B. Petro contradens, Apostolico Præsuli jugiter defendendum commendavit. Et in commemorationem hujus pactiois, album ambulatorem cum faleris singulis annis Romano Præsuli dari constituit. Obtinuit autem magnis humilitatis & suæ devotionis precibus apud dominum Apostolicum, ut tempore oportuno ad Alemanniam accederet, & Bavenbergensis fundi novellam plantationem visitaret. Ibi dominus Apostolicus Meinwercum Episcopum, præconio virtutis & pietatis eximiæ, ubiq; carum & præclarum habitum, benignè suscepit, & ejus ardentissimæ in Deum dilectioni & devotioni congaudens & congratulans, de omnibus quæ ab eo petit, parata & devota karitatis benivolentiâ satisfecit. Denique desiderium ejus de Reliquijs Sanctorum ad constructionem Monasteriorum audiens, tertium dimidium corpus septem fratrum filiorum S. *Felicitatis* qui sub Antonino imperatore passi sunt, *Philippi* videlicet,

*Juve-*



*Juvenalis & Felicitis; & craneum S. Blasij, qui sub Licinio anno Domin. Incarn. CCCXXII. gloriosa passione migravit ad caelos. Brachium quoque S. Marci, qui sub Diocletiano VIII. Kal. Novem. passus est, cum aliorum plurimorum Sanctorum Reliquijs tribuit. Et privilegium de bonis Ecclesiae suae concessis vel concedendis, Apostolica auctoritate contulit; quod ad posteritatis monumentum, & Patherbrunnensis Ecclesiae stabile praesidium & firmamentum hic inferatur, ut ipsa exemplis tantae devotionis ad augmentum suae securitatis & utilitatis instruat: raptorum vero quisque ad cumulum suae damnationis videat & audiat, ut confundatur:*

**XXVIII. BENEDICTUS** *Episcopus servus servorum Dei, dilecto in Dominofilio Meinverco venerabili Episcopo Patherbrunnensis Ecclesiae, suisq; successoribus in perpetuum. Desiderium quod ad religiosum propositum & sanctorum locorum stabilitatem pertinere monstratur, sine aliqua nostra, Deo auctore, dilatione perficiendum; & quotiens in quibusdam ejus utilitatibus & commodis nostrum assensum, & solita Apostolica auctoritatis exposcit praesidium, id nostro benignitatis intuitu nos convenit subvenire, & rati pro integra securitate ex ratione solidare, ut ex hoc ipsis venerabilibus locis salus & indemnitas, & nobis quoque lucrari potissimum premium a conditore omnium Deo in fidei arcibus proscribatur. Igitur quod postulastis a nobis, quatenus confirmaremus & Apostolica auctoritate corroboraremus tua Ecclesiae, tibiq; & successoribus tuis in perpetuum, quaeque pro redemptione animarum suarum*

rum

rum ab Imperatoribus siue Regibus, Ducibus, Comitibus, vel ab omnibus magnis parvisq; personis oblata sunt, siue commutata: seu omnia, qua tu ductus amore Dei de proprijs tuis hereditatibus eidem tuae venerabili sponse contulisti perpetualiter, inclinatis precibus tuis, per hujus privilegij seriem confirmamus & corroboramus Ecclesia tuae, tibi, tuisq; successoribus, omnia pradia culta vel inculta: nec non omnia, qua tu pro redemptione animarum suarum ab Imperatoribus, maximeque à Christianissimo & serenissimo filio nostro dilectissimo, ac sanctissimo Imperatore Heinrico oblata sunt, siue in Comitibus, seu ubicunque fuerint: nec non omnia qua à Regibus, Ducibus, Comitibus, magnisq; parvisq; personis jam dicta Ecclesia oblata sunt. Similique modo confirmamus ea omnia loca, qua tu ipse pro redemptione animae tuae & parentum tuorum jam dicta tua sponse de proprijs hereditatibus contulisti: nec non ea, qua ab aliquibus commutata sunt. Statuentes Apostolica censura sub anathematis interdictione, ut nulli unquam magnae parvaeque persona liceat contra hoc nostrum Apostolicum privilegium insurgere vel contraire. Si quis autem, quod non optamus, temerario ausu contra hujus nostrae Apostolicae praeceptionis seriem piè à nobis promulgatam, venire agereve tentaverit, sciat se Domini nostri Apostolorum principis Petri anathematis vinculo innodatum, & cum diabolo & ejus atrocissimis pōpis, atq; cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi in aeternum igne cremandum, simulque & in voragine tartareoq; chaos demersus cum impijs deficiat. Qui verò pro incuitu, custodes & observatores hujus nostrae salu-



*zifera preceptionis extiterint, benedictionis gratiam caelestisq; retributiones ac aeterna gaudia, ab ipso iudice Domino Deo nostro consequi mereantur. Scriptum per manus Benedicti Notarij & Scriniarij sanctae Romanae Ecclesiae, in mense Martio, Indictione XII. (Anno Dominicæ Incarn. MXIV).*

XXIX. Cùm autem Episcopus inibi cum Rege aliquandiu moratus, de lue gravissimæ mortalitatis, quæ immanissimè exercitum depopulabatur, mœstus esset: accessit ad eum quidam Romanorum consiliarius ei, ut pro suorum incolumitate aliquam se venerationem in terra sua facturum sancto *Alexi* voveret. Qui ilicò sublati ad cælum manibus & oculis, se Monasterium honori & amori eius congruum facturum, si suis precibus suorum incolumitatem à Deo obtineret, sinceriter vovit. Et se ejus meritis à Deo exauditum, suorum omnium jumentorum & hominum incolumitatis receptione & conservatione veraciter probavit.

XXX. Novus autem Imperator, omnia quæ volebat à domno Apostolico impetrans, consolatione ejus & benedictione in Domino confortatus, *Alpes Penninas* transcendit. Et *Papiam* rediens sanctum Pascha ibidem feriavit.

Venerabilis autem Episcopus, tam materiali quam spiritali gladio Ecclesiam commissam muniri & rueri desiderans, Imperatorem inibi cum amicis suis & Regni Magnatibus adiit, & ut talia bona imperialis auctoritate confirmaret, qualia domnus Apostolicus sua Canonica confirmaverat, suppliciter expetiit. Impera-

perator autem ejus ardui itineris laborem, quem suæ dilectionis intuitu, ad Apostolorum limina secum arripuerat, reminiscens, rationabili petitioni solita benignitate promptissimè favit, & omnia ab eo de bonis hereditarijs Patherbrunnensi Ecclesiæ collata & deinceps conferenda, & alia qualibet sua instantia & industria à quibuscunque fidelibus acquisita seu acquirenda, commutata vel commutanda, Regiæ auctoritatis præcepto aureo sigillo bullato confirmavit & corroboravit.

Dimisso autem Imperator exercitu in terram suam, Regni negotijs ubique prudenter dispositis, per omnia virtutis & pietatis vestigia dereliquit. Et ubicunque fervorum Dei habitacula invenisset, eorum res adaugens & amplificans, omnium se orationibus commendavit. *Cluniacum* quoque inter alia ubique terrarum, pro suæ Religionis fervore, & situ loci nominatum, cum domno *Meinwerco* Episcopo, & paucis familiaribus suis adiit, & multa sanctitatis & Religionis indicia, quæ audierat, verà esse comprobans, coronam auream pretiosissimis gemmis adornatam, ad *Missam*, quæ de *Cathedra sancti Petri* celebratur, obtulit: & fraternitate Monachorum humiliter petita & accepta, cum maxima contritione cordis, omnium se orationibus commendavit. Et in supplementum necessariorum rerum optima prædia in *Alsatia* eidem congregationi testamentaria auctoritate delegavit. Ibi Imperatore favente & suum in omnibus auxilium spondente, Episcopus *Meinwerco* ab Abbate & congregatione XIII. fratres ad



construendum Monasticae vitæ canobium petijt & impetravit. Cum quibus assumptâ librâ panis & potus, & Regula, & Antiphonario uno, & Hymnario festinanter repatrians, capellam in honore S. Benedicti in occidentali parte Patherbrunnensis civitatis fundavit, & celeriter consummavit. Monachorum autem æmulis adventum eorum causantibus eisque utilis secundum nominis sui etymologiam à turba & civitate remotos fore; civitati verò honestius, in eo loco Clericos vel Moniales degere affirmantibus, venerabilis Episcopus humiliter rationem reddidit, dicens: scemineū sexum naturæ suæ qualitate fragilem esse, & infirmorum animas per eas scandalizare & scandalizari facile posse: Monachos verò convenientius vicinos & conjunctos esse Clericis quàm Clericos; ut in varijs lubricæ vitæ excessibus & eventibus, in divinis & humanis fraterna karitate & unitate invicem succurrerent, & consulerent, & ceteris regendis norma & forma facti, Episcopo sub cujus umbra alarum requiescerent, in utriusque vitæ provisione & dispositione auxilio & consilio forent. adjiciens, id decere & debere fieri, ut ad servitium Laici, & ad consilium admitterentur Clerici. Qua ratione data, & audita, quique boni & discreti dicta ejus & facta approbantes, rationabiliter cœpta feliciter prosperari & consummari optaverunt; similes autem similibus congaudentes, dissimilibus & melioribus invidere & derogare non cessaverunt.

XXXI. Aedificio ergo principalis Ecclesiæ magnificè consummato, frequentia & præsentia utriusque sexus

sexus & habitus, ætatis & dignitatis solenniter eam dedicavit XVII. Kalend. Octobr. & Apostolici privilegio coram populo recitato & interpretato, in ejusdem soliditatis munimine suum ædificium collocavit & stabilivit. Episcopus autem sperans se ab Imperatore *Ervete* impetraturum, eum dedicationi interesse postulaverat, sed ille Polianiam contra *Bolizauum* tempore æstatis ingressus cum valida suorum manu, interesse non poterat. Idem namque *Bolizauus* cum *Udelrico* Duce Boëmiæ ad Imperatorem in *Meresburg* venturus fuerat determinatus, sed ipse venire contemnens & rebellare disponens, ab Imperatore Dei misericordia, per Sanctorum patrocina, quibus se suumque populum intimè commendaverat, est cum suis omnibus superatus.

XXXII. Episcopus autem de bonis hereditarijs in Saxonia positis, urbem sitam in loco qui *Plesse* dicitur, cum undecies centum mansis jam ante Ecclesiæ traditis, ipso die recognoscendo & reiterando, Ecclesiæ delegavit & confirmavit, quibusdam bonis Ecclesiæ construendis designatis: tali conditione exceptis, ut si eo morte prævento Ecclesiæ imperfectæ manerent, post obitum matris suæ, cui ad temporalis vitæ subsidia hæc concesserat, Ecclesiæ ipsi attinerent. Cujus exemplum, utriusque sexus, conditionis & ordinis sequi cœperunt: & pro posse suæ facultatis, pro obtinendo braviò perpetuæ felicitatis, salutaribus Episcopi monitis instructi, bona sua Ecclesiæ contulerunt.



1. Rationabile itaq; videtur ex parte quorundam devotionem intimare, non solum ad declaranda eorum beneficia, verum etiam ad profectum illorum qui exemplis bonis edificari merentur, pariterq; ad confusionem illorum qui licet optima quæque sciant, videant, audiant, in ore Dominum confitentes, factis autem negantes perseverant. Operæ precium est etiam Episcopi diligentiam in singulis annexere, & benivolentiam quomodo nec fraude aliquem circumvenerit, & quod omnium saluti & devotioni se congaudere & congratulari beneficijs competentibus demonstraverit.

2. Ipso igitur anno dedicationis Ecclesiæ *Millesimo XV*. Incarnationis Dominicæ, quidam miles *Mainheri* dictus, divina ammonitione compunctus ut se æternæ hereditati associaret, atque inextinguibiles gehennæ ignis flammæ evaderet, quicquid habuit proprietatis in *Burgnon* & in *Balhornon* & *Scarheim* ad noviter ab Episcopo constructum & dedicatum Monasterium, & ad fratrum ibidem Deo famulanzium utilitatem & ministerium tradidit, ea ratione, ut quisque fratrum ipsius Ecclesiæ per anniversarios ejusdem dies, unum panem & unam carnem & emnam mediam acciperet, & animæ ejus salutaris commemoratione memor esset, *Amulungo* advocato Ecclesiæ astante & hanc traditionem omni contradictione & altercatione postposita coram multis testibus suscipiente. Hac traditione peracta venerabilis *Meinvercu* Episcopus, ut omnibus quibus hoc foret compertum ad divini cultus augmentationem

cor

cor promptius attraheret, suæque voluntati animum uniuscujusque devotioem subnecteret, unam curtem *Sutheim* nominatam cum omnibus utilitatibus ad eam pertinentibus & XXX. aratorum decimas non in beneficium, sed ad vitæ suæ terminum concessit: hoc scripto decernens, ut si aliquis suorum successorum ista infringeret, ille sua reciperet.

3. Quidam alius nobilis ad distinctionem alterius *Junior Meinheri* dictus, humanæ fragilitatis memor quoddam prædium *Hengeldere* dictum cum consensu uxoris suæ *Huninna* & filia ejus *Oda* heredis justissimæ, pro remedio animæ suæ Ecclesiæ dedit, & ab Episcopo *Meinverco* XXX. aratra & C. maldros annonæ quamdiu ipse viveret accepit, & uxori eius ad consentiendum IIII. libras denariorum detulit, quas in præsentia *Ekkihardi* & *Liudulfi* Comitum in *Assireshusun* Episcopus ei dedit cum XXX. solidis.

4. Quidam Canonicus ipsius Ecclesiæ *Wirin* nomine, omne prædium quod habuit in *Osdaghusun* & in *Rastherpe* cum omnibus attinentijs & utriusque sexus mancipijs cum consensu & voluntate justissimorum heredum suorum *Eizan*, *Irinches*, *Reinheri*, Ecclesiæ in proprium tradidit, eumque *Meinvercus* Episcopus pia misericordia motus Præpositum constituit, hoc decernens, ut si per infirmitatem Præpositi seu per aliam fortuitu accidentem causam constitutio ejus infringeretur, de Episcopatu una curtis cum XXX. familijs usque ad exitum vitæ suæ ei concederetur. Heredibus autem ejus uxorem *Hoian* cujusdam villici & filios ejus pro mercede dedit.



5. Quidam Subdiaconus ipsius Ecclesie Canonicus ejusdem nominis & devotionis, cujus prescriptus, quicquid habuit proprietatis in *Sneun* per suum Advocatum *Eilbrehtum* cum consensu sororum suarum heredum justissimarum *Rsa*, *Bavike*, *Leppa*, omni contradictione remota ad dominium Ecclesie in proprium dedit, & pro hoc benefacto ab Episcopo XL aratra & unam decaniam accepit, *Udone*, *Herimanno*, *Bennone* Comitibus, & alijs multis assistantibus, & Episcopi de hac traditione mandatum taliter institutum audientibus, ut si aliquis successorum suorum concessa sibi intringeret, sua reciperet.

6. Alius ex ejusdem Ecclesie fratribus nomine *Folcmarus* sancti Spiritus instinctu ammonitus, cum consensu & voluntate justissimae heredis suae *Siburg* nomine, per advocatum suum *Amulungum* omne praedium, quod in *marcha*, *Sturmethi*, *Gesike*, & *Stocheim* habuit, cum omnibus attinentijs ad altare sanctae *Mariae* & SS. *Kiliani* & *Liborij* in proprium dedit. Excellentissimus autem *Meinwercus* Episcopus hoc pie accipiens, IIII. familias quamdiu viveret, ei concessit, & omni anno unum lineum pannum sibi dari constituit, & super hoc ex parte confratrum curtem quandam *Bekjanuuo* vocatam cum duobus litris, usque ad exitum vitae suae ei tribuit: ea videlicet ratione, ut ipse quamdiu viveret, vel si quis confratrum eandem curtem teneret, anniversarium *Volcdagi* faceret: *Amulungo* Comite, & multis alijs huic rei testimonium perhibente.

7. Alius

7. Alius Ecclesie ejusdem Canonicus nomine *Volmarus* cum assensu fratrum duorum *Nithingi* & *Wirinhardi*, duo prædia *Holtheim* & *Aslan* in die S. Lamberti in quodam loco qui dicitur *Ringhelmi* dedit *Patherb. Ecclesie*, *Eilberto* in præsentia *Lindulfi*, *Erponis*, *Benne*, *Ekkikonis*, *Lindulfi* Comitum & aliorum multorum omni contradictione remota id accipiente.

8. *Nithingus* præscriptus sæpeditæ Ecclesie Canonicus, memor humanæ fragilitatis, quædam loca *Holtheim* & *Burgnan* cum appendicijs omnibus & mancipijs utriusque sexus pro remedio animæ suæ parentumque suorum per advocatum suum nomine *Wirinhardum* Ecclesie contulit, & à venerabili Episcopo *Meinverco* bannum super *Horobusun* & quendam locum *Waveri* nominatum atque *Bokinavordi* usq; ad exitum vitæ suæ eâ ratione suscepit, ut si *Heinricum* Imperatorem superviveret, anniversarium ejus sicut unius Episcopi *Patherbrunnensis* de sola curte *Bokinavordi* faceret, & CCC. elemosynas pro anima ejus daret, & in eadem die exitus ejus & anniversarij unum pauperem cum una camisia, una braca, uno cotte, una tunica, duabus caligis & unciunculis & calceamentis & chiothecis, pilleo & cingulo vestiret, & in natale S. *Kiliani* Martyris plenum convivium fratribus sicut in natale S. *Liborij* de prænominata curte *Bokinavordi* similiter perolveret: & si quis confratrum post mortem domni *Nithingi* eandem curtim teneret, anniversarium *Heinrici* Imperatoris, & convivium in natale S. *Kiliani* sicut prænominatus *Nith.*



pleniter faceret: hoc testamento etiam decernens, ut si ipsi *Nishingo* aliqua de concessis à quolibet suorum successorum infringeretur, de Episcopatu unum *Vorwer* eum XX. litis & XII. aratris ei concederetur. Super hæc omnia *Werunbardo* suo heredi pelles martherinas, III. uncias auri pro mercede tribuens.

9. Quidam Presbyter nomine *Waldier* cum assensu *Haolds* heredis sui justissimi, quicquid in *Wirnithi* prædij habuit, cum omnibus attinentibus pro remedio animæ suæ parentumque suorum, *Hildivardo* advocato id accipiente in proprium dedit Ecclesiæ, accepitque ab Episcopo *Meinverco* Ecclesiam in *Thietmelli*, cum VI. aratris & unum equum pro uno tal. usque ad vitæ suæ terminum, coram *Conrado* & *Thiederic*o Comitibus & alijs pluribus, hac conditione facta, ut si aliquis sibi auferret concessa, reciperet sua.

10. Alius quidem Presbyter sanctæ vitæ *Vulfdagou* nomine, quicquid proprietatis in *Baddinhusun* habuit, *Meinverco* Episcopo ad dominium Patherbrunnensis Ecclesiæ per suum tutorem cum voluntate heredum suorum *Ymmido* Patherbrunnensis Ecclesiæ advocato id accipiente in proprium tradidit, ea videlicet ratione, ut à domno *Meinverco* Episcopo quædam Ecclesia in oppido *Pumissun* sita cum omnibus ad eam pertinentibus, & pars Ecclesiæ in villa *Balderashusun* sita, quæ ad Episcopatum Patherbrunnensem pertinet, ei ad vitæ suæ terminum concederetur, & post obitum ejus matri suæ ex parte Episcopi omnibus diebus vitæ suæ in *Pumissun* annona daretur.

eur, & si istud beneficium aliquis infringeret vel minueret, sua reciperet.

11. Quidam Presbyter bonæ memoriæ de Rothun *Wecit* nomine per advocatum suum *Hiddin* & voluntate ac desiderio sui heredis *Liutbrannes* quicquid habuit in villa & in marcha *Holthusun* in proprietatem Patherbrunnens. Ecclesiæ ad altare S. *Mariæ* sanctorumque *Kiliani* & *Liborij* dedit, cum omnibus attinentijs & ab Episcopo *Meinverco* hanc traditionem pie accipiente I. familiam in *Riovardesun* usque ad terminum vitæ suæ in præsentia Amulungi Comitis accepit.

12. Quædam sanctimonialis *Haburg* nomine quoddam prædium *Bridi* vocatum, cum omnibus attinentijs & utriusque sexus mancipijs per advocatum suum nomine *Hamaka* cum consensu iustissimæ heredis suæ *Ekkika* ad dominium Patherbrunnens. Ecclesiæ in proprium dedit, omni postposita contradictione, & à domno *Meinverco* Episcopo ejus devotionem clementer attendente III. tal. & unum *Vorwer* *Hunvercushusun* & III. mansos ac XXX. aratra usque ad ultimum vitæ suæ terminum accepit, potestate sibi data recipiendi sua, si aliquis auferet concessa.

13. Item quædam sanctimonialis *Hike* nomine ammonitione & petitione *Meinverci* venerabilis Episcopi cum consensu fratris sui *Wegonis* iustissimi heredis, quicquid proprietatis in *Spurca*, & in *Adana*, & *Bocla*, *Lindunburin*, *Rokinhusun* habuit cum omnibus attinentibus, Patherbrunnens. Ecclesiæ in  
pro-



proprium tradidit, eique Episcopus duas uncias auri & unum tal. denariorum dedit, & XII. aratra ad vitam temporalis necessaria concessit, heredi ejus unum talentum tribuens.

14. Alia quædam sanctimonialis de *Gefike*, *Oda* nomine pro remedio animæ suæ parentumque suorum, quicquid hereditariæ proprietatis habuit in villis ac marca *Colstidi*, *Astanholto*, atq; in *Lanchel*, vel in omni *Patherga* cum consensu ac petitione fratris sui justissimi heredis *Richardi* cum omnibus appendicijs Ecclesiæ *Patherbrunnensi* in proprium tradidit. Unde *Meinvercus* Episcopus misericordia motus, in finitimis locis ad vitam ejus X. aratra decimationis ei concessit, & insuper unam libram inter aurum & argentum & I. poledrum, ac V. victimas, id est, *Fulstinga* fratri verò ejus unum equum dedit: *Hofado* Præposito, *Ecilino* Imperatoris Capellano, *Amulungo* Comite & alijs multis astantibus.

15. Ejusdem quoque professionis & conversationis *Tabake* nomine, cum assentatu *Tiazonis* heredis sui quoddam prædium in *Thietmeressun* & in *Cherdinun*, & in *Sidessun* per petitionem Episcopi *Meinverci* Ecclesiæ dedit, eique Episcopus omnibus annis de episcopali substantia XX. maldros frumenti & LX. modios brasij, & III. bacones, cum totis minutijs dari constituit, heredi ejus dans grifeas pelles & pernam unam.

16. Altera quædam sanctimonialis *Atte* nomine, accepit à venerabili Episcopo *Meinverco* V. talenta auri & argenti & unum pallium & coopertorium vul-

vulpinum, & unum pelliceum martherinum pro alijs VII. talentis, ut quicquid prædij in *Wesiga* possideret, ad dominiũ Patherbrunnensis Ecclesiæ traderet. Super hæc XII. talenta dedit Episcopus heredi, qui & ejus advocatus fuit II. talenta, ut suum consensum adhiberet, & traditionem ex parte ejus perpetraret, & *Hibilina* III. sol. *Acelina* pullum unum equæ *manican*, III. sol. amicis illius, ut ei apud eam auxiliares essent donavit. A quibus domna *Atta* ammonita suo heredi *Abban*, in mallo *Amulongi* Comitis suum prædium, ut per manus ejus ad dominium sanctorum daretur, in proprium reddidit, idemque *Abbo* in mallo eodem Comitis ejusdem curtem quæ est in villa quæ dicitur *Haspan*, & quicquid ipsa habuerat in villis inter *Suntal* & *Asmig* Ecclesiæ coram testibus in proprium dedit. Venerabilia autem Episcopus in eodem mallo per suum advocatum *Amulungum* totum prædium eidem sanctimoniali in beneficium eo pacto præstitit, ut omni anno in festo sancti *Liborij* ad altare ejus II. denarios ad tributum de eodem prædio redderet. Quæ beneficium accipiens tributum devote persolvit. Præcavens autem Episcopus ne ulla postmodum eam anxietas vel molestia paupertatis gravaret, omni anno C. & VIII. modios brassi, III. pernas cum omnibus intestinis, III. amphoras mellis, nonaginta caseos, V. porcos, V. oves, XX. malder dari constituit.

17. Quædam item sanctimonialis *Attule* nomine cum consensu heredis suæ justissimæ *Glismod* nomine, quicquid hæreditatis jure suscepit de suis heredi-  
bus



bus *Sicca* & *Vertherun* nominatis in exercitu Angariorum & in exercitu Orientalium, cum omnibus appendicijs & utriusque sexus mancipijs *Thiadrico* advocato hoc confirmante Patherbrunnensi Ecclesie in proprium dedit. Venerabilis autem Episcopus quendam locum nomine *Crammo* cum X. litis attinentibus ad temporalis vite subsidia ei tribuit, & II. talenta omni anno dari constituit, decernens eam recipere sua, si auferentur ei concessa.

18. Alia quædam sanctimonialis *Liudburg* nomine quicquid in marca *Astheims* hereditatis possedit per suum advocatum nomine *Brun* ad dominium Patherbrunnensis Ecclesie in proprium tradidit, eo pacto, ut ab Episcopo vel suo Vicedomno omni anno darentur ei XXXVI. modij sil. XXI III. modij brasij, LX. casei, III. arietes, una perna, duæ camisia, unum corium hirci, una tunica lanca, pellicum ovium duobus annis quamdiu viveret.

19. Quædam sanctimoniales carne & spiritu sorores *Imike* & *Imuke* nominatae per suum advocatum prædium, quod habebant in *Karalasthorp* cum omnibus attinentijs dederunt in proprietatem Patherbrunnensis Ecclesie. Hac traditione legitime peracta Venerabilis *Meinvercus* Episcopus pia misericordia motus II. talenta eis dedit, & insuper omni anno X. malder frumenti, XXXVI. modios brasij, unam pernam cum intestinis, vel porcum unum faginatam se illis daturum promisit, ea conditione facta, ut reciperent sua, si quis eis unquam minueret vel infringeret concessa.

20. Comes *Doudica* de monte *Wariberch*, ut prædictum est, pellicem duxerat, non quam de mala bonam, de fornicaria castam faceret cum Propheta *Osee*, sed quam de sanctimoniali adulteram & filiam gehennæ duplo faceret quam se. Horum filius annos pubertatis attingens arma sumere disposuit, & ascenso equo repente dorso ejus dejectus & morsibus ejus atrectatus & calcibus contusus miserabiliter expiravit. Comes autem de solario hoc prospectans pellicem ilico advocavit, & quoniam literis adprime imbuta fuit, quæ virtutum omnium excellentior cæteris esset ab ea inquisivit? Qua veluti sterquilinum pretiosam reddente margaritam, cum in omnium multimoda assertionem & laudabili prosecutione & commendatione *patientia*, virtutem perseverantis *constantia* magnanimitatem dignis præconijs imitabilem affirmasset, eam inquit Comes virtutem, quam imitabilem dignitatis suæ merito adeo commendas, tu primitus serva, & accedens foras prospecta: qua prospectante filium suum obijisse vidit.

Tandem Comes divina inspiratione, & assidua Episcopi ammonitione compunctus, pro remedio & commemoratione animæ suæ tempore accepto ad altare sanctissimæ Dei genitricis *Maria* & *S. Kilians* Martyris, & *S. Liborij* confessoris cum consensu matris suæ *Hildigunda* heredis suæ primitivæ, fratrisque sui *Sigobodonis* assensu, suæ proprietatis prædia sita in his locis *Wartberge*, *Rainlesessun*, *Erungun*, *Radi*, *Radi* in superiori *Wurmlahun*, *Rothē*, *Garametti*, *Rorwar deshusun*, *Hlandehusun*, *Silihem*, cum omni-

bus



bus eorum appendicijs & octo molendinis, cum eunctis quæ nominari queunt vel nequeunt, & tamen in eis sunt, vel fieri possunt utilitatibus, exceptis ministerialibus ejus hominibus *Eilbehrt, Randunigh, Acelin, Gela, Doda, Hoika, Isi, Anza, Tamma, Fbnke, Huzle* cæterisq; mulieribus ad gynæceum ejus tunc assumptis non ulterius assumendis in proprium dedit, ea ratione & pactione interposita, ut quousque Patherbrunnense Monasterium maneret incolume, pro eodem *Dodicone* Sacerdoti, Diacono atque Subdiacono cotidie missam publicam celebrantibus, stipendialis refocilatio, quæ convenit uni fratri constipendiali ejusdem Ecclesiæ dari, daretur: si autem ab Episcopo vel Præposito missa publica celebraretur, eadem stipendialis refocilatio pro animæ ejus remedio inter XII. egenos divideretur. Cum vero idem *Dodico* Comes obiisset, in omnigena commemoratione, quam pro ejusdem Ecclesiæ Episcopo agere consuetudo est, pro eo celebraretur in missarum & psalmodiarum celebrationibus luminumque incendijs, eulogiarumque donationibus, centenorumque pauperum refocilationibus, & in omnibus, quæ in ejusdem loci Episcopi annuali depositionis die convenit agere. Hac traditione & pactione peracta coram altari sanctissimæ Dei genitricis *Mariæ*, domnus *Meinwercus* Episcopus cum advocato suo *Amulongo* pro eodem prædio eidem *Dodiconi* in precariam præstitit, quicquid in *Desburg, Astnedere, Westnedere, Dalpanhusun, Dueriun, Uflahun, Rasbike, Silihē, Wepplich*, ad Patherbrunn, Ecclesiæ proprietatem pertinebat.

bat, atque eandem traditionem, quam ad altare dederat, concessit, ut uterque dum ipse viveret traditionis & precariæ usufructus uteretur: eo autem mortuo traditio & precaria Ecclesiæ similiter restitueretur, exceptis tribus ministerialibus viris *Tiaxone*, *Bennone*, *Mainzone*, ac duabus familijs in *Wepthi* habitantibus & ad *Heristelle* pertinentibus, quas ei in precariam non concessit. Hæc autem traditio tali tenore facta est, ut si aliquis ei de concessis aliquid infringeret, sua reciperet.

*Meinverc egregie, Prasulum eximie,*

*Quæso vivas hodie in æterna requie:*

*Judex orbis cum veneris mercedem dare famulis,*

*Cum ovibus in dextera, nō cum hedis hunc colloca.*

*Talistsui in tuis affectus sit Christe tibi acceptus.*

*Qui eos dilexit propter te, per eos non aliud adipisci  
sperans quàm te.*

21. Comes quoque *Sigibodo* frater ipsius *Dodiconis* Comitis cum sua contextuali *Weldilmod* pro remedio & commemoratione animarum suarum cum consensu heredis suæ *Hildigunde* unam curtem, quæ nominatur *Liudulfingaroth* cum omnibus attinentijs Ecclesiæ *Patherbrunnensi*, in presentia Imperatoris *Heinrici* tradiderunt atq; ante altare sanctissimæ genitricis *Mariæ* eandem traditionem cognoscendo reiterarunt. Episcopus autem *Meinvercus* cum suo advocato *Amulungo* quoddam prædium, quod nominatur *Curbike* cum XVII. familijs & l. molendino eis in precariam præstitit, ut quamdiu uterque viveret precariæ usufructu uteretur,

E tur,



tur, illis autem obeuntibus in integrum ad altare præ-nominatum restitueretur, reciperentq; sua, si aliquis unquam infringeret concessa.

22. Quidam nobilis homo *Northinc* nomine quoddam prædium in *Biveran* cum omnibus appenditijs annuente matre sua herede iustissima *Eskan* dicta in proprium *Patherbrunnesli* Ecclesiæ dedit, & à venerabili *Meinverco* Episcopo hoc pie perpendente decimationem in *Warpeßun* pro suo servitio in beneficium accepit, *Conrado*, *Amulungo* Comitibus cum alijs multis assistantibus.

23. Alius quidam nobilis *Luitbardus* nomine quicquid habuit in villa & in Marca *Fruxlevu* in exercitu *Asterluidi* & in pago *Herboga* cum utriusque sexus mancipijs & omnibus attinentijs pro remedio animæ suæ parentumque suorum Ecclesiæ dedit, eiq; Episcopus *Meinvercus* pro dono pallium unum pro IIII. libris, unam unciam auri, & X. libras denariorum tribuit, in præsentia *Udonis*, *Bennonis*, *Amulungi*, *Herimanni* Comitum & aliorum multorum.

24. Item quidam nobilis *Hemuca* nomine quoddam prædium in *Curbike* pro spe suæ salutis & incolunitatis Ecclesiæ contulit. Post obitum vero ejus *Reinhardus* & *Humburga* heredes ejus legitimi traditionem factam infringere & infirmare voluerunt, sed acceptis ab Episcopo tribus talent. denariorum in vigilia S. *Bonifacij* in *Wartberge*, quod factum fuerat ratum dimiserunt & fecerunt.

25. Alius itidem secundum sæculi dignitatem nobilissimus *Esic* nomine de *Mesheri*, cum consensu ac  
peti-

B. M E I N W E R C I.      51

petitione patris sui heredis justissimi *Thiarmari* quicquid hereditatis vel proprietatis habuit in villa *Nederi* ac marca cum omnibus attinentibus in ædificijs, molendinis mancipijs, exceptis his III. *Wicil, Sicca, Becca, Afake*, Ecclesiæ Patherbrunn. in proprium tradidit, Episcopus autem ad tantam devotionem misericordia motus, in finitimis locis ad vitam tam filij quam patris XX. familias inter *Essiberg & Duergian* donavit: omneque etiam illorum beneficium videlicet nummorum XXXIII. talenta in decimatione & aratris comparatâ sine servitio concessit, atque omni anno de *Fovesti Reinherishusun* duos porcos filvaticos & duos cervos & duas cervas dari constituit; & insuper XX. libras den. ei dans, patrem ejus in fraternitatem Patherbrunnens. Ecclesiæ suscepit coram *Amulungo, Herimanno, Thiadrico* Comitibus & alijs multis: potestate sibi data recipiendi sua, si aliquis auferret concessa.

26. Quidam nobilis item *Wicbran* dictus cum voluntate ac desiderio uxoris suæ *Tettan* ejusque justissimæ heredis *Eican* pro remedio animæ suæ parentumque suorum quicquid proprietatis habuit in villa ac marca *Thiavvardeffun* ad Ecclesiam dedit: Episcopusque solita benignitatis suæ gratiâ præfate domnæ *Tetta* duas martherinas manicas cum pallio ornatas, unum lineum pannum, & unum equum pro dono tribuit.

27. Ejusdem nobilitatis, fidei, & carnis quidam *Ridund* nomine cum assensu contextualis suæ *Siburg* fratrisque ejus *Rimis* quicquid proprietatis habuit



in *Sreinnem*, in pago *H. Ssun* cum omnibus utilitatibus ad eundem locum pertinentibus, omni contradictione remota ad dominium Patherbrunnens. Ecclesie tradidit: Episcopus autem in Annunciatione sanctissime Mariæ, testimonio *Herimanni de Werla*, *Ekkika de Aslan*, *Bennonis*, *Tammonis*, *Herimanni minoris*, *Liutgeri*, *Sifridi*, *Bernhardi* Com. in *Milinhufun* unum equum, unum coccineum dorsale, & pelles griseas pro VII. talentis eidem dedit, & postea in *Goslar* II. Jd. Maij in Ascensione Domini duas uncias auri, duo pellicea grisea pro duobus talent. III. marcas & II. talent.

28. Item nobilis quidam *Volcwardus* nomine consensu uxoris suæ *Verthevvi* duos mansos in *Westnederi* pro remedio animæ suæ Patherbrunnens. Ecclesie *Erphone* & *Ekkika* Comitibus cum multis astantibus in proprium dedit, & in natali S. Magni Martyris in *Wartberge* XXXIII. sol. den. & V. den. aureos, & unam pernam ab Episcopo accepit.

29. Quidam alius nobilis *Isier* nomine in præsentia *Bernhardi* Ducis Ecclesie contulit, quicquid proprietatis in *Bennanhus* habuit, & pelles rufas ac xxxv. sol den Episcopo largiente accepit.

30. Quidam miles *D. Brun* nominatus, cum suæ mepre *Ida* nomine, suæ prædia in *Sutdesburch*, & *Betanun Wallenstide* cum omnibus appendicijs dedit quodque Ecclesie pro spe remunerationis æternæ, & pro remedio animæ fratris sui *Thiatmari*, eo videlicet pacto, ut quamdiu viveret, beneficium quod ei Episcopus concessit, hoc est *Boffesun* & *Hemmedesun*

sun cum omnibus appendicijs possideret, hac conditione *Ymmidi, Dodike, Volchari* Comitum test. monio interposita, ut si aliquis sibi concessa auferret, sua reciperet.

31. Quidam liber homo *Roddech* nomine dedit Episcopo suæque Ecclesiæ *Patherbrunn*. quoddam prædium in *Othihem* & accepit ab eo equum unum pro I. talent. XXX. sol. denar. pelles & scutum unum.

32. Item quidam liber *Alfric* nomine dedit Episcopo XX. agros & aream in *Aldenthorpe*, & ob hoc dati sunt ei & uxori suæ caballus unus, XII. sol. den. II. lanei panni, II. perna, VI. malder frumenti.

33. Miles quidam *Wigo* nomine quoddam prædium in marca quæ vocatur *Aheressun* in proprietatem *Patherbrunn*. Ecclesiæ tradidit, & ab Episcopo in eo solo anno X. aratra decimationis & X. siclos den. in præsentia *Wimonis Helmuwardeshusensis* Abbatis, *Hofadi* Præpositi, *Amulungi*, *Erphonis* Comitum & aliorum multorum accepit.

34. Alius quidam miles *Bruno* vocatus divina inspiratione instinctus consensu *Wendelburgis* suæ conjugis quicquid habuit in marcha quæ vocatur *Ananroib* in mancipijs utriusque sexus & attinentijs omnibus ad dominium & proprietatem *Patherbrunnens.* Ecclesiæ tradidit, & ab Episcopo hanc traditionem benignè suscipiente III. aratra in beneficium accepit in præsentia *Hofadi* Præpositi & aliorum multorum.

35. Vir quidam *Bevo* nomine cum consensu uxoris suæ & filiorum suo: um *Meinhardi, Lintgeri, Rodulfi* heredum ejus justissimorum quoddam prædium *Pather-*



Patherbrunn. Ecclesiæ in proprium dedit & ab Episcopo pro hoc benefacto misericordia moto V. talenta accepit. Postea dominus Episcopus per nuntium suum *Thrudbertum* eidem *Bevoni* unam libram demisit. *Bennone*, *Amulungo* Comitibus cum multis alijs huic rei testimonium perhibentibus.

36. Item vir quidam *Hola* nominatus divina inspiratione præventus pro requie animæ fratris sui *Gerberti* mortui, & pro memoria filij sui *Rainoldi*, qui tunc in Ecclesia Patherbrunn. litteralibus studijs operam dabat, quicquid ipse *Gerbertus* vivens possederat in his locis *Ammohusunet* in *Thumishi* & in *Langal* & in *Maarefælde* & in *Salminghusun* Patherb. Ecclesiæ dedit, Episcopus vero eidem *Rainoldo* pro suo servitio *Dudo* in beneficium postmodum præstitit.

37. Quidam nobilis *Ecilin* nomine cum filio suo *Meinhardo* herede justissimo quicquid habuit hereditatis & proprietatis in *Harun* cum VIII. mancipijs & omnibus attinentijs ad dominium Patherbrunn. Ecclesiæ tradidit. Episcopus autem prænominato *Ecelino* omni anno XL. malder frumenti, III. pernas sine minutijs, V. oves de episcopali substantia dari constituit, & filio ejus unum caballum, unum lineum pannum, X. malder frumenti, II. pernas dedit, potestate sibi data recipiendi sua, si unquam aliquis auferret concessa. Homo quidam nobilis *Walberth* nomine XLIV. agros & unam aream in loco *Bihisti* consensu heredis suæ *Adalgart* Ecclesiæ tradidit: Episcopus autem cum suo advocato *Amulungo*, cuidam libero

libero homini *Wizo* nomine & suæ uxori filia *Walberti*, & si ipsi filios vel filias genuissent, eisdem sub Mundiburdio præfati Episcopi vel successoris ejus permanentibus, ipsum prædium & ad hoc omne beneficium, quod idem *Wizo* habebat concessit, hac conditione facta, ut si quis illorum sub Mundiburdio Episcopi vel successoris ejus servire noluerit, Episcopus vel successor ejus prædium cum beneficio recipiat, & insuper quisquis illorum alium supervixerit, omni anno II. denarios Episcopo ad tributum persolvat.

38. Item nobilis vir, nomine *Wilheim* pro remedio animæ suæ parentumque suorum quoddam prædium in *Levardishusun* Ecclesiæ dedit, & ab Episcopo equum I. pro XXX. sol. II. tal. & insuper X. sol. in præsentia *Udonis*, *Sifredi*, *Amulungi* Comitum accepit.

39. Alius itidem nobilis nomine *Richardus* pro animæ suæ parentumque suorum remedio, quicquid hereditatis vel proprietatis habuit in villis ac mercatoribus *Gladabiki*, *Hiridechassun*, *Hemmamhus*, *Hersifi*, *Perrenhus*, *Dailanhus*, aut in omni orientali exercituum consensu ac petitione sui justissimi heredis *Wivis*, cum omnibus appendicijs dedit Ecclesiæ: & Episcopus hoc prædium perpendens, astante *Bernhardo* Duce, *Conrado*, *Amulungo*, *Thiadrigo* Comitibus & alijs multis, unam curtem quæ vocatur *Betanun*, cum XVI. familijs, & XX. aratra decimationis ei concessit omnibus diebus vitæ suæ; recipiendi sua dans ei potestatem, si quis ei cum attinentijs præfatâ auferret curtem.



40. Alius quoque nobilis quidam *Lindulfus* nomine cum consensu fratris sui *Wickeri* & conjugis suæ *Suanebildis* quoddam prædium dictum *Welmsthe Patherbrunn*, Ecclesiæ tradidit, & ab Episcopo piè hoc accipiente XV. talent. argenti & XX. aratra in pago *Wessiga* cum uxore sua accepit, postea Episcopus eum ad Militem suscipiens, XXX. aratra in prædicto pago in beneficium dedit, ea ratione, ut in expeditionem IIII. scuta transmitteret, & si à servitio se unquam alienaret, xxx. aratra redderet.

41. Item nobilis quidam *Lintthardus* nomine & uxor sua *Norhsuit* consensu *Eldaches* & *Badon*, *Wichalles* heredum suorum quicquid hereditatis propriæ habuit in *Brochusen* in pago *Thietmelli*, Ecclesiæ contulerunt & ab Episc. ipsum prædiū cū IIII. aratris in *Smithessun* in beneficiū ad terminū vitæ suæ eo pacto receperunt, ut quā diu aliquis illorum viveret II. den. pro cēsu daret.

42. Vir quidam *Ricmarus* nomine consensu fratris sui atque heredis justissimi *Hrohtward* quicquid hereditatis in *Volkjereshusun* habuit, cum omnibus attinentibus pro remedio animæ suæ Ecclesiæ tribuit, & ab Episcopo quendam locum cum IIII. mansis *Niganbrunnun* vocitatum, & decimationē super villa nomine *Dodanhusun* excepta curte, quamdiū viveret accepit, & I. caballum, & uncia auri, & I. scutum, & I. lanceam, illi & fratri suo super hoc dedit, scripto discernens eum recipere sua, si quis ei auferret concessa.

43. Alter quidam Christianæ religionis cultor & amator mansum unum vel quicquid proprietatis in *Silon* habuit, annuente *Bennone* Comite & filia sua ad dominium *Patherbr*, Ecclesiæ tradidit: Episcopus

autem misericordia motus eidem de *Heristelli* mansum unum & II. aratra ad terminum vitæ suæ concessit, & insuper I. pernam & poledrum unum in præsentia *Amulungi* Com. & aliorum multorum tribuit.

44. Quidam vir *Erp* nominatus devotioni aliorum est annumeratus, qui consensu uxoris suæ *Tetta* & matris suæ *Enusa* quicquid hereditatis in *Efikessun* possederat pro spe suæ salutis & incolumitatis Ecclesiæ obtulit, & ab Episcopo xx. aratra in *Eliereffun* & finitimis locis in beneficium suscepit: gratuito sibi ab Episcopo datis uno caballo & LX. maldris; uxori verò suæ duobus talentis in præsentia & testimonio *Amulungi* Com. & aliorum multorum: hoc decernens ut sua reciperet, si quis ab eo concessa sibi abstraheret.

45. Alius vir quidam *Bennaka* consentientibus hereditatis suæ legitimis heredibus, fratre suo videlicet *Godica* & filio *Godiscalco*, quoddam prædium in villa *VViriefi* situm in pago *Auga* in Comitatu *Bennonis* Comit. pro remedio animæ suæ parentumque suorum ad *Patherbrunn*, Ecclesiæ dominium delegavit. Unde Episcopus dedit ei ad temporalis vitæ subsidium XI. aratra in *Baddanhusun*, in *Ahus* VIII, in *Heleckiereffun* X. aratra, in *Badnellun* V. aratra & dimidium, in *Bodekerithorpe* VIII, in *Cuadian* X, in *Geradessun* VII, insuper II. tal. denar. III. cervisias, III. pernas, XX. mald. avenę, Comit. *Erp* in *Wartberge* cum multis præsentibus, & his rebus testimoniū perhibente.

46. Item quædam *Imuca* nomine consensu & voluntate filię suæ *Herisuithe* quicquid hereditatis in villa & in marcha *Asthem* & *Ecla* habuit, cum omni-



bus attinentibus Ecclesiæ contulit, & ab Episcopo cum præfata filia IIII. familias in beneficium accepit, & omni anno de Episcopali substantia unam plenam cervissam, VI. maldros, unam pernam. De hac autem traditione talis conditio coram *Hofado* Præposito, *Hecelino* Capellano, *Amulungo* Comite, & advocato alijsque multis facta est, ut si filia ipsius superviveret, prædium Ecclesiæ recognosceret & dimitteret, & IIII. familias cum prædio & VI. maldris optineret usque ad terminum vitæ suæ: & si aliquis hoc intringeret, illa sua reciperet.

47. Quidam vir *Ranvvard* cum laudatione fratrum suorum *Volckjeres* & *Ekkionis* quoddam prædium in *Bikibusun* Ecclesiæ tradidit, & ob hoc illis Episcopus equum unum, II. boves, IIII. solid. denariorum in præsentia *Amulungi*, *Gerberti*, *Ekkike* Comitem donavit.

48. Duo fratres *Vvra* & *Hemuca* nominati consensu & voluntate parentum suorum mansum unum in *Stenlari* cum uno viro cujus nomen est *Buna* ad Ecclesiam tradiderunt, & ab Episcopo cappam martherinam, II. equos, XXII. solid. denariorum multorum testimonio acceperunt.

49. Vir quidam *Ethelier* nomine cum voluntate uxoris suæ *Wicwithe*, quicquid proprietatis in *Diefna* habuit cum omnibus attinentijs in proprietatem *Patherbrunnens.* Ecclesiæ tradidit, & Episcopus misericordia motus eisdem pallium unum pro VII. libris & VI. uncias auri, XVII. libras argenti, IIII. solidos denarior. astante *Amulungo* Com. & alijs multis in *Ekvvardinhusun* pro mercede illis tribuit.

50. Quidam bonus laicus *Tidierus* nomine, quicquid proprietatis habuit in *Bulibem* in pago *Soraveldæ* cum omnibus atinentijs pro remedio suæ animæ, parentumque suorum sine omni contradictione cum assensu & voluntate heredum suorum dedit Ecclesiæ, accepitque ab Episcopo in beneficium in præsentia *Hofadi* Præpositi, *Amulungi*, *Thiedrici* Comitum VI aratra decimationis in prædicta villa *Bulibem* & *Furmessun* usque ad terminum vitæ suæ.

51. Duo fratres *Lindric* & *Becelin* nominati, cum *Wicilino* quicquid proprietatis in *Halogokircan* habuerunt, cum voluntate domnæ *Helmburgæ* heredis justissimæ ad Ecclesiam dederunt, & 1111 libras denariorum à venerabili Episcopo pro mercede acceperunt.

52. Vir quidam *Tiedi* nomine, LXX. agros in *Biliveldæ* hereditario jure possedit, quos cum duabus areis assensu & voluntate matris suæ *Wilburgæ* in proprietatem *Patherbrunnens.* Ecclesiæ contulit. Episcopus autem propter illam traditionem ipsum *Tiedi* ad nutriendum in suum *Mundiburdium* suscepit, & matri suæ omni anno unam laneam tunicam, unam camisiam, unam pernam, I. malder caseorum, VII. maldros frumenti, XXX. modios brasij, & in 1111 anno unum pellicium ovinum in festivitate *S. Andreae* se daturum promisit, in præsentia *Amulungi*, *Ekkika* Comitum, & aliorum multorum.

53. Alius vir quidam devotionis ejusdem *Radulf* nomine pro remedio animæ suæ parentumque suorum cum consensu & affirmatione *Ricbrechtes* heredis



dis justissimi quendam litum *Burghardum* nominis cum omni sua familia & manso uno in loco qui *Went* dicitur, in pago *Almunga*, in Comitatu *Ekkikonis* in proprium dedit Ecclesie: Episcopus autem pro æterna remuneratione concubinae prædicti *Radulfi* quæ *Atholoch* dicebatur, omni anno in die circumsisionis Domini V. sol. den. dari eo tenore constituit ut si ipse vel aliquis successorum suorum præfatam pecuniam non persolveret, ipsi *Atholoch* prædictum mansum restitueret, & si nec censum ei solveret nec familiam restitueret, in extremo examine æternis gehennæ ignibus cruciandus perpetuæ damnationi subjaceret.

54. Quidam bonus Christianus nomine *Veribmundus* cum voluntate filij sui *Alfdechis* heredis legitimi XXIII. agros & l. aream in marcha *Caltricki* Ecclesie tradidit, eisque Episcopus ad vitam amborum l. mansum in *Ovorandnergian* ea ratione concessit, quatenus in natali S. *Liborij* III. den. inde persolverent, *Amulungo* Comite cum alijs huic rei testimonium perhibente.

55. Quidam item vir nomine *Hathamarus* divina inspiratione commonitus, quicquid proprietatis habuit in *Erpeffun* in pago *Lachni*, & in Comitatu *Herrimanni* Comitis, cum favore matris suæ *Bezulan* heredis justissimæ eo tenore in proprietatem Ecclesie tradidit, ut sibi soli quamdiu superstes esset omni anno de episcopali substantia III. talenta darentur, & si quis Episcoporum *Patherbrunn*. sedis hoc pactum renueret, eidem *Hathamaro* prædium suum restitueret:

ret: Episcopus autem dedit illi ad conductionem I. equum, I. cuspidem, I. clipeum, vulpinas pelles, griseas pelles, L. sol. denar. matri verò ejus domnæ *Bozzulan* in Cathedra S. Petri unū talent. ut laudaret, *Udone*, *Herimanno*, *Benna*, *Sifrido* Comitibus & alijs multis astantibus.

56. Vir quidam *Hidda* nomine quoddam prædium in *Burchusun* dedit Ecclesiæ, & ob hoc dati sunt ei & uxori ejus II. caballi, II. boves, duo lanci panni, III. pernæ, pelles griseæ, V III. sol. denar. III. sol. XII. modij frumenti, solidus unus.

57. Alius vir quidam de loco quodam, qui vocatur *Wittsungan* nomine *Wicil* dedit Episc. *Meinverco* prædium quoddam in *Othibem*, & ob hoc accepit ab eo I. martherinam tunicam pro L. sol. & III. talenta den. & X. sol.

58. Vir quidam *Herimannus* nomine de *Holthusun*, accepit in *Patherbrun*. XXX. fol. quos dedit cuidam viro nomine *Tada* pro domo una, quam dederat Ecclesiæ.

59. Alius vir quidam nomine *Amulung* accepit de Episcopo *Meinverco* X. sol. & unam mulierem ad deferendum cuidam sanctimoniali in *Mescheths* pro duobus pueris quos ab ea optinuit.

60. Item *Adalward* in *Hechti*, & *Rumold* in *Hein-gahusun*, & *Benna* sua prædia in *Immedeshusun* Episcopo tradiderunt, & hanc traditionem testimonio *Herimanni* Comitum & aliorum multorum legitimam & firmam fecerunt.

61. Vir item quidam *Wicbrandus* nomine, consensu



senſu conteſtalis ſuæ *Tetta* quoddam prædium in loco, qui dicitur *Hemmicanbuſun* cum omnibus attinentijs, ut deleret peccata ſua, II. nonas Nov. Eccleſiæ *Patherbrunn*. dedit, eiq; Epifcopus pelles martherinas & unum pallium pro VIII. talent. tribuit; & quamdiu viveret XV. aratra ſub tali conditione dari conſtituit, ut ſi aliquis ſibi conceſſa infringeret, ſua reciperet.

62. Quidam fidelis *Godeſcalcus* nomine cum conſenſu heredis ſuæ *Hemmedeſſun* nomine, *Patherbrunn*. Eccleſiæ VII. manſos in proprium dedit, accepitq; ab Epifcopo unam cappam grifeam XII. tal. C. *maladros*, VIII. pernas, *Thiedrico*, *Ekkika* Comitibus cum alijs multis in *Nihem*, ubi hæc traditio facta eſt in vigilia S. *Gertrudis* virginis, altantibus.

63. Item fidelis quidam *Aethelhardus* nomine cum ſui heredis juſtiſſimi *Luicican* aſſenſu & voluntate I. manſum in marcha *Liſtungun* cum omnibus attinentibus dedit Eccleſiæ, eique Epifcopus miſericordia motus VI. marcas cum IIII. libris in præſentia *Hofadi* Præpoſiti, *Amulungi* Comitum & aliorum multorum pro mercede reſtituit.

64. Quidam item fidelis *Hildelin* nomine per conſenſum ſuæ conteſtalis *Oda* & heredis juſtiſſimi ipſius *Arnoldi* unam aream & XL. jugera cum omnibus appendicijs in pago *Nitherga* in villa quæ dicitur *Holthuſon*, & *Arnoldus* cum conſenſu ſuæ matris ejuſdem *Oda* & prædicti *Hildelini* unum licum in pago *Almunga* in villa quæ vocatur *Barghuſon*, & ſua uxore & filio, & cum omnibus quæ tunc habuit in area

B. M E I N W E R C I. 63

area quoque & prædio & omnibus ejusdem prædij  
 appendicijs pro acquirenda decimatione super vil-  
 lam *Emiggarothun* Ecclesiæ in proprium tradidit.  
 Quod Episcopus pie accipiens prædicto *Hildelino* &  
 suæ contestali *Oda* & *Amalde* omnibusque posteris  
 ejus eandem decimationem pro prædicto prædio  
 per suum advocatum *Amulungum* dedit. Hæc tradi-  
 tio III. nonas Nov. primum facta, IIII non. Jan. ite-  
 rata & confirmata est, consententibus ibidem Archi-  
 episcopo *Hunfrido*, *Siberto*, *Hildwardo* atque *Lin-  
 zone* Episcopis, & astantibus *Fratherico*, *Gerberto*, &  
*Thiadrico* Comitibus.

65. Item quidam fidelis Christianus nomine *Ara-  
 ca* de *Corbeia* fuit, qui cum voluntate filij sui *Tuballes*  
 heredis justissimi unum agrum in orientali litore  
 fluvij *Wisara* prope *Huxeri* omni contradictione re-  
 mota Ecclesiæ dedit.

66. Quidam vir nomine *Wlfheri* XV agros,  
 quos cum uxore sua in loco qui *Wlfreshusun* dicitur,  
 proprietario jure possedit, nimia paupertate con-  
 strictus cum consilio & voluntate uxoris suæ & here-  
 dum suorum Ecclesiæ contulit, eisque Episcopus pro  
 amore Christi pro illis XV agris unam libram dena-  
 riorum persolvit.

67. Quidam vir *Thiadold* nomine unam aream &  
 XV III agros in quodam oppido, quod dicitur *Wsc-  
 berneshusun* habuit, & nimia egestate compulsus, pro-  
 pter inopiã ipsam aream cum ædificijs & ipsis XVIII  
 agris cum omni utilitate attinente cum consensu &  
 voluntate uxoris suæ *Redmodæ* & filij sui *Athalwardæ*  
 justif-



justissimi heredis Ecclesie in proprium tradidit, & Episcopus pro amore Dei prænominatis xxx. sol. & l. pernam cum totis minutijs dedit.

68. Quidam pauper vir de *Halogokircun* cum sua contectali l. aream & xx agros Episcopo *Meinverco* dedit, & ob hoc ab Episcopo aream l. pernam l. tal. l. den. V. malder frumenti & ll. laneos pannos accepit.

69. Quidam vir *Alfdegus* nomine nimia penuria coactus quicquid hereditatis in marcha *Hodanhusum* possederat, cum voluntate filij sui *Lindulfi* Ecclesie tali tenore tradidit, ut quamdiu viverent ambo de Episcopi eleëmofyna alerentur: Episcopus autē hoc piē rependens, constituit eis dari cotidie ll. panes, l. bicarios de cervisia, sabbatho dimidium caseum, dominica & alijs festis diebus ll. carnes, & omni anno ll. laneos pannos, unum siclum denariorum.

70. *Thietmarus* senior frater *Bernhardi* Ducis Saxonie vir in hoc mundo valde idoneus fuit, sed tantum vicijs plenus, quantum rebus, superbia tumidus in acquiendis rebus avaritie facibus accensus. Denique contra jus & fas ubique fidelium res invadens & diripiens, inter cetera tyrannidis sue opera quodam tempore iter suum ad Monasterium *Hervordid* direxit, faciensque ibi magnam munitatem, sanctorum ibidem requiescentium & sue sororis abbatisse nomine *Godesti*, & congregationis sancte Mariæ thesaurum confregit & inde plus justo pecunie detraxit. Postea ad Synodum secundum Canonicam constitutionem ab Episcopo *Meinverco* vocatus ad corri-

gen-

gendum commissâ est ammonitus. Quo salubriter compuncto & utiliter correcto constitutum est, eum Episcopo dare xxx. tal. denariorum. Illo autem pecunia pondus tantum non habente, omne prædium quod habuit in *Bruninethorpe* cum omnibus appendicijs, cum consensu & voluntate sui heredis *Bernhardi Ducis* atque fratris sui, ad dominium *Patherb. Ecclesiæ* pro reconciliatione illius pecuniæ in proprium dedit. Hanc traditionem Episcopus banni sui munimine firmavit, *Udone, Herimanno, Bernharde, Liudero* Comitibus & alijs multis assistentibus.

71. Quidam viri de *Scerne Aethelbern, Ecilin, Heriward* nominati, hominem quendam pertinentem *Herisi* casu fortuito occiderunt, & ne publicè prosciberentur, & res eorum diriperentur, se cum omni substantia sua ad dominium *Patherbrunnens. Ecclesiæ* in proprium tradiderunt. Venerabilis autem Episcopus factus eis turris fortitudinis à facie inimici, dissidentes legitime pacificavit, & homicidium factum ad *Ecclesiam Herisensem* cum octo libris persolvit.

72. Vir item quidam *Sigibodo* nomine adversus *Ecclesiam* fortuito plus iusto excessit, sed Dei favente gratia compunctus & correptus pro emendatione legitima cum assensu & voluntate uxoris suæ *Embitan,* & heredum suorum, quædam prædia *Vilisi, Vesperdun, Hodingahusun* in proprietatem ejusdem *Ecclesiæ* contulit.

75. *Retharius* venerabilis Episcopus, præfulis venerandi *Meinwerchi* prædecessor, quendam mansum cuidam



cuidam viro nomine *Issca* in beneficium dederat quem quamdiu vixit in quieta mansione & legitima possessione tenuit, filiusq; ejus *Ecelinus* nomine possessorem cum quasi hereditarium accepit, quousque peccatis exigentibus de sacrilegio quodam convictus fugam iniit. Quo comperto Episcopus *Meinovercus* a fratre suo *Ecelini*, & uxore ejus *Demoda*, atque cognatis super predictam hereditatem Ecclesie requisivit: quibus prout possibilitas eorum fuit diu resistentibus, & ad ultimum convictis juste & spontaneè quod per multa tempora injuste tenebant, reddiderunt, & insuper VIII. agros quos hereditario jure possederant Ecclesie dederunt: Episcopus autem consueta sibi Benivolentia devotioni eorum congaudens, unam cappam martherinam, I. pannum lineum & VII. sol. denarios in presentia *Ansulungi* Comitis, & aliorum multorum eis tribuit.

74. *Ekkibrath* quoque miles marchionis *Bernhardi* quoddam prædium juri suo vendicavit, quod coram Duce *Bernhardo*, marchione *Bernardo*, *Thiataro*, *Thiedrico*, itemque *Thiedrico*, *Luidulfo*, item *Luidulfo*, *Tancmaro*, *Sifrido*, *Esico*, *Lindero*, *Henrico*, item *Henrico*, *Vertherico* Comitibus, *Thiedrico* quoque Comite milite Episcopi, in *Mersburg* curte regali Episcopo *Meinoverco* remisit.

75. Quidam itidem vir *Ibo* nomine cum uxore sua quoddam prædium dedit Ecclesie, recepitque ab Episcopo post assumptionem sanctæ Mariæ duas familias, duos equos, duos boves, duas vaccas, decem oves, duo pellicea, pelles vulpinas. XIII. den. auri, III. pernas, unum pannum lineum ac duas familias.

76. Vir quidam nomine *Reinhardus* & sua contentalis *Ricmod* traditionem de quodam prædio in *Sidiginehusen* infringere voluerunt, sed acceptis ab Episcopo in reconciliationem III. libris denariorum & una familia in *Suinvellun*, omni contradictione postposita pacati quieverunt.

77. Suprema quoq; reconciliatio prædij de quo diutissime rixati sunt Episcopus & *Godebold*, & uxor sua *Liutrud* facta est XVII. Kal. Octobr. in *Witthem*, ubi Episcopus unum clericum nomine *Redbern* & unam mulierem eis in reconciliationem dedit, ipsiq; cum voluntate filij eorum *Godoboldi* coram *Amulungo*, *Gerberro*, *Thiadrigo* Comitibus prædio omnimodis renunciaverunt.

78. Quædam nobilis mulier *Idike* nominata prædium in *Essiki* & *Limburgam*, quod ei quidam vir nobilis nomine *Thiedericus* in proprium delegavit per consensum justissimi heredis sui *Roddaches* filij ejus, omni contradictione remota cum omnibus illuc pertinentibus in proprietatem *Patherbrunnens.* Ecclesiæ tradidit: Episcopus autem *Meinwercus* misericordia pro hoc benefacto motus prædictæ *Idikan* III. tal. pro karitate dedit, & per interventum ejus, & petitionem præfato *Thied.* *Limburgam* in beneficium ad terminum vitæ suæ concessit; insuper omnibus annis III. tal. dari constituit.

79. Alia quædam nobilis fæmina *Vizuca* nomine, in villa quæ vocatur *Haldugon* suum prædium cum consensu suæ heredis unicæ videlicet, filiæ suæ ad Monasterium *Patherbrunnens.* Ecclesiæ dedit, quod



domnus *Meinwercus* Episcopus absque ulla contradictione illa superstitite possedit. Illa autem ex hac vita subtracta *Godobaldus* ipsius Episcopi miles eandem traditionem irritam fieri cupiens, sine generali legum placito & iudicij contradictione. Reliqui vero milites Episcopi inter utrumque paci & karitati providentes, ad hoc usque Episcopum consilij deduxerunt, ut daret ei placando pallium unum, pelles martherinas; IIII uncias auri, VII. libras argenti equum unum, aratra quoque quaedam. Quod in natali S. Agathæ in *Herisi* coram idoneis testibus fecit sicque traditio illa deinceps inconcussa permansit.

80. Quædam item nobilis mulier *Reinke* nomine divino ut credimus ammonita instinctu, cum consensu fratris sui *Haoldes* heredis iustissimi, & uterq; cum alterius laudatione pro remedio animarum suarum parentumque suorum, quicquid proprietatis in *Dandhusun* & in *Thincherdinchusun* habuit, cum omnibus appenditijs, ædificijs, molendinis, & mancipijs quorum nomina hæc sunt *Wecil*, *Doda*, *Becelin*, *Reimbald*, *Azule*, *Gerburg* item *Azule*, *Wankin*, *Weldenburg*, *Engize*, *Thiezike*, *Eile*, *Ode*, *Ikike*, ad dominium *Patherbrunens*. Ecclesiæ in proprium delegavit. Episcopus autem *Meinwercus* hanc traditionem pie accipiens præfata *Reinkan* illam curtem in *Thincherdinchusun*, & omnem decimationem in *Thinkburg*, & in *Lellebki*, & in *Rian*, & VI. familias usque ad exitum vitæ suæ, & insuper VII. talenta donavit, & fratri ejus *Haoldo* ad conductionem II. talenta dedit. Hac conditione in præsentia *Hofadi* Præpositi, *Am...*  
lung

*lungi*, *Gerberti* Comitum, & aliorum multorum Canonicoꝝ & laicorum facta, ut si aliquis constituta infringeret, domna *Reinike* data reciperet. Quidam verò nobilis *Wega* nomine quicquid contradictionis in hac traditione habuit coram Episcopo *Gozmario* ad ultimum voluntarie dimisit, & acceptis ab Episcopo per Presbyterum de *Gesmeri* nomine *Unuca*, II. tal. den. in præsentia *Amulungi*, *Benne* Comitum, quæ facta & data fuerant stabilivit atque firmavit.

81. Nobilis item quædam mulier *Godruna* nomine prædium quoddam *Gelanthorp* dictum, in Comitatu *Bernhardi* Ducis, & in pago *Tilithi* situm, hereditario jure possedit: quod cum omnibus suis appendicijs XVIII. videlicet mansis & utriusque sexus mancipijs, cæterisque lignorum aquarumque utilitatibus pro spe suæ salutis & incolumitatis pro optinendo gaudio sempiternæ joconditatis, Ecclesiæ contulit. Cum autem hæc traditio sine voluntate filij ejus nomine *Hoda* facta fuisset, Episcopus XII Kal. Aprilis in *Mulnhusun* placitum cum eo habuit, & adjuvantibus se *Sifrido*, *Amulungo*, *Ekkiko*, *Thiederico*, *Tancmaro*, item *Ekkiko*, *Tamma*, *Ludolfo*, *Hamuke*, *Wiza* Comitibus, *Eizone* Præposito, *Geza*, *Hiaza* villicis, *Geza* pincerna, *Tamma* advocato de *Hildnesheim*, domna *Sophia*, & alijs multis quæ data fuerant, ab eo renovari & stabiliri optinuit, & ei pro mercede pelles bonas, & VIII talenta tribuit.

82. Episcopatus autem ejus anno nono, Dominicæ verò Incarn. *MXVIII*. quædam vidua nomine *Fretherun* pro gravedine suorum peccaminum & pro



remedio animæ filij sui *Widikini*, per advocatum suum *Thiatmarum* cum consensu heredis suæ *Ancie* curtem *Nederi*, & curtem *Affiberg*, & curtem *Haldugun*, & Ecclesiam, & quicquid in his tribus locis possedit in villis, arcis, aquis, piscationibus, agris, pascuis, silvis, & in omnibus appenditijs & mancipijs in *Nederi* videlicet novem, in *Affiberge* XVIII. in *Haldugun* X. ad dominium & proprietatem *Patherbrunnensis* Ecclesiæ contulit. Ista traditione peracta Episcopus *Meinvercus* eidem viduæ curtem *Haldugun*, cum omnibus suis appendicijs, & curtem *Herrisalli* cum V. equis, & VI. bubus, & XXX. ovibus cum pullis, & XXX. porcis, & cum XX. litis, & XX. aratris concessit, & ad hoc XII. pernas, & XX. maldros tritici, & XXX. urnas vini ei dedit, & omnia hæc eadem in Pascha se daturum illi promisit, & in super dimidium talentum auri, & vulpinum cooperatorium, & canum pellicem donavit, & adhuc *Ancie* filiæ suæ V. litos ad terminum vitæ suæ dedit.

83. Alia quædam matrona nomine *Frietherun* cum assensu filiæ suæ *Anna*, per advocatum suum *Thietmarum* quandam curtem *Haldugun* & in *Essiberge*, & in *Nederi*, cum omnibus appenditijs, pro remedio animæ suæ parentumque suorum Ecclesiæ *Patherbrunnensi* omni contradictione procul remota in proprium tradidit. Episcopus autem tantæ benevolentia & devotioni congaudens, soli domine *Frietherun* omni anno in nat. sancti *Georgij* Martyris VI. pernas cum minutijs, VI. pernas sine minutijs, XX. maldros tritici, XX. maldros alterius frumenti, V. cervi-

cervi-

cervisias, unam carradam vini, X. agnas cum agnellis, V. oves sine agnellis, V. porcos, X. sol. denariorum, ad victum dari constituit, & insuper totam decimationem in *Afnederi*. & unam optimam familiam in oppido eodem, & alijs locis XVI. aratra usque ad exitum vitæ suæ ei permisit: filia vero ejus *Anna* totam decimationem in *Overonbeverungun* quatenus traditionem firmaret, concessit. *Hæc III. K. Febr. in Wiricstali* tenore facta sunt, ut si prædictæ decimationes cum concessis ab aliquo unquam auferrentur tam matri, quàm filia prædia sua restituerentur, & qui violenter his contraireret, divinæ ultioni in examine extremo subjaceret.

84. Quædam domna nomine *Dudica* nimio dolore affecta pro morte viri sui, quicquid proprietatis habuit in *Dorstedi* & in *Lanwardeshusun* & in *Ebanhusun*, cum omnibus illuc pertinentibus exceptis XXX. agris, & una area filijs suis heredibus justissimis *Thiadrico* & *Widuloni* in proprium dedit. Quo facto illi prædicti pueri Dei ammonitione instincti pro salute corporum, & pro remedio animarum suarum ipsa prædia cum utriusque sexus mancipijs, & cæteris omnibus attinentijs in præsentia *Gerberti* Comitis, & aliorum multorum ad dominium *Patherbrunnensis* Ecclesiæ in proprium tradiderunt.

85. Alia quædam domna *Aldun* nomine dedit Episcopo III. mansos: Episcopus in nat. S. *Mariæ* perpetuæ, virginis per *Ethelredun* presbyterum de *Gudulmun* unam libram argenti ad III. annos dedit, postea vero X. quoque solidos, ut omnino præ-



dijs datis abſiſteret, per omnia dans ei II. libras argenti, auri vero unciam unam,

86. Item domna quædam *Gepp* nomine de *Haltborpe*, quicquid hereditatis in *Forſti* habuit cum omnibus ſuis appenditijs conſenſu heredum ſuorum ſine omni contradictione Eccleſiæ dedit, eique Episcopus *Meinvercus* miſericordia motus XXV. libras denar. pro mercede tribuit.

87. Alia domna quædam nomine *Luiſa* ſpe retributionis æternæ prædium quoddam dedit Eccleſiæ, & Episcopus *Meinvercus* dedit *Amulungo* & *Erophoni* Comitibus III. libras inter aurum & argentum, & VII. ſol. denar. ut ipſi hæc darent *Luidbranno* & *Ekkikan* & *Häican* & *Rothverco* heredibus illius, ut traditionem factam laudarent & firmarent.

88. In *Hemmedeſſun* prædium quoddam dedit *Euike* Patherbrunnenti Eccleſiæ, pro quo dedit Episcopus domnæ *Becelan* & filiabus ejus in *Herinordi* in præſentia *Bernhardi* Ducis, *Amulungi*, *Bernhardi*, *Ekkikonis* Comitum & aliorum multorum, III. uncias auri, ut omni contradictione depoſita facta ſinerent eſſe rata.

89. De *Embriki* domnæ *Ibican* dedit Episcopus X. malder decimationum, XXIV. modios braſij II. pernas & duo aratta decimationum.

90. Mulier quædam *Miribilt* nomine quicquid hereditatis in *Heringi* poſſedit per ſuum advocatũ & heredem nomine *Auican* Episcopo & ſuo advocato in proprium tradidit, & ab Episcopo in præſentia *Dodiconis*, *Ymidi*, *Brun* Comitum XII. ſiclos numorum & unam libram, quod eſt talentum, accepit.

91. Alia quædam mulier *Enike* nomine prædium unum in *Hardincborpa* per suum advocatum *Wid-kindum* Ecclesiæ contulit, & ipsum prædium in beneficium tali tenore, ut omni anno unum denarium inde solveret, ab Episcopo recepit, & insuper V. aratra ab eo accepit.

92. Item quædam mulier *Oda* nomine, quicquid hereditatis in *Sivwardessun* habuit, Ecclesiæ contulit & ab Episcopo in præsentia *Conradi, Amulungi, Erp. Thiedrici* Comitum XX. sol. denar. accepit.

93. Quædam sorores *Bosan, Cristina, Ebbican* nominatæ prædia sua in *Thesta, Sidoßsun, Uffanhusun, Effiberch, Ananroth, Walieressun, Suhem, Erpessun, quæ* hereditario jure possederunt per manum *Bernhardi Ducis* ad altare *S. Mariae*, sanctorumq; *Kiliani & Liborij* pro remedio animarum suarum dederunt, & ab Episcopo astantibus *Nithingo, Ranvardo* Præpositis, *Haica* Decano, *Amulungo, Bernharo, Ekkika, Tiamma, Benna, Uda, Herimanno* Comitibus, & Canonicis ac laicis quam pluribus unum martherinum pelliceam pro VI. Tal. unam zebelinam tunicam pro alijs VI. tal. & insuper inter aurum & argentum inter caballos XVIII. talenta pro mercede acceperunt.

94. Item mulier una *Wennikin* nomine assensu matris suæ *Hamoda* & advocati earum *Tadicani* XIII. agros & arcem unam in *Hilimeri* Ecclesiæ dedit, eisq; Episcopus II. boves, unam vaccam, duas libras lanæ, unum caballum tribuit.



95. Quædam item mulier *Oda*, cum consensu maritris suæ *Bechtilda*, & filiorum suorum *Gerhardi* & *Thierhaldi* unam familiam, & LX. agros in *Asopa* Ecclesiæ tradidit, eique Episcopus *Meinvercus* II. talent. & dimidium tribuit, & ad finem vitæ suæ filiorumque ejus *G. & T.* unam domum cum XXX. agris in *Patherbrunno* distribuit, & ad hæc omnia ei in inventionione *S. Stephani* XXX. denarios auri, & unum talent. denariorum dedit.

96. Alia quædam mulier *Hathaburgis* nomine omnem hereditatem suam contulit Ecclesiæ, quam *Atholfus* miles Colonienf. Archiepiscopi cum uxore sua nomine *Hicila* infringere & infirmare laborans, ab Episcopo pro negotio proprio Romam ituro XV. talenta & IV. mansos, cum XX. mancipiis quorum unusquisque V. siclos argenti solvebat, dedit: Episcopo autem Roma reverso, prædictis in reconciliationem pelles martherinas tribuit, & sic traditione factam pleniter & legaliter stabiliri optinuit.

97. Vir quidam de *Rangun* nomine *Alvericus* duo prædia in *Ufflan* & *Ricvvardeffun* proprietario jure possedit, quæ venerabilis Episcopus gravi pecunia ab eo acquisivit.

98. Comparavit quoque apud *Thiedricum* & suam uxorem *Geppan* in *Goslaria* duas familias in *Lambel* per advocatum suum *Amulungun*, qui præsentem *Benna*, *Udone* Comitibus & *Heclino Calvo* VII. unc. auri, & III. libras denariorum eis pro eis dedit.

99. Hæc quoque prædia sua instantia precando comparando à subscriptis acquisivit, & Ecclesiæ utilitati.

litatibus addidit: unum in *Anansie de Thiethardo* Diacono; in *Nedere de Volthardo, & Lammerthrun*, in *Scetbeke de Bandan & suo seruo Brunmanno*; in *Holtbuson de Waliberto & Etheldago*; in *Ethelerdingbusun & Weni de Tiaza*; in *Afriitheshem, & Hofissim de Ekkikan*; in *Rotbrachteffun de Bunican*; in *Heinthorpe, de Bechtiero*; in *Hodanbusun de Brendeke*; in *Ettidessun, & Hippanbusun, & Nedderi à domina Hian*, in *Holtbuson & Emingaroth de Hillino*; in *Ricvvardessun de Elican*: & alia nonnulla per quæ Pastoris idonei sollicitudinem debitam liquidò declaravit, memoriamque sui dignissimam posteris dereliquit. Quia ergo aliquibus tædiosum & onerosum, non autem Patherbrunnensi Ecclesiæ otiosum esset aut infructuosum, singulorum beneficia describere particulariter, qualis populi vovendi & offerendi integritate actionis, simplicitate intentionis, tranquillitate devotionis fuerit puritas; quanta Episcopi rectitudine actionis, affectu mutæ dilectionis, effectu congruæ retributionis, & omnis & ad omnes extiterit liberalitas, quæ in hæredum rationabili approbatione, testium probabili adstipulatione, advocatorum legali executione fuerit servata æquitas & auctoritas, perpendatur universaliter: quia, quo vicaria dilectionis relatione in alterutrum lætarentur affectu, quantum utrinque de Ecclesiæ gratularentur profectu, facilius à sapiente ejusmodi indicij poterit sufficienter æstimari, quam alieno ore & stylo convenienter narrari.

Cùm



XXXIII. Cum ergo, ut prædictum est, anno Domini. Incarnat. MXV. capellam in honorem *S. Benedicti* Episcopus inchoasset: tantò citius, quantò devotius eam consummavit, & in capite jejunii proximi anni, XVI. Kalend. Martij solenniter eam consecrans in dotem ejus domum unam in *Northurgnon* cum decima delegavit, de qua eidem Ecclesiolæ provident luminaria, & infirmorum usibus administrari necessaria ordinavit. Domus autem infirmorum postea constructa est, ut unus murus utrumque, capellam & domum conjungeret, & Sacerdos assistens altari per fenestram muri infirmum communicaret. Ipsa autem die Dedicationis, per salutarem confessionis pœnitentiam, generalem absolutionis Episcopus populo tribuit indulgentiam: proponens eis in sermone ad exemplum pœnitentiæ, vitam pœnitentium & pauperum voluntariè. De fratribus autem, quos adduxerat unum *Sigebardum* nomine in Abbatem consecrans, alij præposuit: & quosdam pueros *Ministerialium*, & civium suorum regulari norma inbuendos inibi contradidit, qui cum mundi contemptu & virtutum appetitu regulariter incederent, & odorem bonæ opinionis & sanctæ conversationis longè lateq; in populos spargerent, de conversione eorum & conversatione non modicè Episcopus lætabatur: illum prosequens gratiarum actione, de cujus munere venit, ut ei à fidelibus suis dignè & laudabiliter serviat. Unde Monasterij fundamentis positis, & claustralibus officinis congruè dispositis, inchoata consummari accelerabat eò instantius, quò ad alia inchoanda ven-

ventius anhelabat. Terminum autem claustralem quieti & utilitati monasteriali congruum late præfixit: & quicquid in gyro per circuitum Monasterij à via publica (quâ in urbem iter est rectum usque in coquinam Episcopi) adjacet, juri ipsius Ecclesiæ addixit. Areas autem versus Occidentem ex utraque parte *Patheræ* contiguas, diversis curiæ servitoribus & artificibus & ad mandatum pauperum in cœna Domini deputavit: & in cotidiani ministerij necessitatibus, in alimentorum vestimentorumque utilitatibus, non minus decenter quàm utiliter filijs suis prospicere curavit. Quoties autem claustrum introisset, relictis foris popularibus, assumptis gravibus & religiosis personis, quæ sciebant & sua tegere, & alieni non publicare, claustrum introivit. Et hoc deinceps faciendum, tam canonum traditione, quàm sua institutione mandavit.

XXXIV. Inter hæc opus Creatoris admirabile, in Episcopo quidem in honorem, in ejus matre verò in contumeliam factum contemplerur, & ineffabiles divitias bonitatis ejus pro modulo humanæ valetudinis admiremur & veneremur, qui sicut peccata patrum in filijs & nepotibus, peccata eorum proprijs cumulantibus, & longanimi patientia Dei ad augmentum suæ perditionis abutentibus, in tertiam & quartam generationem reddit: ita malitiæ paternæ expertes, tanquam ex sterquilinio pretiosam margaritam producit. Deum itaque Episcopus in omnibus, & super omnia diligens, proximo eandem dilectionem exemplis & monitis exhibuit, & ad viam salu-

luta



lutis unumquemque informare, quantum temporum  
 qualitati & personarum utilitati congruebat non  
 destitit. Unde patre suo mortuo, matrem, ut  
 secunda recusans matrimonia, sexagesimum vidualis  
 continentiae fructum assequi niteretur, sedulè admo-  
 nuit; exemplum sui ei proponens, qui *carnem suam*  
*crucifigens cum vitijs & concupiscentijs* sponso cœle-  
 sti, mente, actu, & habitu applicari maluit. Illa autem  
 quæ carnis sunt sapiens, salutis suæ monita contemne-  
 bat, *ingressa latam & spatiosam viam, qua ducit ad mor-*  
*tem* eo infelicius quò voluptuosius eam incedebat. In-  
 famia denique suæ malitiæ & nequitiae ubique nota  
 & abominata, ad filium suum Episcopum in Pather-  
 brunnon venit, & oblati ei bonis ad temporalis vitæ  
 subsidia sibi delegatis, *Novam Domum* cum attineti-  
 tjs eius, quamdiu viveret, sibi ab eo concedi petijt.  
 Ille autem veluti colubrum intra linum, pietatis intuitu,  
 suscipere renuens, & ne tacta pice ab ea inquinaretur  
 præcavens, consortium ejus vel commercium om-  
 nimodis recusavit, & se bonis ejus non indigere  
 vel curare protestans, Deum verò, cui se suaque om-  
 nia devovisset, ampliora daturum affirmans, ab om-  
 ni suo Episcopio vel allodio eam quantocius rece-  
 dere mandavit. Quæ repulsa cum ignominia, majori  
 adversus eum exarsit invidia: ad ejus interitum omnè  
 fœmineo furore quærens aditum. Ad ejus itaque  
 contumeliam & majorem invidiam, *Baldericum* Co-  
 mitem licet hominem fortem, divitem & potentem,  
 non tamen ejus matrimonio congruentem, maritum  
 accepit: & ejus consilio, filium proprium, Comitem

Thier

*Thiedericum*, Episcopo quasi animā suam dilectum,  
 eo in Longobardia cum rege *Henrico* manente, VII.  
 Idus Aprilis *Uplage* urbe munitissima juxta *Eltene*  
 sita, ab hominibus ejus, occidi præcepit. Et multa ne-  
 fanda dictu, & relatu horrenda, quæ ullo modo potu-  
 it excogitare & investigare, non erubuit probare &  
 perpetrare. Jgitur *fama malum, quo non aliud veloci-*  
*us ullum, mobilitate viget, volat per populos, pavore*  
 & horrore pro innocentis nece concutit universos :  
 tinnunt audientium præ immanitate sceleris aures :  
 stupent omnes, à remotis & ignotis innocentia & mo-  
 destia occisi auditur, in communi ab omnibus depar-  
 ricida ultio expetitur. Amplius autem Episcopo post  
 reditum Imperatoris cum principibus, non nimietate  
 doloris, sed sinceritate Dei amoris & canonici ri-  
 goris instante, illa maledicta per legales inducias cum  
 suis fautoribus *Drotmanniam* vocatur, & majestatis  
 rea, filijque proprii parricida morti adjudicatur. Qui-  
 busdam autem inhumanitatem Episcopi erga ma-  
 trem suam falsa compassione causantibus, & pro cor-  
 rectione culpæ veniam & vitam postulantis, Epi-  
 scopus diu multumque restitit, & carnem quæ pecca-  
 verat temporaliter puniendam, *ut spiritus salvaretur*  
*in die Domini* asseruit. Tandem victus instantia po-  
 stulantium vix acquievit, & accedens ad Imperatorem  
 ejus judicio & arbitrio quomodo terminaretur, se-  
 cundum quod honori imperij congrueret, & animæ  
 ejus expediret, commisit. Consulentibus ergò, qui a-  
 derant, prædia quædam in Saxonia, quæ hæreditario  
 jure possederat, quæque ei ad temporalis vitæ subsi-  
 dia



dia post mortem patris sui Episcopus concesserat, inter quæ principales sortes sunt istæ: *Immedeshuson, Walmontheim, Hauerlon, Hukelhem, Mandelbiki, Goltzbiki, Dodonhuson, Hoksneslevo, Wakereslevo*, cum manu *Balderici* Comitis mariti sui & advocati cum consensu hæredum suorum, Imperatori potestativè contradidit. Et sic interventu omnium, vitam carnis obtinuit, & æternam mortem animæ incurrit. Imperator autem prece & devotione admonitus Episcopi venerabilis dilecti sui nepotis, quem se suæ que omnia divino servitio mancipare cognovit, eadem prædia cum suis appenditijs, quæ dari solent, vel nominari valent utilitatum omnium attinentijs, e suæque Ecclesiæ, omnium hominum contradictione remota IV. Idus Januarij, anno Dom. Incar. MXXVI. Indictione XIII. in *Drotmannia* tribuit; regali auctoritate decernens, ut nulla persona, aliqua judiciari potestate in eisdem prædijs se intromitteret, nisi ad vocatus, quem ipse Episcopus, vel suorum quilibet successorum elegisset: & si quis hoc præceptum infringeret, C. libras auri persolveret, L. regię cameræ, L. Patherbrunnensi Ecclesiæ. De his prædijs *Dodonhuson* & *Goltzbeke* Ecclesiæ novæ, quam summo studio construxit Episcopus contulit, cætera sibi ad majoris Ecclesiæ dominium retinuit.

XXXV. Plurimorum autem negotiorum gratia ibi demoratus, multis suis in vinea Domini cooperarijs tam ad constructionem novorum, quam ad reparationem collapsorum apud Imperatorem interventus usus fuit. Ipseque aliorum obtentu videlicet *Erchan-*  
*balu*

B. M E I N W E R C I. 81

*Baldi Magontinensis Archiepiscopi, Episcoporum quoque Heinrichi Wirciburgensis, Wiçgeri Verdensis, Arnoldi Halverstadensis, Berenwardi Hildenesheimensis, Thiederici Mimigardevordensis, Hildwardi Citicensis, Gregorij atque Arzonis Romanorum, & aliorum multorum, Berneshusun, ab Unuvano Bremense Archiepiscopo Imperatori legaliter traditum, & comitatum in Havergalocisque prædictis situm, & ab eodem Imperatore, pro remedio animæ suæ, parentumque suorum, nec non tertij Ottonis bonæ memoriæ Imperatoris, dilectæque contectalis suæ Chuniunde Imperatricis Augustæ, eidem Episcopo Meinverco suæque Ecclesiæ ante quinquennium datum, quæ invatione quorundam erant turbata eis manentibus in Longobardia, XIX. Kal. Febr. ibidem in Drotmannia renovari & confirmari obtinuit.*

XXXVI. *Baldericus quoque Comes prædictus, per consensum suæ contectalis Athela, petente Meinverco Episcopo, in præsentia Heinrichi Imperatoris, Archiepiscoporum quoque Meingoz Treverensis, Heriberti Coloniensis; Episcoporum etiam Athalbal-di Trajectensis, Thiederici Mimigardevordensis, Thietmari Osnebrugensis, Arnoldi Halverstadensis; Laicorum quoque Bernhardi Ducis, Lindolfi, Thiederici, Wicmanni Comitum, & aliorum multorum, prædium quoddam in comitatu Udonis præfidis in Himmerfeldum ei in proprium tradidit: quod ejusdem Episcopi advocatus nomine Hermannus ad Patherbrunnensis Ecclesiæ proprietatem suscepit.*

G

eodem



XXXVII. Eodem anno, magnæ molis grandæ venit, & plurimi fulmine interierunt. Episcopus vero secundum quod scriptum est, *flagellato pestilente sapientior eris*, aliorum interitum suæ correptionis æstimavit profectum, eò intentius anhelans ad æterna, quo sui cursus mutabilitate perpendit non subistere terrena. Mater a. Episcopi existens ingrata de misericordia collata, iniquitati apposuit iniquitatem modis omnibus quærens alienare filio omnem hereditatem. Quæ mentis vesania famineo furore debacchata, X manfos in monte *Lare* juxta *Heimnieberg* in inferiori terra, Ecclesiæ S. *Viti* in *Eltene* quasi sui speciei religionis contulit, & alia aliàs conferre disposuit, quæ sæcularium, timore Imperatoris & Episcopi (quibus cor unum & animam unam esse omnes sciebant,) accipere nemo ausus fuit. Quo celeri nuntio Episcopus comperto, velociter partes terræ inferioris adiit, eamque in monte *Lare* deprehendens, volentem fuga euadere, ad aquam *Enne* de monte sumentem comprehendit, & deteriorem qualibet creatura protestans, quæ filios uterinos non solum occideret, verum etiam exheredaret, capi eam fecit. Homines autem matris eius, parti domus suæ faventibus & X manfos, quos S. *Vita* dederat, licitè eam dedisse & dare potuisse asserentibus, Episcopus nihil præter justitiam se exigere dixit; & eis ad suæ justitiæ ostensionem Reliquias Sanctorum expetentibus, ipse non renuit. Hicò allatis Reliquiis de Ecclesia vicina *Rene* constructa in honore sanctæ *Cunera* in quibus jurare conlueverant, Episcopus eas abjecit: & prolatis de a

pothecia

pothecis suis Reliquijs sanctorum Apostolorum *Petri & Pauli, & S. Blasij*, super eas eos jurare fecit. Qui votis dominæ suæ temerarijs satisfacere volentes, VII. viri ad reliquias accefferunt, & manus ut jurarent apponentes, mox cælesti plaga percussi, quatuor ex eis oculos amiserunt, alijs tribus erectæ manus obriguerunt, & omnibus diebus vitæ eorum tali plaga multati permanserunt. Manifestam ergo virtutem Dei matri proponens, tandem aliquando eam resipiscere hortabatur, & se bonis beati *Viri* non indigere dicens, quæ ei dederat, rata fecit; ne ullam occasionem percundi matri dedisse videretur.

XXXVIII. Quia ergo Deum intimè dilexit, plures ad eum exemplo suo attraxit. Qui de bonis sibi temporaliter collatis providere sibi studuerunt mansionem perpetuæ claritatis. Quidam denique liber homo, nomine *Cuono* lignorum suorum proprietatem in loco qui *Are* nomen habens, usque hodie *Cononbusc* dicitur, ei contulit: quoniam omnia quæ agebat à Deo prosperari & ab eo omnia ad divini cultus augmentum fieri veraciter intellexit. Item quidam in *Hellessem* molendini aquam, & alij alia, fideliter sperantes ea in futuro sibi reddi centuplicia.

XXXIX. Divertens inde Episcopus *Radinheim*, quoddam dorsale in cubiculo matris suæ suspensum deiici, & suum pallium suspendi mandavit: & piè violentus ipsum dorsale occultè caballo impositum, novo suo monasterio *Patherbrunno* quantocius deferri imperavit. Ipsum autem dorsale ad nominis sibi memoriam, pariterque in honorem *Balderici* Cor



tis quem duxerat mater ejus, fieri fecerat: picto in eò ob insigne virtutis ad monumentum posteritatis, quòd draconem in loco quodam interfecerat. Post discessum igitur Episcopi mater ejus, unde proficere debuit, deterior efficitur, & famineo possessa furor, quicquid in prædijs vel rebus alijs habuit, distrahere non moratur. Denique villam in *Reinvvic* cum adjacentijs ejus, itemque Ecclesiam & villam in *Wic*, cum ipsius appendicijs *B. Heriberto Colonienf. Archiepiscopo* ad monasterium, quod in *Tuiciens. castro* in honore sanctæ *Mariæ* perpetuæ virginis construxit vendidit: & manutergium altaris pretiosum serico contextum ei tradidit, & principali Ecclesiæ beati *Petri Apostoli emporium* in *Resse* cum sibi adjacentijs ut ibi sepeliretur, dedit: quæ Episcopus non solum non requisivit, verum facta grata habens, fratrum amator, devotionis eorum adjutor & cooperator factus, ea laudavit & stabilivit.

XL. *Baldericus* autem Comes cum se quasi innocentem de nece innocentis humana fefellisset sapientia, cœpit quasi potens de inani gloriari potentia, cœcatusque mundi divitijs, & captus amore nefariæ mulieris, sprevit mentis suæ fastu Deum altissimum, largitorem divitiarum suarum & virium. Denique quadã die in *Radinheim* de solario eminentiori quaquam versus prospectans, & loci qualitatem situsque sui multiplicem utilitatem considerans, *Cum* inquit, *Deus omnia posse dicatur, quomodo me in tanta gloria seculari, in tanta omnigenarum rerum copia, ad inopiam redigere posse credatur? nam Renu sprateriens abundan-*

ter visui & usui delectabilia; saltus adjacens voluorum  
& bestiarum sufficienter necessaria administrat: & de  
tantis divitijs subjici posse inopijs, opinari, frivolū con-  
stat. Quam benè & congruè par convenit pari, dum  
vir talis mulieri jungitur tali! Cum igitur talibus &  
similibus voluptatibus & vanitatibus inservirent, & in  
sordibus positi merito suæ iniquitatis amplius sorde-  
rent, directis ad eos ab Imperatore duobus nobilibus  
viris, discedentes ex insidijs peremerunt, & sangui-  
ne innocentum vindictam à Deo expetente, justo ju-  
dicio publicis legibus damnati & proscripti, jus le-  
gemque omnem perdidierunt. Nam, qui Deum im-  
potentem, ut ad inopiam eum redigeret, æstimabat,  
profugus & nec servorum propriorum consortio vel  
colloquio usus, in aliena terra mendicando stipem  
petebat: & illa *Coloniam* divertens, habensque ali-  
quandiu de Ecclesia principali, itemque de Ecclesia  
*Tuiciensi* præbendam, ibidem moritur, & ante Eccle-  
siam B. Petri sepelitur; sed tempestate adeo sæviente,  
ut totius civitatis interitum minitaretur, effossa in  
Renum projicitur. Ipseque Renus sui inundatione  
& fluctuum collisione plurimis diebus ita efferbuit,  
quasi se maledictam illam non posse ferre manifestè  
protestaretur. Mortua igitur matre sua hoc modo,  
Episcopus cum sorore sua, bona hæreditaria in infe-  
riori terra divisit, & illa partem suam sancto *Vito* in  
*Eltene* conferente, ipse suam cœnobio quod in civi-  
tate *Patherbrunnensi*, ut prædictum est, inchoaverat,  
delegavit.



XLl. Anno autem Dominicæ Incarnationis M.  
 XVII. *Meingo* Trevirensis Archiepiscopus obiit; &  
*Athelbero Præpositus Monasterij S. Pauli Treveris*,  
 ortus de *Lucelinge* burch vir potens & dives valde, ha-  
 bens inter alia bona hæreditaria Castella hæc, *Sar-*  
*burg*, *Berencasdel*, *Rudiche*, ea spe & fiducia, qua soror  
 ejus *Cunigunda* Regi nupta fuit, Episcopalis cathedræ  
 dignitatem affectavit & usurpavit. Imperator autem  
 Christianissimus pro multorum salute, spretâ illius  
 affinitate, ausibus temerarijs nulla ratione acquievit.  
 & varijs modis per Episcopatum debacchantem com-  
 pescere non valens, Episcopatum *Popponi* viro venge-  
 rabili secundum carnem nobili contulit, *Athelberoni*-  
 que dixit: *Talem virum de beo dirigere, qui tua vesania*  
*valcat resistere.* *Poppo* autem Episcopatum adeptus,  
*Berencasdel* castellum à prædonibus *Athelberonis* de-  
 fensum, destruxit; & aliud castellum cujusdam tyran-  
 ni *Athelberti* quod dicitur *Sistra* ad terram similiter  
 dejecit. Qui videlicet *Athelbertus* castellum Treve-  
 ris quondam in honore sanctæ Crucis constructum  
 possidebat, unde frequenter cum multitudine mili-  
 tum erumpens ad curiam Episcopi, quicquid ibi ad  
 ejus obsequium parabatur violenter auferens abdu-  
 cebat. Cujus rei ignominia confusus Episcopus, vide-  
 licet quod hostem cotidianum sibi tam proximum  
 ob munitionem castelli non posset debellare, multis  
 ad amicos suos habitis querimonijs ad hujuscemodi  
 infamiam depellendam, consilium & auxilium cœpit  
 inquirere. Erat autem in exercitu ejus eo tempore  
 vir potens divitijs & viribus fortis *Sieko* nomine, qui  
 promisit

promisit se tentaturum, si quo modo posset invenire hujus mali medicamentum. Episcopo sibi satis congratulante, egreditur ille occasionem nactus, quo modo periclitati subveniret. Quadam ergo die pergit ad portam castelli, pulsansque fores rogat sibi ab *Athelberto* ad refocilandum poculum mitti. Quod cum celeriter allatum ebibisset tanquam nimium sitis fervorem patiens, pincernam alloquitur dicens: *Domino tuo*, ait, *ex parte mea magnas gratiarum actiones nunciato: pariter & hac verba narrare curato, quod vita sospite, hoc poculum rependam sibi citissime grata voluntate.* Et his dictis abiit. Captato deinde oportuno tempore triginta hamas præparat, singulos milites electos, loricatedos, & galeatos, ensibusque præcinctos in singulis collocat, & desuper linteis opertos, tunc quibus vectes ad portandum infererentur aptat. Deinde LX. viros nihilominus electos & plebeia veste amictos, ensibus eorum in hamis reconditis gestatores constituit, nulloque hominum hujus fraudis præter prædictos conscio, ipse *Sicko* cum his & alijs paucis militibus vallatus ad castellum terendit, fores pulsavit. Servo sciscitante, quis sit & quid velit? *dic Domino tuo*, ait, *me sibi vinum magna dilectionis gratia olim promissum deferre, quando ipsum non piguit mihi sumentem poculum dirigeri.* Iussu ergo *Athelberti* illi sunt intromissi, & *Sicko* post alios intrans, jubet auferri linteorum velamina, rogat *Athelbertum* suscipere dilectionis munera. Portitores sicut erant docti, uno pariter momento omnia hamarum velamina dejicientes, gladios suos arripiunt, insidiam de hamis exilientes



gladios stringunt, fortiter undique ferientes, ipsum *Athelbertum* occidunt, cæteros ædituos crudeliter mactantes, castellum in solitudinem redigunt. Sic Dei misericordia Episcopus à tyrannide *Athelberti* mirificè est liberatus, & *Sicko* pro victoria ab Episcopo beneficijs magnificè est illustratus. Simili modo per alios principes suos multa castella, partim vi partim dolo cepit, tyrannorumque insaniam diu impune debacchantem ex parte maxima refrenavit. Monasterijs sanè eorum violentia pæne exhaustis, prout potuit misericorditer succurrit, quibusdam non habita dando, quibusdam ablata restituendo. Hic audiens Prophetam de Christo dicentem, *Et erit sepulchrum ejus gloriosum*, orationis causa Hierosolymam iit; & monachum quendam in Ecclesia beati Maximini sub Abbate *Richardo* peregrinum, & advenam nomine *Simeonem* comitem viæ assumpsit. Reversus autem Episcopus eundem monachum in turri, quæ antea *Porta Nigra* appellabatur, in festivitæ S. Andreae Apostoli reclusit; ubi postmodum gloriosè mortuus & sepultus, multimoda signorum frequentia, in magna fidelium veneratione est habitus. Hic rogatus à quodam Danorum Comite *Ottone* Daniam venit, gentemque Danorum adhuc idolis fervientem, ad Christum convertit. Ubi incredulis repugnantibus chirothecam ferream jussit fieri, eamque igniri, qua manu sua vestita, nec læsa, lineoque panno cera infuso ad carnem indutus, fornacem candentem intravit, indeque panno combusto illæsus exiens, Christum Dei filium verum esse Deum hoc indicio

dicio declaravit. Hoc usque hodie apud Danos celebrifama vulgatur; à quibus & *Anscharius* vocatur; quo nomine ejus memoria ab eis V. Idus Septemb. celebratur, sepulchrumque ejus Treveri à Danis frequentatur.

XLII. Anno prædicto, factus est celebris conventus principum, in loco qui dicitur *Liez go*, præsentate Imperatore *Heinrico*, cum Archiepiscopis *Erchanbaldo Magontienſe*, *Poppone Trevirènſe*, *Gerone Maagetheburgenſe*, *Unrwano Bremenſe*: Episcopis quoq; *Arnoldo Halverſtadenſe*, *Eppone Bavenbergenſe*, *Thiederico Metenſe*, *Heinrico Wirzburgenſe*, *Thiederico Mimmigarde vordenſe*, *Heinrico Parmenſe*, *Thiederico Mindenſe*, *Thiemmonne Merſeburgenſe*, *Hericco Havelbergenſe*, *Meinwverco Patherbrunnenſe*. Laicis etiam *Bernardo duce*, *Sigisfrido atque Ezicone* Comitibus, cum alijs multis nobilibus, ad honorem & dignitatem Imperij plura neceſſaria diſponentibus. Ibi Imperator à domno *Meinwverco* Episcopo foundationem novi monasterij ſingularis quodammodo ejus ſtudij audiens, & devotioni ejus congaudens, gratiarum actiones ei retulit, & prædium quoddam ſitum in pago *Heſſe Saxonico*, in comitatu *Herimanni Comitis in villa Nedere* nominata, cum mancipijs utriusque ſexus, & omnibus quæ ullo modo inde provenire poſſent uſenſilibus, quod quidam *Redialdus* nomine ad manus imperiales legaliter & capitulariter hæreditaverat, fratribus in eodem monasterio Christo ſervituris VI. Idus Julij contulit. Sequenti die ibidem ab hæredibus *Ekkihardi* Comitis, de Abbatia



batia *Helmvvardenhusan* querela habita, & diu multumque inter principes ventilata, tandem regno est adjudicata. Et quia nec in facultatibus nec *ministeriis* regno servitio esse potuit, interventu & consultu Episcoporum & Principum prædictorum, Episcopo *Meinverco* suisque successoribus à Patherbrunnensi sede Episcopaliter secundum regulam *S. Benedicti* regenda, & possidenda est collata.

XLIII. Ipso quoque anno Imperator rursus *Potianiam* cum exercitu intravit, Dei clementia, eà ac *Boëmia Moraviaq;* subjecta, pro intuitu misericordiae ac pietatis conculcationem & destructionem *Merseburgensis* Ecclesiae miseratus, ob reverentiam *S. Laurentij*, in ædificijs, in ministerialibus, in secularibus possessionibus, in Ecclesiasticis ornamentis, in pristinum gradum Pontificalis dignitatis eam restauravit. Inter hæc, cum Episcopus tam regni necessitatibus, quam Ecclesiae commissæ utilitatibus solerter infilteret, fortuito *Corbeiam* transivit, & recordatus *B. Stephani* Protomartyris eo loci patroni, pro se suisque omnibus in memoriam ejus, hostiam salutarem Domino Deo immolare eo divertit. Eadem autem Ecclesia in ripa fluvij *Wisera* sita, à *Lutheovico* filio *Karoli* Imperatoris Magni constructa, à beato vero *Badurado Patherbrunnensi* Episcopo est dedicata, temporum incrementis tam religionis quam temporalis possessionis proficiens & succrescens augmentis: sed cum deliciae rigorem exolvissent disciplinæ, *Meinvercus* Episcopus factus, ad eam venerat, ut secundum canonicam auctoritatem corri-

corrigeret, quod irregulare inibi animadverterat. Sed expulsus cum grandi sua suorumque injuriâ, regem *Heinricum* adiit, & ut Abbate *Wal* nomine deposito alius nomine *Druthmarus*; per quem religio claustralis reformaretur, succederet obtinuit. Quod ut religiosis eum commendabilem, ita irreligiosis reddidit eum odibilem: adeo, ut durante odij & invidia livore, ejusdem Ecclesiæ cultos nomine *Boso* preparato altari stomachando accurrens, preparaturam dejeceret, & secundum auctoritatem ejusdem loci & libertatem, divina celebrari nisi sua permissione interdiceret. Quod Episcopus audiens, conventum intravit, & habito ad fratres verbo de Prælatorum reverentia, de subjectorum inobedientia, ad satisfactionem & injuriam facientem, & consentientes provocare humiliter curavit, dicens: *debere & deere eos honorem deferre sedi, in cujus consisterent. diæcesi, cujus Præsides, etsi non cautè interdum incederent, eorum enormitas devitanda, per vicaria esset arguenda, non autem potestas cathedra, qua non sacris locis propter personas, sed propter sacra loca personis conceditur, constaret evertenda.* Qui cum ad eum audiendum seniores haberentur, pulpitum ascendit, & pauca pro re & tempore ad populum locutus, omnibus quæ facta fuerant innotuit: eumque qui injuriam irrogaverat ad satisfactionem publicè coram omnibus vocavit. Qui cum tertio vocatus non venisset, non vindictæ voto, sed prophetiæ præconio ei præcepit, *ut quocunque die ipse de corpore exiret, ille secum ad tribunal Christi, sibi responsurus de illata injuria, migraret.* O sancta animal



anima! Opura conscientia! quæ adhuc carnis admixta velamine, animas ligabat coram divino examine. Episcopo autem taliter discedente, Abbas cum fratribus eum in civitatem *Patherbrunnensem* profectus, plenariam reconciliationem obtinuit: sed pro eo qui contumeliam fecerat, sæpè & multum rogatus, *decretum Dei* non posse immutari, perhibuit.

XLIV. Quia ergo constantiam ejus, quæ in justitia sua ut leo confusus est, audivimus; humilitatis pietatisque ejus insignia breviter audiamus. Curtes dominicales episcopi sui circumiens frequenter collapsa reparabat, reparata sui munimine firmabat solleter: sicut in acquirendis utilis, sic in conservandis fidelis. Duram antiquæ servitutis Litonum justitiam, per novam paternæ pietatis relevavit gratiam; constituens à villicis adminiculari eis in cibi potusque necessarijs, quod antea non fiebat, tempore messis. Quodam autem tempore ad curtem suam *Barghus* veniit, & experiri volens fidelitatem & dilectionem famulorum erga villicum, præcepit comitibus viæ suæ, ut super frumentum quod in domo tribulabatur eos quos propellerent: dicens, *servos si fideles essent, eos repellere; si non, quasi defectui villici congratulantes, eos finire.* Servis autem quasi ad obsequium Episcopi discurrentibus, equi frumentum tribulandum consumere & conculcare cœperunt. Unde servi infidelitatis & incuriositatis vitio multum inculcati, jussu ejus gravissimè virgis sunt flagellati: quos postmodum ciborum copijs abundantissimè reficiens, de servanda villi-

villico suo fidelitate paternè admonuit. Veniensque sequenti anno, & exclusus ab introitu, gratias quasi de contemptu suo egit: & intrans occultè per superius ostium, matrem familias, quod operarij modica farinae forbitiuncula alerentur, submurmurare audivit: & ut servitoribus ejusdem curiæ, duæ pernae annuatim darentur, exceptis his quæ à villico dabantur, misericordia paternæ pietatis constituit. *Nihem* quoque veniens, hortum urticâ & erucâ alijsque herbis adopertum noxijs, excepto modico spatio in medio invenit. Et mox uxorem villici ambitiosis suis vestibus spoliari præcipiens, donec germen noxium quod in altum excreverat, terræ coæquaretur, per totum hortum eam trahi mandavit: quam tristem consuetis blanditijs consolans, solita liberalitate exhilaravit: sequentique anno omni diligentia & abundantia totum hortum excultum inveniens, majori gratiarum actione & munerum largitione eam remuneravit.

Ad aliam curtem quandam veniens, matrè familias cur pullis & gallinis careret culpavit: & penuriâ pastus eâ conquerente, mandavit ei ut fieri faceret quod ad pastum pullorum de loco ad locum per curiam moveri per temporum intervalla provideret. Quo facto, veniente iterum ad eandem curtem Episcopo, abundantibus pullis qui creverant de pastu minorum vermiculorum, gratias egit, & de cætero devotiorem eam obsecrans fieri, laboris ejus studium donis & bonis suis recompensavit.

Quodam



Quodam tempore in adventu Domini quando porcos dare solent villici, stans in lobio domus Episcopalis, mulierem quandam cum filio suo unico porcum sequentem & amarissimè vidit flentem: & mox accersitâ eâ caussastanti fletus studiosè ab ea inquisivit. Illa autem viro suo mortuo se humano adjuutorio destitutam conquerente, & porcum illum de pane quem filius suus mendicando petijisset, violentia villici de *Enenhus* quo pertinebat, pavisse asserente, Episcopus graviter ingemuit: & pectus proprijs manibus tundens, ---- lacrymis ita fatur obortis:

*Va tibi miserrime Meinrverce Episcopi! Quomodo infelices homines questus sui gratia animam tuam demergunt ad Tartara? Sciens ergo scriptum: Domino fœneratur, qui pauperi miseretur;* vocato villico, mansum viduæ ei resignavit, & ab ejus magisterio cum filio suo eam absolvens, de sua elemolya eos sustentari omni vitæ suæ tempore mandavit.

Facta in diebus ejus fame valida, missis nuntijs frumentum comparari fecit in *Colonia*, & duas naves onustas ad inferiorem terram deferri, & dispensatione villicorum super *Velve* in *Testerbant* taliter mandavit erogari, ut una pars proprijs, alia familiae indigentijs, secundum numerum domesticorum distribueretur: tertia ad proventum feminis, quarta mendicis erogaretur. Quod Episcopi mandatum villicus super *Velve* devotè peragere studuit. Ille vero in *Testerbant* partem pauperibus ordinatam fraudari perniciosè non timuit. Quod Episcopus audiens, non fraudato sed fraudanti vehementer condoluit: & quia

&, quia nemo successorum suorum honorem prædecessorum post quartam generationem habiturus esset, prædixit.

XLV. Quodam tempore officinas monasterij sui novi, more solito circumiens, fratribus ad capitulum confedentibus, coquinam intravit, & servis fortuito vacantem inveniens, invento frusto panis in olas igni appositas trussit, nullius autem pinguedinis vel admixtionis speciem præter aquam & cibum animadvertens simplicem, tempore loquendi Conventum introivit, & causatus filiorum suorum, & fratrum aridum cibum, quæ in coquina vidisset & fecisset, retulit. Abbate autem ob virtutum custodiam servandam asserente parsimoniam, respondit venerabilis Episcopus; *ut si pser religiosus esse vel videri vellet, circa vitam propriam severus, erga subditorum benignus existeret*: Evangelicis & Apostolicis documentis propositis, quomodo laborans agricola mercede operis sui dignus esset. Et data auctoritate, quomodo Dominus Ecclesiæ claves B. Petro Apostolo tradiderit, & Ecclesia tantam habens potestatem, generali synodo, Monachis, quoniam olei copiam non haberent, non carniū quadrupedium esum, sed carniū cognatum adipem indulsit; advocatis villicis, porcos dari ordinavit, de quorum sagimine & pinguedine cibum fratrum parari mandavit. Ecce quomodo diligentibus Deum omnia in bonum cooperantur, & regnum Dei & justitiam ejus rigore claustralis disciplina in capitulo quærentibus, exterioris vitæ necessaria adjiciuntur. Laudabilis sanè pij pastoris erga



oves creditas tam benignus affectus, imitabilis quoque diligentibus Deum in religione & executione claustralis disciplinae profectus.

XLVI. Probare autem volens Episcopus dispositionis suae, observantiam, quadam die indutus cappa laicali, coequinam iterum fratrum introiit, & quasi advena ignotus, de situ, statu, habitu Monasticae conversationis, claustralis religionis, cotidianae refectio- nis curiosè quæritans; beatam vitam, quantum ad Deum, inibi duci, miseram verò, quantum ad corporalis indigentiae usum agi, à coco audivit. Unde festinus ad cubiculum rediens, Abbatem advocari velociter mandavit, & de segni dispositionum suarum executione eum graviter inculans, novem pernas optimas secum ad claustrum deferri mandavit.

XLVII. Succensus autem igne divini amoris, nihil subterfugit terreni laboris, quin pro subje- torum salute Ecclesiaeque suae utilitate insisteret omni- bus modis & horis: affectans denique imaginem caelestium, sprevit speciem terrestrium; nec pro Chris- to humiliari, nec pro ipso erubescens injuriari. *Mu- nor namque in oculis suis factus, sibi se. subje- torum si- dolitatem, singulorum spem & devotionem in Deum ex- periri voluit per se: assumensq; cujusdam mercatoris cum mercibus habitum, circumbar sedulus explorator episcopatum. Quia verò juxta Salvatoris sententiam, nihil operum quod non reveletur, cuiò hoc quibusdam propalatur: de quibus villicus de Balhorn uxori suae hoc innotuit, & quid in adventu Episcopi diceret vel ageret, docuit. Episcopus autem ubique veniens, & dis- versa*

versa à diversis accipiens, Balhorn quoque venit, & matrem familias suppliciter salutans, ei de mercibus suis quæque concupiscibilia comparanda obtulit. Quæ quasi vehementer inflammata adversus eum, ilicò advocavit virum, & seductorem quendam advenisse, sibi que cum mercibus suis proclamat institisse, ut cum rebus creditis infidelitate sua exhibita domino, cum temporali dispendio animæ subjacerent periculo.

XLVIII. Recordatus autè Episcopus voti sui, quod Romæ sancto voverat *Alexi*, Monasterium cum congregatione in honore ejus, in loco, qui *Sulithe* dicitur, ædificare disposuit: sed timens humanæ mutabilitatis incertitudinem, interim ei perspicui operis capellam in introitu urbis, juxta novum Monasterium construxit; eamque decimo tertio Kal. Febr. consecrans provisioni ejusdem Monasterij deputavit, & in commemoratione beati *Alexis*, tali jure misericordie dotavit & insignivit: ut quicumque forensi lege convictus, & sententiæ damnationis addictus, capellam contigisset, addictæ pœnæ obnoxius non esset. Juxta principale quoque Monasterium, capellam quandam, capellæ in honore sanctæ *Mariæ* perpetuæ virginis à *Geroldo Caroli Magni Imperatoris consanguineo* & signifero contiguam, per Græcos operarios construxit, eamque in honore sancti *Bartholomæi Apostoli* dedicavit. In plerisque parochiis misericorditer subvenit populis in difficultate longissimi Ecclesiarum itineris, sive parochiis novis in divisione aliarum factis, sive capellis in eis constructis. Inter quos populo de *Sudburgnon*, ad Parochi-



am forensis Ecclesiæ in *Patherbrunnensi* civitate pertinenti Ecclesiam construere concessit, eaque super terram pertinentem ad curiam ab eo Monasterio suo novo attributam fundata, banno Episcopali ad jus maioris Ecclesiæ conservato, eidem Monasterio proprietario jure eam possidendam delegavit: ubi postmodum à beatæ memoriæ *Wolfgango* Ecclesiæ lapidea constructâ, Episcopus *Rocho* successor Episcopi *Meinoverci*, anno Domin. Incarn. MXLIII. XVII. Kal. Novembris in honore *S. Galli* confessoris Christi eam dedicavit.

XLIX. In *Herivordia* basilicam *S. Mariæ*, quæ vocatur *ad Crucem*, dedicavit: quam ipsa unica spes mortalium ad singulare inibi miserorum refugium sibi construi mandavit. Siquidem Ecclesia *Herivordensis*, sicut Ecclesia *Corbeiensis*, in Episcopatu *Patherbrunnensi* sita, à *Luthuvvico* filio *Caroli Magni* constructa, & à beato *Badurado Patherbrunnensi* Episcopo constat dedicata, quæ omni prittini honoris & decoris ornatu tam Ungariorum devastatione, quam *Thietmari* fratris *Bernardi* ducis Saxonix inuasionem spoliata, propemodum fuerat destituta.

L. Cuidam itaque fame & nuditate afflicto pauperi, in die natalis sanctorum martyrum *Gervasij* & *Protasij* ad præfatum *Herivordense* Monasterium propter auditam inibi Sanctimonialium munificentiam ire volenti, ipsa piissima virgo *Mariæ* facie ad faciem apparens, Abbatissæ & sororibus eiusdem Monasterij nuntiare mandavit, ut mutata pristina vita, tantum spirituali insisterent exercitio, quantum tempore

S. MEINWERCI. 99

temporalis instabant adificio: dicens, se per hoc sedem suam reuisuram, & invocantes se perpetua tuitione custodituram: adjiciens, se locum in quo ei apparuit ad sui nominis venerationem, & Christianorum praelegisse intercessionem: ut, si quis eam ibi fideliter quaesierit, inueniat, & quod iuste petierit se adeptum gaudeat. Paupere autem tantam visionem indicare trepidante, & ad suae legationis veritatem confirmandam signum aliquod suppliciter expetente: *Hoc erit tibi signum*, ait Virgo piissima, quod nullius illata pena, ne cicatricis quidem ullius aliqua te contingat molestia. Quo ad majus veritatis indicium, aliud adhuc expetente signum: *Pracide*, ait Dei genitrix, *baculum, & faciens inde crucis signaculum, pone, ubi meorum statum cognoveris esse pedum; & si non credunt verbo signi prioris, credant ostensioni sequentis: quia quocumque tempore ad locum hunc veniunt, me super eandem quam facturus es crucem, in columba specie sedentem videbunt.* Abbatissa ergo nomine *Godesti*, cum sororibus hoc nuntio accepto, Episcopus *Meinvercus* cum vicinis proximorum Monasteriorum clericis accersitur; consultu omnium jejunijs & orationibus à Deo res inquiritur, nuntius iudicio aquae ferrique igniti examinatus, securus declaratur: columba in loco ostenso inquisita, super crucem sedere invenitur: & maxima omnium devotione, & veneratione basilica fabricatur & dedicatur, & nomen *Ad Crucem* sortitur.

LI. Murum quoque in circuitu urbis in civitate *Pathebrunnensi* construxit. Domum Episcopalem à fundamentis crexit: & non solum ipsius civitatis



moenia restaurare & innovare curavit, sed & quicquid in alijs suæ provisionis locis dirutum vel veteranum invenit, destruere, renovare, meliorare festinavit.

III. Studiorum multiplicia sub eo floruerunt exercitia : & bonæ indolis juvenes & pueri strenuè instituebantur *normâ Regulari*, proficientes haud segnitè in claustrali disciplina, omniumque litterarum doctrina. Claruit hoc sub ipsius sororio *Imado* Episcopo, sub quo in *Patherbrunnensi* Ecclesia publica floruerunt studia: quando ibi *Musici* fuerunt & *Dialectici*, enituerunt *Rhetorici* clarique *Grammatici*; quando *Magistri artium* exercebant *trivium*, quibus omne studium erat circa *quadrivium* : Ubi *Mathematici* claverunt & *Astronomici*, habebantur *Physici* & *Geometrici*: Viguit *Horatius*, magnus & *Virgilius*, *Crispus* ac *Salustius*, & *Urbanus Statinus*: Ludusque fuit omnibus insudare versibus, & dictaminibus jocundisque cantibus. Quorum in scriptura & pictura jugis instantia, claret multipliciter hodierna experientia; dum studium nobilium clericorum usu perpenditur utilium librorum. Praefatus quoque *Imadus* Episcopus tempore suæ pueritiæ tanto disciplinae claustralis rigore ibidem est nutritus, ut nunquam patrem suum videre extra conventum specialiter, vel ei colloqui fuerit permissus: dicente Episcopo, *puerum & adolescentes cum districtione debere erudiri, & non nocivis blandimentis deliniri: quoniam audacia & ferocia nutrimenta eis ministrarent blandimenta*. Adolecebant quoque secum in tyrones militiae caelestis,

Anno Archiepiscopus Colonienſis, Friſthericus Monaſterienſis, & per plures alij ſtrenui poſtmodum in vinea Domini operarij.

LIII. Theſaurum Eccleſiaſticum & ornatum, ſub prædeceſſore ſuo ignis depopulatione conflagratum, multipliciter innovavit: & inter alia magnificentiæ ſuæ dona ſpectabilia, tabula precioſiſſimi auri & tribus calicibus æquè auri examinati & optimi, *Gazo-phyliacium* Eccleſiæ tam decenter quàm & utiliter ampliavit & decoravit. Coronâ ſpectabilis magnitudinis & magnifici operis faciem templi ornavit, exteriorique ornatu, & tanto taliq̃ue Eccleſiaſticæ dignitatis & utilitatis apparatu, interioris hominis habitum, Dei & proximi dilectione condecoratum, mirificè declaravit.

LIV. Quem in ſanctorum plurimorum devota veneratione amplius illuſtrans, diem ſancti *Boniſacij* & ſociorum ejus celebrari per totum Episcopatum *Patherbrunnensem*, annua obſervantia inſtituit. Feſtiva celebritate Natalem ſanctorum ſeptem fratrum venerari diſpoſuit. *S. Alexem* magna devotione coluit. *S. Lenginum* Martyrem, qui lancea latus Salvatoris in cruce pendentis aperuit, cum alijs plurimis, quos longum eſt ſingulariter proſequi, in mira veneratione habuit.

LV. Largiſſimarum eleëmofynarum ejus, quas in domo regia, omni vitæ ſuæ tempore cotidiana devotione exhibuit, eadem domus teſtis extitit, quæ anno Domin. Incarn. MLVIII. omni civitate *Patherbrunnensi* cœleſti judicio, incendio depopulata, ſola  
 H 3 ſuper-



superstes, cum una domo forensi fuit. Quam humilis, liberalis & munificus; quantum cum his qui oderant pacem fuerit pacificus, ex alijs ejus operibus pendatur: ne hujus rei vera relatio, plus favorem intendisse, quam virtutes ejus commendasse videatur. Canonicorum inopiæ usque ad tempora sua albo pane in cotidiana præbenda carentium, de bannis parochiarum, quos successor ejus *Rotho* præposituræ ejusdem causæ negotij attribuit, subvenire disposuit: sed cum nulla re apud eos elaborare potuisset, ut beneficia Ecclesiastica æqualiter inter eos dividerentur, huic intentioni superfedit. Unde virtus in eo non inveniens quod argueret, invidia comes alienæ felicitatis habuit quod reprehenderet: quæ virtutes morum non sui dignitate, sed verborum urbanitate pensitans, occasione, ex negligentia Missæ, ut dictum est, accepta, idiotam eum vocavit: & duplicitas favoralis arrogantię irridens simplicitatem ejus benivolentiæ, qua pro temporum qualitate infirmis condescendit, (*Lacte rigans parvos, pane cibans solidos*) jocularitatem appellavit. Contra quæ superfluum est verborum exaggeratione plura argumentari in beati viri commendationem, cum ejus scientia operum efficacia claruerit, & benivolentia multis via salutis fuerit. Quod cum luce clarius ex relatis possit videri, amplius ex referendis *Illius mores, studium, data, velle, labores*, onerosum non sit intueri. Tendens itaque virtotus ex virtutibus, semper ad meliora, invigilavit Ecclesiæ commissæ profectibus omni cura: sperans se pro compassione proximi, perventurum ad dilectionem Dei.

Episco-

LVI. Episcopatus ergo ejus anno nono, Dom. Incarn. MXIIX. *Berenwardus Hildenesheimensis Episcopus*, tempore quadragesimali synodum in *Goslaria* habuit; in qua præsidente Imperatore cum Episcopis, cæterisque regni primoribus, *Godescalcum Ekkehardi* Comitis filium, & *Gertrudem* filiam Comitis *Ekkeberti* separavit. Proxima itaque octava Idus Aprilis solemnij sacrosanctæ Dominicæ Resurrectionis Episcopus *Meinvercus Patherbrunna* celebratis, ad Imperatorem *Noviomago* perrexit; & in *Dominica*, qua tunc *Alba* deponerentur, videlicet Idibus Aprilis, interventu *Chunigundæ Imperatricis*, & Archiepiscoporum *Popponis Treverensis*, *Erchanbaldi Magontiensis*; Episcoporum quoque, *Everhardi Bavenbergensis*, *Athelbaldi Trajectensis*; item *Popponis Abbatis Veltensis*; *Godefridi*, *Bernhardi ducum*, *Becelini Comitis*, prædium *Siburghuson* in comitatu *Udonis Comitis*, in pago *Hemmerfeldum* situm obtinuit.

LVII. Anno proximo, Imperator cum exercitu contra *Bernhardum Ducem Saxoniz*, ad castellum *Scalkaburg* perrexit; ibique mediante domno *Meinverco* Episcopo, cum amicis suis in pace omnia constituit.

LVIII. Septimo decimo autem Kalend. April. Imperator *Goslariam* veniens, interventu ac petitione *Chunigundæ Imperatricis*, & Episcoporum *Adalbaldi Trajectensis*, *Meinverci Patherbrunnensis*, *Everhardi Bavenbergensis*, & *Godefridi Ducis*, Abbatiam *Lisbernensem* sitam in Pago *Driene*, in comitatu



*Herimanni Comitis, Thiedericò Mimigardè vordensis Ecclesiæ Episcopo*, suisque successoribus tali modo contulit; ut ipsius Ecclesiæ Episcopi in prædicto loco imperiali auctoritate exinde servitiû Dei ordinandi penes divinum amorem atq; timorem, liberam facultatem haberent: & de Advocatis, in prædicto loco secundùm voluntatem eorum advocatiam in ipsorum militia, juxta quod illis melius visum fuerit, ad utilitatem ipsius *Lisbernensis Ecclesiæ* agerent & ordinarent.

LIX. Eodem loco & anno, proxima XIII. Kalend. Aprilis, sabbato ante Palmas, interventu *Chunigundis Imperatricis*, Episcoporum quoque *Geronis, Unnuviani, Arnoldi, Dietrici, Hiltivvardi, & Erici*, optimatumque regni, *Bernhardi Ducis, Sigisfridi, Herimanni, Ekkihardi Comitum consilij ventilationis* Abbatiam *Scoldizo*, sitam in pago *Wessaga* in comitatu *Fritherici Comitis*, Episcopo *Mexnwerge* dedit.

LX. In proximo Pascha, domnus *Apostolicus Benedictus* ab Imperatore & universis Principibus *Bavenbergæ* gloriosissimè susceptus, secundùm sponsonem suam, ipsius Ecclesiæ novellam plantationem visitavit: & octavo Kal. Maij, Basilicam in honore *S. Stephani Protomartyris* consecrans, pretiosissimis reliquijs, quæ ibi cōservâtur, adornavit. Ubi inter missarum solemnias, ad operationem quadraginta Episcoporum, & unanimi consensu principum, Episcopatum illum ab omni sæculari potestate liberum esse constituit, & cuncta, quæ Pontificali dignitati & utilitati congruebant

B. M E I N W E R C I. 105

gruebant, præsentia suæ autoritate & privilegij sui attestazione, Bannique sui firmitate, roboravit. Episcopus ergò *Meinwercus* gaudij sui in Domino de Ecclesiæ commissa promotione Apostolicum partificem fore cupiens, quanta bona Imperator ei contulisset, innotuit; & ut ejus interventu, ampliora percipere mereretur, suppliciter expetiit. Cui annuens paternæ pietatis devotio, fuit ei apud Imperatorem precum suarum obtentu non minimo adminiculo; uti postmodum magnarum rerum approbavit larga exhibitio.

LXI. Post hæc, quarta Kalend. Julij ipsius anni, *Heimeradus sanctus presbyter* in monte *Hafungo*, in quo beneplacitum fuit altissimo habitare eum, ad Christum migravit; & Episc. *Meinwercus* morte ejus audita, animam ejus Missarum eleemosynarumque celebri commemoratione Deo commendavit.

LXII. Sequenti anno, post Natale Domini, Imperator, commoto exercitu comitem quendam *Ottonem sæculi dignitate non minimum præpollentem*, in castro quod dicitur *Hammerstein*, (situm supra *Reni litus*), obsedit: quoniam idem comes Episcopatum *Maguntinum* multa infestatione sæpius pervagans, ferro & igne devastavit; odio magno contra ejusdem civitatis Præfulem vehementer inflammatus, quoniam ab illo propter illicitum connubium iudicio Concilij generalis fuerat anathematizatus. Cum ergo querimonia ejusdem Præfulis Imperator excitatus, in prædicto castro illum obsideret: venerabili *Heriberto Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopo*, demanda,



mandavit, ut ipse in auxilium sibi, cum suis festinus veniret. At ille immensis febribus tunc fatigatus, quod imperabatur implere non valuit; & propter hoc commotus Imperator, exosa eum imperij sui tempora habere credidit: antiqua namque suspitione scandalizatus, quoniam, ut prædictum est, in humano prædecessoris ejus corpore deditus, electioni ejus non interfuit; invidis, qui nunquam deerunt si sint quibus persuadeatur, occasionem sancto derogandi nactis, plus iusto aure præbuit, & responso ejus accepto, cum magno furore, *Si inquit, ipse ad me dedignatur venire, ego illum quia egrotat, habeo visitare.* Atque cum hac iracundia mox ubi hostem expugnavit, Coloniam properavit, imminentibus nimiumque sese ingerentibus invidis, qui satis ardentem furoris ejus ignem magis ac magis perfrabāt linguis malivolis, detrahentes innocenti vito Dei. Ipsa autem nocte, qua Imperator Coloniam ingressus, officiosissimè à viro Dei fuerat susceptus, cum se sopori dedisset, vidit in somnis quendam quasi venerabilem virum Pontificali veste ornatum sic eum alloquentem: *Cave, inquit, ô Imperator, ne post hac pecces in conservum meum Heribertum: scito illum virum Deo esse acceptum, in quem si quid admisseris, tu sine dubio portabis judicium.* Nimirum gratia Dei misericentis taliter præmonendo Imperatorem, ignorantia ejus pepercit: quia videlicet in eo quod ejusmodi virum suspectum habebat, non malitia sed ignorantia peccabat. Siquidem ejusdem Imperatoris animam timor Domini possidebat, neq; scienter disponere aut judicare quicquā cupiebat, per quod cælestis offen-

deretur Majestas. Denique cum aliquid de regni negotijs disponere aut judicare intenderet, dispositiones omnes sive judicia sua, precibus & eleemosynis præveniebat: quatenus mens ejus & actus cœlesti regimine gubernaretur, ne quando exorbitaret agendo, vel judicando, quod divinis legibus contraireret.

LXIII. Mane ergo facto cum Imperator mente mutatus, virum Dei ad se vocasset, & id quod calitus evenerat, quod superno respectu Rex compunctus fuerat, vir sanctus ignoraret, ac proinde lachrymosis oculis apud illum querelam depromeret, causas requirens, propter quas sibi tam diu infestus existeret; repente Imperator exsurrexit, & virum Dei amplexatus in oscula illius ruit. Ille admirans hæc, pariter consolationis ab eodem dicta suscepit: *Ex quo inquit ad Regni fastigium; Deo donante, conscendi, detrahentium linguis nimium credulus, fateor, venerande pater, te exosum habui: & hanc odij trabem in oculo gestans, & ideo nihil videns, iniquum de te iudicium habui, tuamque iustitiam, immo Dei gratiam in te fulgentem videre non mervi. Porro, te tacente, cœlum clamat super te, tuamque causam defendit apud me: nam ipse, qui de Sanctis suis curam habet, semper & habuit, sicut scriptum est: Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis Reges: nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari* Psal. 104. Ipse me pro te corripuit, ut sciam quod inter electos ejus computatus sis. Indulge ergo, precor te, quod in te malignatum sum, vel quod te servum Dei tangere deliberavi: quia



quia peccatum meum cognosco, nec amplius addam aduersari tue sanctitati. His dictis, semel, iterum & tertio sanctum Pontificem deolculatus est, triplicem nimirum nectens dilectionis nodum, de quo Sapiens loquitur: *Funiculus triplex difficilerumpitur.* Nec moratus, virum Dei iam amicus, amicum prope se residere fecit. Hæc videntes aduersarij, in fugam versi sunt: cæteri verò fideles benedixerunt Dominum.

LXIV. Nec contentus hac satisfactione religiosus Rex, adhuc de divino iudicio erat sollicitus: & præterita reconciliatione non contentus, nocte sequenti, finitis matutinorum solemnij, assumpto uno ex Clericis, cubiculum Pontificis adiit, sed non ibi quiescentem, verum in proximo *S. Ioannis* oratorio vigilantem, ut solebat, & orationibus insistentem reperit. Protinus abjecta chlamyde solo stratus, ante pedes ejus, in spiritu humilitatis, & in animo contrito se suscipi postulat, & ea potestate, quam sacerdotibus suis Dominus contulit, veniam sibi dari cunctorum, quæ in eum commiserat. Nec moratus omnipotentis Dei famulus, Imperatorem à terra prostratum subleuat, & secundum fidem regis, culpæ veniam relaxat. Erat autem hoc seruo Domini initium sempiternæ consolationis, quippe qui de ista valle lachrymarum protinus ascensurus erat ad gaudium divinæ visionis. Etenim idem vir Domini revelante sibi spiritu hoc prænoscens, ait in illo secreto inter cætera ad eundem Imperatorem: *Noveris certissime; quia post discessum tuum, quo nunc separandi sumus, nostra invicem facies in hoc sæculo nequaquam videbimus.* Eo

Eo magis Imperator corde compunctus, iterum in amplexus & oscula episcopi ruit: flens pariter & cuncta penè membra manus & oculos, collū quoq; fixis demulcens osculis. Hoc facto, clam ad cubiculum rediit, mœstam reportans memoriam prophetiæ beati viri, quam & postmodum transitu ejus subsequente veram fuisse comperit, & ipse ut audierat ore proprio denarravit.

LXV. Venerabilis autem Episcopus *Meinverci* de reconciliatione mutuæ dilectionis, quam inter eos reformare sæpè laboraverat, non modicè lætabatur; & ut peccata sua quæ in sanctum virum, licet ignoranter, commiserat, misericordiæ operibus plenariè coram Deo dilueret, Imperatorem hortabatur. Imperator ergò Christianissimus, eruditus omni scientia litterarum, & per se id expedire sibi intelligens, & consulenti libenter obaudiens, per interventum ac indefessum servitium ipsius Episcopi *Meinverci* pro redemptione animæ suæ, dilectæque conjugis suæ *Cunigunde* Imperatricis, quandam regij juris curtem *Triburi* nominatam, in pago Saxonico *Westfalæ* sitam, in *Comitatu Herimanni Comitis*, cum omnibus appenditijs, servis & ancillis, liberis quoque cum tali servitio & censu qualem regi persolvebant & agebant, & cæteris omnibus ad eundem locum pertinentibus, ad Abbatiam in *Patherbrunno* à prædicto Episcopo inchoatam & stabilitam, ibidem in *Colonia* XI. Kal. Martij testamentaria autoritate dedit: & inde divertens *Bavenberge*, quadragesimam ibidem celebravit. Sic Dei miseratione in *Patherbrunnen*



*nensi* cœnobio, crescente religione crevit & census ipsius Ecclesiæ, formam dans posteris normæ reſtiffimæ, ut & pro cunctis animæ & corpori necessarijs *patri cœlesti, scienti quid nobis necesse sit*, devotè serviat: ne dum religio parit divitias, divitiæ religionem destruant, & sic ambo pereant, discretè caveatur.

LXVI. Proximo ergò XVII. Kal. April. beatus *Heribertus* Coloniensis Archiepiscop. mortalem vitam in angelicam mutavit, & in locum eius *Pilgerinus* regius Capellanus subintravit.

LXVII. Eadem verò nocte, qua *S. Heribertus* post meritam vitæ hujus militiam, supernum donativum accepturus ad cælos migravit, *Eppo* vir memorabilis Bavenbergensis Ecclesiæ Episcopus, præclaris moribus, & non contemnendis florens virtutibus, hujusmodi visionem vidit. Ingrediebatur quasi quoddam magnum splendidumque Capitolium; & ecce illic residebat innumerabilis concio personarum venerabilium, Episcoporum, Abbatum, Regum atque Imperatorum, cæterorumque cujuscunque ordinis virorum illustrium, secundum suum quique ordinem vestiti, & omnes pulchri ac reverendi, quasi ad agendum generale concilium congregati. Porro in medio confidentium, loco evidenti sella posita videbatur Episcopalis, sessorem nondum habens, verum tamen ad hoc parata, ut in illa resideret aliquis. Ut ergo tantæ amplitudinis locum, tamque venerandæ multitudinis conventum introspicens vidit, admiratione pariter & timore compressus, nequaquam introire præsumpsit, cum ergo ita staret stupefactus, ecce

B. M E I N W E R C I. III

ecce unus de illo sancto senatu, tantoque quasi Patri-  
 ciorum cœtu surgens, & usque ad eum pro foribus  
 stantem procedens, (quem & ipse, ut sibi videbatur,  
 dudû noverat,) apprehensum manu introduxit: & ut  
 super sedem vacantem resideret, annuit. Ille veritus  
 hoc facere recusavit, sciens eandem sellam viro reve-  
 rentiæ majoris & dignitatis amplioris positam. Nec  
 mora. qui conventus ejusdem primatum tenere vide-  
 batur, duobus ex eodem consessu venerabilibus Epi-  
 scopis præcepto edixit, ut foras exeuntes eum, quem  
 primum invenirent stantem & paratum introduce-  
 rent, & in sede illa media, quoniam sessione ejus  
 præparata fuisset, dignè collocarent. Fecerunt illi ut  
 imperatum fuerat: & ecce quem adducebant, dom-  
 nus *Heribertus* Coloniensium Archiepiscopus erat,  
 sacro redinitus ornatu, tanquam in die solemnî ad ce-  
 lebranda missarum solemnîa. Eum in illa sede medi-  
 um sedere fecerunt. Verumtamen unum ornatui  
 ejus, scilicet baltheus, deesse videbatur. Cum ergo  
 tanti Principes confidentes illum vidissent, balthe-  
 umque illi deesse animadvertissent, quasi vehementi  
 admiratione concitati, sciscitabantur, quisnam ille  
 esset, qui tanti Pontificis ornatum diminuere præ-  
 sumpsisset? Ad hoc ipsò tacente, prælocutus est unus  
 de primoribus, dixitque: quod is esset Imperator  
*Henricus*. Hanc visionem Episcopus Imperatori ma-  
 nè narravit, ipseque Imperator non incredulus visio-  
 ni, recordatus verborû ultimæ colloquutionis Episco-  
 po respondit: *Si baltheo caruit me prædone sanctus ille  
 & venerandus vir, Domino adjuvante, meque operam  
 dante,*



dante, rapina hæc restituetur illi. Igitur Imperialem manum largius extendens, dona Christi Ecclesijs pauperibusque distribuit, sacrisque missarum solemnibus psalmis & orationibus transitum beati Præfatis celebrari edixit, cui ipse baltheum sustulisset, id est quem viventem longè minus quàm decuerat honorasset.

LXVIII. Inter innumera ergo quæ pro animæ eius remedio liberaliter erogavit, interventu domini *Benedicti Pape* patris sui spiritualis, *Cunigunde Imperatricis*, *Erchanbaldi Magontini Archiepiscopi*: *Episcoporum quoque Everhardi Bavenbergensis*, *Engelberti Frigisnensis*, quandam curiam *Hammonstide* dictam, sitam in pago *Rittega in Comitatu Udonis Comitatus*, ibidem in *Bavenberge* in sabbato Paschalis ebdomada, IX. videlicet Kal. Maij, in Festo *S. Georgij Martyris*, Episcopo *Meinverco* Imperator tribuit, ob iuge suum & indefessum servitium: ut ipse nullius æmuli opprobrijs subjaceret, quin plus omnibus serviens, præmia honoresque plures acciperet, exemplisque sui emolumenti alios ad suum fidele servitium Imperator provocaret. Hanc curtem quidam Comes nomine *Godiza* proprietario jure possidens, eum omnibus appenditijs ad eundem locum pertinentibus, cum consensu conjugis suæ *Addæ*, ac sororis suæ hæredis justissimæ, ipsi Imperatori in proprium ea ratione tradiderat, ut prædictus locus in beneficii usum, & insuper centum mansi cum familijs, quamdiu viverent, sibi concederentur. Quo factis, Imperator divino admonitus instinctu assiduitateque

reque servitij venerabilis *Meinwercki* Episcopinon multo post, prædictorum interventu, pro remedio anima sua, cum chirographo ipsum prædium in proprietatem & dominium Patherbrunnensis Ecclesiæ, ut dictum est, eo pacto dedit, ut si prædicta domina *Addile* eum superviveret, & quisquam ei prædictum beneficium abstraheret, vel aliquid incommodi faceret, Episcopus beneficium ex substantia Patherbrunnensis Ecclesiæ restitueret, & si ipse id recusaret & renueret, illa domina potestativè sua reciperet. Episcopus autem *Meinwercus* manuscriptum hoc de *Hammonsfide* in præsentia *Thiederici Mimigardefordensis* Episcopi, *Lindolfi*, *Udonis*, *Hiddonis*, *Acca* Comitum, & aliorum multorum legifecit, omnemque inferendæ inquietudinis occasionem in futurum pastoralis vigilantia solerter præmunivit.

LXIX. Post hæc Kalendis Junij Episcopus cum Imperatore *Confunga* venit, ubi interventu *Geronis Magetheburgensis Archiepiscopi*, *Dodiconisq;* *Comitis de Warberge*, quandam Regiæ proprietatis forestam in comitatu ejusdem *Comitis Dodiconis* sitam obtinuit. Hæc forestis initium sumit de *Roithalmingahunsun*, rectoq; tramite protenditur in *Wisaram* fluvium: sicque ascensum ducit in fluvium qui vocatur *Fulda*; inde verò servat continuatim sui ascensus tenorem juxta eundem fluvium *Fulda* usque in rivum, qui dicitur *Crumelbecke*, nec non ad oppidum, quod *Holthunsun* vocatur, viam tendit; simul graditur in *Ochilambam* & *Riginberishunsun*, atque ad *Rotbiereshunsun*, mox pergit ad *Kiskilabusun* atque ad *Beverbiki*; sicque



sicque protenditur in viam, quæ ducitur ad Wulfridiskiscun; itemque in alteram viam, quæ extenditur ad Gunnesburin, & ad viam Monneshusun: sicq; gressando circuit quandam viam, quæ pervenit usque ad prædictum oppidum Roibalmingabusun.

LXX. Ipso quoque anno Erchanbaldo venerabilis Magontiensis Ecclesiæ Archiepiscopo episcopatus sui anno nono mortuo, Arabo regius Capellanus successit, qui inspirante Dei gratia, inter alia suæ devotionis & dilectionis erga Deum indicia, super montem qui dicitur Hafungun, in honore sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & in commemoratione beati Heimeradi supradicti Monasterium construxit.

LXXI. Comite quoque Dodicone de Wartberg eodem anno IV. Kalen. Septemb. mortuo, Episcopus Imperatorem post Natale Domini Patherbrunno invitavit: & Comitatum, quem idem Dodico comites dum vixit, tenuit, situm in locis Hessiga Negg Nitterga XIII. Kal. Martij ab eo impetravit. Dedit quoque Kalendarum Martiarum proximarum, aliam quendam Comitatum in Immedeshuson, interventu Benedicti Papa, Cunigunda Imperatricis Augusta, Erverhardi Bavenbergensis Ecclesiæ Episcopi, Pilgrimi eiusdem Ecclesiæ Præpositi, regijq; Cancellarij obtinuit quem situm in locis Sorathveld, Sinuthvelt, Atmunga, Treverega, Burclann, Liudolfus Comes dum vixit tenuit: ea ratione, ut nec ipse Meinwercus Episcopus, nec aliquis successorum suorum, ullam potestatem haberet alicui suo militi, vel extraneo eundem

Conti

B. M E I N W E R C I. 115

Comitatum in beneficium dandi, sed Ministerialis ipsius Ecclesiæ qui pro tempore fuerit, præsit prædicto Comitatu, ac de ejus utilitatibus provideat, ad restaurationem constructionis ipsius Ecclesiæ, ut inde muri releventur, tecta reparentur; & quicquid oportunum fuerit ad corporalem formam ipsius domus Domini, ibi inde administretur.

LXXII. Ingens terræ motus III. Idus Maij in partibus Baioariæ eodem anno contigit. Quidam verò propinquorum *Dodiconis* Comitis *Bern* nomine, traditionem, quam idem Comes & frater ejus Comes *Sigebodo* in bonis hæreditarijs, ad Patherbrunnensem Ecclesiam hortatu & rogatu venerabilis *Meinwerci* ipsius Ecclesiæ Episcopi fecerant, infirmare judicio seculari attentavit: & multis concilijs habitis ad ultimum in Natali *S. Damasi* Papæ in *Ermensesveretbe*, in præsentia *Heinrici* Imperatoris, *Aribonis* *Magontini* Archiepiscopi, & Episcoporum *Wizelini* *Strazeburgensis*, *Adalaldi* *Trajetensis*, *Udonis*, *Herimanni* Comitum, & aliorum multorum, omni querela postposita, plenaria reconciliatione pacatus, cessavit; & octoginta tres libras ab Episcopo accepit; in *Ganderesheim* XX. uncias auri; XLVI. libras argenti; unum pallium pro III. libris; & XXX. equas; astantibus *Wizelino* Episcopo prædicto, *Rainwardo*, qui Advocatus fuit, *Udone*, *Sigfrido*, *Erzicone*, *Lindolfo*, *Bevelino* de *Suevan* Comitibus; *Conone* filio Ducis *Otonis*, ejusque milite *Zeizulfo*, & alijs multis. In capite autem *Jejunij* proximi anni, præsentibus, *Udone*, *Bennone*, *Sifrido*



de Comitibus, alijsq; plurimis cum *Rainvardo* Ad  
vöcato dedit Episcopus *Minvardo* militi *Ber-*  
*nis*, duas uncias auri, & duas libras argenti: datis que  
omnibus promissis, exceptis duobus talentis.

LXXIII. Eodem anno *Thiedericus Mimigard-*  
*vordensis* Episcopus obiit, & *Sigfridus Parthenopol-*  
*tanus* Abbas ei succedens, X. annis eidem Ecclesie  
laudabiliter præfuit. *Thiedericus* quoque *Minden-*  
præsul præsentem vitam finivit, post quem *Albericus*  
ejusdem Ecclesie Præpositus electus: sed morte præ-  
ventus, nec consecrationem accepit, nec in cathedram  
pervenit. *Sigibertus* verò Episcopatum obtinuit  
it. Piæ memoriæ etiam *Berenwardus Hildeneshe-*  
*mensis* Episcopus XII. Kalend. Decembr. ad Christi-  
stum migravit, in cuius locum dominum *Godhardus*  
*Altabensem* prius Abbatem sancta Ecclesia sibi suam  
que utiliter subrogavit. Anno dehinc succedente *Ger-*  
*Parthenopolitanus* Archiepiscopus ab hac vita decessit,  
cui *Hunfridus Wirceburgensis* Ecclesie Præpositus  
successit. *Thietmarus* piæ memoriæ *Osnabruggensis*  
Episcopus ad Christum migravit, & in sedem ejus  
subintravit *Moncherus*.

LXXIV. *Arnoldus* quoque *Halverstadenensis* Ep-  
iscopus moritur, & *Brantoch* quondam *Fulder-*  
Abbas substituitur. *Bernardus* similiter *Haldenbur-*  
*gensis* Episcopus sustollitur, post quem *Kemholdus*  
subinfertur.

LXXV. Ipso anno *Aribo* *Magontinensis* Archie-  
piscopus in Pentecoste Imperatorem *Magontiam*  
invitavit, ubi & concilium generale coadunavit, in  
quo

quo Episcoporum consilio plura quæ deviauerant correxit: præcipue tamen *Ottonem* Comitem prædictum de *Hamerstein*, & *Irmingardam* illicitè commanentes eparate disposuit, quod tamen perficere non potuit; quia ille se partim regali timore, partim Episcopali commonitione utcumque correxit. Illa verò publicè hannos prævaricans, ibidem jus legemque omnem funditus perdidit.

LXXVI. Proxima III. Idus Augusti ipsius anni, prædictus *Aribo Magontina sedis Archiepiscopus* Synodum in *Salingenstad* coadunavit; in qua, præsentibus Episcopis, *Burghardo Wormatiense*, *Werinbaro Argentino*, *Brunone Augustense*, *Everhardo Bavenbergense*, *Meginbaro Wircebursense*, communiorum consilio atque consensu, multimodam divinorum officiorum, atq; synodaliū legum diffensionem composuit, & disparilitatem singularium consuetudinū honesta consensione in unum redigit. Inconueniens quippe sancto conventui visum est, quod membra capiti discordarent, & ulla diversitas esset in unius corporis compagine: ideoq; propter lamentabiles diffensiones, communi decreto concilij hæc capitula sancita sunt, hoc ordine.

Cap. 1. Ut XIII. dies omnes Christiani ante festiuitatem S. Ioannis Baptistæ, in abstinentia sint carnis, & sagiminis, nisi infirmitate impediēte, aut alicuius festi solemnitate, quæ in illo Episcopo celebris habetur, intercedente. Et ante Natale Domini similiter, & in vigilia Epiphaniæ, & in omnium vigilijs Apostolorum, & in vigilia Assumptionis S. Mariæ, & in vigilia S.



Laurentij, nec non etiam in vigilia omnium Sancto-  
rum: adjicientes prædictis vigilijs unam horam refecti-  
onis, excepta infirmitate, & nisi aliquis sit, qui proprio  
voto majori abstinentia uti velit.

Cap. 2. De incerto autem jejunio quatuor tempo-  
rum, hanc consuetudinem statuimus: ut si Kalendæ  
Mart. in IIII. feria, siue antea evenerint, eâdem cele-  
bretur. Sin autem Kalendæ Mart. in V. feriam, aut  
VI. aut sabbatum dividuntur, in sequentem ebdoma-  
dam jejunium differatur. Simili quoque modo si Kalen-  
dæ Junij in IIII. feriam, aut antea evenerint, in sequen-  
te ebdomada jejunium celebretur. Et si in V. feria aut  
VI. aut sabbato contigerint, jejunium in tertiam & quart-  
tam ebdomadam referretur. Et hoc sciendum est: quod si  
quando jejunium mensis Junij in vigilia Pentecostes  
secundum prædictam regulam evenerit, non ibi cele-  
brandū erit, sed in ipsa ebdomada solemni Pentecoste; &  
tunc propter solemnitatem S. Spiritus diaconi Dalmate-  
is induantur, & alleluja cantetur; & sicutamus genua  
non dicatur. Eodem modo de Septembris jejunio consti-  
tutum est, ut si Kal. Septembris in IIII. feria evenerint,  
aut antea, jejunium in III. ebdomada celebretur; & si V.  
aut VI. aut sabbato contigerint, in IIII. ebdomada erit.  
In Decembre vero illud observandum erit, ut proximo  
sabbato ante vigiliam Nativitatis Domini celebretur  
jejunium; quia si vigilia in sabbato evenerit, simul je-  
junium & vigiliam celebrare non convenit.

Cap. 3. De legitimis autem conjugijs ita visum est,  
quod nullus Christianus uxorem ducere debeat ab ad-  
ventu Domini usq; in Octavas Epiphania; & à Septi-  
agesima

agesima usq; in Octavas Pasche; nec in supra notata  
XIV diebus ante festivitatem S Joannis Baptista, ne-  
que in praedictis jejuniorum diebus, siue in omnium so-  
lemniuum dierum precedentibus noctibus,

Cap. 4. Decretum est etiam in eodem Concilio, ut  
Presbyter aliquis post Galli cantum bibens struus no-  
ctibus, proximo die missam non celebret; hiemalibus  
simuliter, nisi cogat nec suas.

Cap. 5. Conquestum est etiam in eodem S. Concilio,  
de quibusdam stultissimis Presbyteris, ut quando incen-  
dium videant, corporale Dominico corpore consecra-  
tum, ad extinguendum incendium temerariâ presump-  
tione in ignem projiciant. Ideoq; decretum est sub ana-  
thematis interdictione, ne ulterius fiat.

Cap. 6. Interrogatum est ibidem, si duo in adulte-  
rio inculpatus fuerint, & unus profiteretur, & alter ne-  
garet, quid inde agendum esset? Decretum est autem  
a S. Concilio, ut ille, qui negaverit, probabili judicio  
se expurget; & qui confessus fuerit, dignè pœnitenti-  
am agat.

Cap. 7. Decretum est etiam in eodem Concilio, ut ne-  
mo gladium in Ecclesiam portet, regali tantum excepto.

Cap. 8. Statuit etiam S Synodus, ut mala consue-  
tudo, quæ apud omnes penè jam inolevit, omnino pro-  
hibeatur; hoc est, quod colloquia sua in atrio alicujus  
Ecclesia constituunt habenda; & tunc ea in ipsa maxi-  
mè exercent Ecclesia, ubi orationes & divina tantum si-  
eri æquum est officia.

Cap. 9. Quidam etiam laicorum, & maximè ma-  
trona habent in consuetudine, ut per singulos dies audi-  
ant E-



ant Evangelium, In principio erat verbum, & Missas peculiare, hoc est, de S. Trinitate, aut de S. Michaelē; & ideo sancitum est in eodem Concilio, ut hoc ulterius non fiat, nisi suo tempore, & nisi aliquis fidelium pro reverentia S. Trinitatis velit audire, non pro aliqua divinatione; & si voluerint ut sibi Missa cantentur, de eodem die audiant Missas; vel pro salute vivorum, aut pro defunctis.

Cap. 10. Quidam etiam generationem consanguinitatis ita volunt numerare, ut frater & soror sine primi. Hoc autem statuit S. Synodus, sicut etiam ab antiquis Patribus decretum est, ut ita non esset: Sed ut nepos & neptis, id est, filius fratris, ac filia sororis primi habeantur.

Cap. 11. Statutum est etiam, ut adificia laicorum, quae Ecclesiis adjuncta sunt, auferantur: & nulla in atrio Ecclesiae ponantur, nisi tantum Presbyterorum.

Cap. 12. Item decretum est, ut nullus laicorum alicui Presbytero suam commendet Ecclesiam, praeter consensum Episcopi: sed eum prius mittat suo Episcopo, vel ejus Vicario, ut probetur, si scientia, aetate, & moribus talis sit, ut sibi populus Dei commendetur.

Cap. 13. Statuit quoque S. Synodus, si duo de adultério accusati fuerint, & ambo negaverint; & orant sibi concedi, ut alter illorum utrosque divino purget iudicio; si unus in hoc deciderit, ut ambo rei habeantur.

Cap. 14. Decretum est etiam, ut omnes banniti jejunium in quocumque Episcopio celebratur, diligentissimè observent: & si quis illarum octo interdictarum rerum aliquam redimere voluerit, unum pauperem prout sua facultas erit, eadem die reficiat.

Cap. 15. Decrevit quoque S. Synodus, ut nullus Romam eat, nisi cum licentia sui Episcopi, vel ejus Vicarij.

Cap. 16. Et illud sub anathemate praeceptum est, ut nullus Presbyterorum cuiquam poenitenti carinam dividere praesumat; si infirmitas non intervenerit.

Cap. 17. Quia multi tanta falluntur mentis sua stultitia, ut in aliquo capitali crimine inculpati, poenitentiam à Sacerdotibus suis suscipere nolunt, in hoc maxime confisi, ut Romam euntibus Apostolicus omnia sibi dimittat peccata: sancto visum est Concilio, ut talis indulgentia illis non proste, sed prius juxta modum delicti poenitentiam sibi datam à suis Sacerdotibus adimpleant, & tunc Romam ire si velint, ab Episcopo proprio licentiam & litteras ad Apostolicum ex hisdem rebus deferendas accipiant.

Cap. 18. Decretum est etiam in eodem Concilio, ut omnis poenitens, dum carinam suam jejunat, de loco ad locum non migret; sed permaneat ubi suam acceperit poenitentiam; ut proprius Sacerdos sibi praebeat testimonium. Si autem ibi propter hostiles insidias jejunare non poterit, suus Sacerdos eum confratrum suorum alicui, ubi pacifice possit jejunare, diligentissime commendet.

Cap. 19. In eodem quoque Concilio decretum est; ut nullus Presbyterorum quemquam, nisi jussu Episcopi in Ecclesiam introducere praesumat, cui pro aliquo delicto ingredi non liceat.

Hac quidem Synodi hujus decreta, temporis, ut dictum est, necessitate exigente sic ordinata; sed in dispositione jejunij quatuor temporum, salva auctoritate non



*bene considerata. Unde Romana Ecclesia supra fundamentum divinae dispositionis rationabiliter ordinata, & contra novitatum adinventiones rationi & auctoritati contrarias, magisterio Petri in omnibus & de omnibus pleniter informata, hanc de Jejunio quatuor temporum constitutionem refutavit: ut patet, quam auctoritati sanctorum Patrum contraire, & rationi legitime Lunationis non convenire manifestè recognovit. Leo namque primus, in ordine Pontificum quadragesimus septimus, cujus auctoritate congregatum & confirmatum est sanctum Calcedonenſe Concilium, & Gregorius junior in ordine Pontificum nonagesimus, jejunium vernale in Quadragesima, & jejunium aestivale in Pentecoste celebrari instituerunt. in quibus beatus Gelasius Papa in ordine Pontificum quadragesimus nonus, ordines fecisse & fieri instituisse, in decretis suis invenitur. Ipsa quoque quadragesima cum in Februario plerumque occurrat, sicuti in decem annis cycli decennovales, videlicet sexto decimo, quinto, decimo tertio, secundo, decimo, decimo octavo, septimo, decimo quinto, quarto, duodecimo, saepe contingit: in quo scilicet Februario, Patres reverendi sanctitate & Apostolica auctoritate praecipui, Simplicius, Gelasius, Symmachus, Felix, ordinationes fecisse leguntur: contra rationem quadragesimalis Lunationis concilium hoc de jejunio vernale in Kalendis Martij disposuisse constat: cum sabbatum XII. lectionum vernalis jejunij, aliquando decimo sexto Kalendis Martij, aliquando decimo tertio Aprilis occurrat. Concordia quoque officiorum, summopere servanda in jejunio aestivali, confunde-*

fundereur: cum cantus quadragesimalis cum orationibus suis, lectionibus de Spiritu sancto in Pentecoste improprie adjungeretur. Unde Gregorius Papa ejusdem nominis septimus, qui & Hildebrandus Monachus, ejusmodi varietatem & confusionem, secundum Apostolica norma consuetudinem informare cupiens, anno ab Incarnat. Domini MLXXIIX. Indictione prima, habita Roma Synodo in Ecclesia Domini Salvatoris, que dicitur Constantiniana, presentibus Archiepiscopis & Episcopis numero ferè centum, cum innumerabili diversorum ordinum multitudine, inter cetera Canonice executionis negotia, que renovando confirmavit, & confirmando innovavit, Jejunium quod Martio ascribitur, omni anno in prima ebdomada Quadragesima secundum lunationis observationem, sicut & Pascha celebrari disposuit, sicut predecessores suos constituisse, claruit. Jejunium astivale infra ebdomadam Pentecostes, Jejunium autem autumnale, juxta statuta sanctorum Patrum Leonis & Gelasij, & aliorum plurimorum in septimo mense debemus celebrare: & secundum Ecclesiasticam consuetudinem in tertio Sabbato Septembris jejunare. Hoc observato, ut si Kalende Septembris, secunda, tertia, vel quarta feria intrant, in tertia ebdomada; si quinta, sexta feria, vel Sabbato intrant, in quarta ebdomada celebretur. Hec minus capacibus enucleata, ingenio sagacibus non sint ingrata, que cum antiquitatis notitia conferant eis studij florentis exercitia.

LXXVII. Episcopus autem Meinwercus Monasterium inchoatum accelerans consummare, sanctuario,



Quario testudinato, Imperatorem in Nativitate Domini *Patherbrunno* invitavit: & sperans eum Imperiali magnificentia, aliqua daturum prædia, in præsentia ejus hoc dedicare proposuit; ex inopinato autem sanctuarium, casum ipsius Ecclesiæ futurum præsignans, cecidit: & ita Episcopo domi forisque negotiis regni multipliciter occupato, Monasterium hoc usque ad annum Dominicæ Incarn. MXXXI. indedicatum permansit.

LXXVIII. Invitatus autem Imperator adventum suum denuntiavit Episcopo, præcipiens necessarium suo præparari balneo. Episcopus autem, per omnes curtes suas Dominicales, agnas fœtas occidi faciens de velleribus agnorum infra uterum earum inventorum, pelles fieri mandavit, quibus pallio novo adoperis, & gulis martherinis in circuitu ornatis. Imperatorem post balneum vigiliæ vestivit. Magnates autem regni, qui plures aderant, accedentes, pallium consideraverunt, & rem ut suspicati erant, deprehendentes, Imperatori innotuerunt. Qui advocato Episcopo, *cur pelles ovinas sibi dedisset?* inquisivit, & honoris & amoris ignarum, dignitatisque Romani Imperij eum oblitum proclamavit. Episcopus autem optimum genus indumenti cuiq; ordini, conditioni & dignitati conveniens, se dedisse afferens, mercatores advocavit; eosque per gratiam suam hac de re contestatus, eorum testimonio, quæ dixerat vera approbavit. Et accedens ad Imperatorem, *Ego, inquit Henrico, pro corpore tuo mortali vestiendo, pauperem B. Mariae semper Virginis Episcopatum à te mihi collatum,*

*rum, devastavi: Canonicos ejus, villicos ac mendicos, de velleribus ovium occisorum fovendos, de lactis eorum copia cibiq; varij alimonia alendos fraudavi & spoliavi, cujus mali coram Deo reus tu eris, si non velociter & pleniter Ecclesie ablata restitueris. At Imperator arri-dens, Ego, inquit, si quem defraudavi, vel mei causa defraudatum novi, reddam quadruplum; & sic pro hu-jus damni restitutione, contulit ei prædium in Sictini.*

LXXIX. Cantatis autem vesperis in sacris vigilijs, misit Imperator scyphum suum mirifici operis cum ficera Episcopo, commendans & præcipiens nuntio, ut non rediret visurus faciem suam sine scypho. Epi-scopus autem, condigna gratiarum actione missa suscipiens, diutina & varia verborum altercatione & dilatione cum ferente habita, scyphum non reddidit, egressoque tandem eo, obsecratis firmiter post eum januis, ascitisque aurificibus suis, *Brunharde* & filio ejus *Erphone*, ipsa nocte Nativitatis Domini, calicem de scypho fieri jussit. Matutinorum autem solemnijis apud Monasterium novum, Imperatore præsentem, celebratis, inter Evangelium subsequenter Missæ ma-turinae, Episcopus perfectum calicem consecravit: & ut in præsentem divina mysteria in eo celebrarentur, mi-nistis tradi mandavit. Capellanus autem Imperatoris ad eam Missam subdiaconi functus officio, epigram-mata calicis legit, & lecta Imperatori ad legendum ob-tulit: quibus ab Imperatore quoq; lectis, ad Episco-pum accessit, & furti eum reum arguens, *Deum rapi-nam illam odio habere in holocausto, dixit: Ego, inquam Episcopus, non rapinam, sed avaritiam tua vanitatis,*  
cultus



*cultus mancipavi divinitatis. Tu ad augmentum tua  
 perditionis, aufer Deo, si audes, oblationem mea devotio-  
 nis. Ego, inquit Imperator, Deo mancipata non aufer-  
 ram, sed qua mea sunt ei suppliciter offeram: tu de tuis  
 justis laboribus honora Dominum, dignatum in hac no-  
 ste pro salute nasci omnium. Mox ergo, inchoato of-  
 fertorio, Imperator calicem ad altare solemniter ob-  
 tulit; animæque ejus & corpori imprecatus Episco-  
 pus prospera, non modicas gratiarum actiones retur-  
 lit. Ad offertorium autem Missæ de luce, Episcopus  
 ab Imperatore instanter Curtem regalem *Ervete* exi-  
 gens, oblationem ejus suscipere recusavit; Imperatricis  
 autem suscipiens, sibi apud Imperatorem eam fore  
 auxilio pro obtinendo *Ervete* obsecravit. Deus au-  
 tem omnipotens, in cujus manu sunt corda Regum  
 meritis Episcopi, cujus devotio complacuit sibi, con-  
 vertit in bonum cor Imperatoris, qui sciens se in die  
 injuriam ab Episcopo habiturum, ascitis primo dilu-  
 culo Notarijs, occultè fieri fecit de *Ervete* privilegi-  
 um. Ad offertorium igitur principalis missæ Impe-  
 rator, frequenti Principum stipatus caterva; Deo  
 oblaturus divinis debitum beneficijs, qui se pro hu-  
 mano debito Deo Patri obtulit in ara crucis, ad Epi-  
 scopum venit; sed ille averso vultu & manu, repetitis  
 vocibus instanter *Ervete* expetijt. Imperator autem  
 congrua reverentia, & disciplina repulsam sui dissi-  
 mulans, præcedentem Episcopum sequebatur, & ut  
 oblationem suam suscipere dignaretur, humiliter  
 precabatur. Diu autem uno præcedente, altero sub-  
 sequente, Imperatrix Christianissima, interventu ma-  
 gnatum*

gnatum regni, qui ad hoc spectaculum gratulabundi  
 stabant accessit, & ut petitioni non nisi quæ Dei es-  
 sent quærentis satisfaceret, Imperatorem suppliciter  
 petijt. Qui diu multumque renisus, tandem Episcopi  
 perseverantia, Imperatricis Primatumque coactus  
 instantia, privilegium protulit, & accedens ad altare  
*B. Dei genitricis & perpetua Virgini Maria, sanctisque*  
*Kilano & Liborio, & altanti Meinverco Episcopo*  
 suisque successoribus, curtem *Erve* sitam in pago  
*Westalon*, legaliter obtulit. Episcopus autem gau-  
 dio repletus ineffabili, Rex omnium Sanctorum, ex-  
 clamat, retribuatur tibi. Et Imperator averso vultu, oc-  
 culte submurmurans; *Tu, inquit, odium Dei omniumque*  
*Sanctorum ejus habcas, qui me bonis concessis cum de-*  
*trimento regni spoliare non cessas.* Episcopus autem  
 privilegium cum manu in altum exaltans, *Beatus es,*  
*ait, Heinric, & bene tibi erit, cui pro hac oblatione*  
*caelum patebit, cujus anima cum Sanctis sempiterna pos-*  
*sidebit gaudia.* Videte, ait, omnes populi, considerate fi-  
 deles universi, talis oblatio peccatorum fit abolitio; hoc  
 sacrificium Deo acceptabile, animabus fit propitiabile.  
 Hoc quique fideles pro posse sua facultatis imitari studeant,  
 ut pro temporalibus aeterna, pro transitorijs mansura ob-  
 tinere valeant. Universi autem magnis vocibus Dei col-  
 laudabant magnalia, gaudentes super omnibus, quæ  
 audierant & viderant, eidem Ecclesie collatis donariis.

LXXX. Quarto autem Nonas Januarii cryptam  
 in novo suo Monasterio in honore *S. Stephani Pro-*  
*tomarij* consecravit, & lapidem quendam altaris  
 spectabilis magnitudinis à *B. Leone Papa* consecra-  
 tum.



tum, de Ecclesia *Thietmelle* allatum in ea collocavit, & adorandas ejusdem Protomartyris reliquias cum alijs multorum Sanctorum in eo reposuit.

LXXXI. Varijs autem modis & temporibus, Ecclesie commissa prospiciens Episcopus, oportune importune Imperatori institit, & nunc gratuito oblata cum gratiarum actione suscipere, nunc negatim violenter praeipere non destitit. Quodam denique tempore Imperator in Ecclesia principali missam auditurus, regali praeparatura altare fecit ornatum, monens suos, Episcopi solitam invasionem cautius praecaveri. Episcopus autem eandem missam celebrans, post *Agnus Dei*, pulpitum ascendit, & differentiam inter Imperij potestatem, & Sacerdotij asserens dignitatem, res divini juris non esse humani honoris; & divino cultui consecratum, ad jus pertinere Sacerdotum, Canonica auctoritate ostendit. Unde Ecclesiastica ornamenta, & sacerdotalia indumenta, super quae & per quae ea hora & Ecclesia divina celebrata erant Sacramenta, ejusdem Ecclesiae proprietati & utilitati, Pontificali auctoritate & banno confirmavit; & omnes suae Canonicae auctoritati reniti praesumentes, cum suis fautoribus, a liminibus sanctae Ecclesiae, Apostolica auctoritate anathematizatos sequestravit.

LXXXII. Episcopus autem quoddam Imperatoris tegmen egregium praecipui decoris & mirifici operis pallium, saepenumero obtinere desiderans, effectum carnit, donec quadam die Imperatori pluribus intento illud fortuito rapuit. Imperator vero Episcopum

scopum de rapinæ inculans vitio, talionem debitum suo se tempore redditurum perhibuit: ille verò pallium hoc convenientius in templo Domini pendere, quàm sua membra mortalia tegere affirmans, minas ejus se vili pendere asseruit. Sciens autem Imperator, Episcopum secularibus negotijs multipliciter occupatum, tam in Latinitatis locutione, quàm in lectione, barbarissimi vitia non semel incurrere, de missali in quadam collecta pro defunctis, *Fa*, de *famulis & famulabus*, cum Capellano suo delevit, & Episcopum pro requie animarum patris sui & matris missam celebrare rogavit. Episcopus igitur ex improviso missâ celebrare accelerans, ut scriptum reperit, *mulis & mulabus* dixit: sed errorem recognoscens, repetitis verbis quod malè dixerat, correxit. Post missam insultans Imperatori Pontifici, *Ego*, inquit, *patri meo & matri, non mulis & mulabus meis missam celebrari rogavi*. At ille, *per matrem*, ait, *Domini, tu more solito iterum illusisti mihi, & non quoquo modo, verum in Dei nostri servitio; Cujus ero vindex, en promittit meus index. Namq; sibi factum non pertransibit inultum*. Illicò Canonicis in Capitolium principalis Ecclesiæ convocatis, Capellanum Imperatoris hujus rei conscium, durissimè verberibus castigari jussit, castigatumque novis vestibus indutum ad Imperatorem nuntiatum quæ facta fuerant remisit.

LXXXIII. Miratus autem Imperator multiplicem Episcopi erga cultum Dei devotionem, experiri proposuit, si synceriter ex Deo esset, ejus intentionem :



nem: & alicuius Notarij scribi fecit litteris aureis in  
 scedulis, *Meinverce Episcopo dispone domus tua, mor-*  
*rieris enim quinta die.* Episcopo autem in domo hy-  
 emali ad mensam confedente, de superiori æstivali  
 domo per postes scedula per hujus rei conscium oc-  
 cultè dimissa ante Episcopum corruit. Ipseque eã  
 acceptã & perlecta, usu corporeæ fragilitatis primo  
 stupens inhorruit. Deinde ad naturæ necessaria ite-  
 rus, alias per loca dispersas invenit, & certissimæ sua  
 vocationis indices credens, Deo gratias egit; &  
 alicui suo Vicedomno, omnia quæ in pecunia vel  
 diversarum escarum copia habuit, Ecclesijs & pau-  
 peribus erogari præcepit. Vix autem quibusdam vi-  
 libus indumentis sepulturæ suæ retentis, expedire  
 à curis omnibus, horam vocationis suæ gaudens ex-  
 pectabat, & precum laudumque insiltens hostijs, vi-  
 gilij & jejunijs dies noctibus continuabat. Itaque  
 transacta die quinta, cum in crypta solo prostratus  
 usque in mediam noctem exitum suum præstolando  
 nihil corporalis molestiæ sensisset, tandem in se re-  
 versus esurire cœpit: & Imperatoris suspicatus, ut  
 revera erat, machinamenta, ad cubiculum redijt, &  
 cibarijs de foro mutuo allatis corpus jejunijs & vigi-  
 lij attenuatum cibo somnoque refecit. Mane facto  
 Imperatore cum principibus quasi de resuscitatione  
 Lazari gratulante, & pròlixiora vivendi spatia ad ex-  
 emplum & provectum aliorum à Deo sibi concessa  
 affirmante; Episcopus antequam Missarum solemnitas  
 initiaret, pauca pro re & tempore ad populum locu-  
 tus, Episcopalem irrisionem & rerum Ecclesiæ di-  
 stractionem

tractionem omnibus innotuit, & ejus rei auctores & fautores Apostolica auctoritate anathematizatos à sanctæ Ecclesiæ gremio, omniumque fidelium confortio, usque ad condignam satisfactionem segregavit. Imperatore protinus cum Imperatrice cæterisque facti illius conscijs monasterium egrediente, & excessum humanæ levitatis humiliter recognoscente; discalceatus, & cilicio indutus adventum Episcopi ante fores monasterij publicè pœnitens expectavit. Et post missarum solemniam egressuro Episcopo in animo contrito & spiritu humilitatis prostratus, absolutionem anathematis interventu qui aderant, cum suis difficulter impetravit. Imperialem igitur largitus extendens Imperator manum in opus misericordiz, distracta multipliciter restituit, & deinceps cordatenus Episcopo unitus, ad omnia quæ tam in proprijs quàm in conservorû & cœpiscoporum suorum necessitatibus expetisset, benignissimè annuit. Admiratur ergo & veneretur à fidelibus, ut meretur, Episcopalis auctoritas, & Imperialis, & commendatur in eis commendanda vitæ sinceritas, & meritorum tanta sublimitas.

LXXXIV. Devotissimus igitur Imperator, circa memoratum locum *Patherbrunnon* multis donis piissima largitate celebratis, quasi spiritu quodammodo præcognoscens se eo amplius non venturum, erga Deum & eundem locum dilectumq; sibi Episcopum suæ dilectionis indicia non minima dereliquit. Interventu namque venerabilis *Cunigunda* Imperatricis assiduè monentis, atq; incessabiliter ei in memoriam



moriā revocantis, quod Episcopus *Meinvercut* plus cæteris fidelibus suis jugi devotione in servitute regia sudasset, contulit ei prædium quoddam *Hoensle* dictum, in pago *Westfalon* situm, in comitatu *Bernhardi* Comitis, quod Episcopus Ecclesie suæ novæ mox tribuit cum omnibus ejusdem prædij appenditijs. Die quoque eadem aliud prædium dictum *Steini*, situm in pago *Westfalon* in Comitatu *Bernhardi* Comitis, ei Imperator dedit; quod sibi suisque successoribus ad majoris Ecclesie dominium Episcopus retinuit.

LXXXV. Ipso die, videlicet XV III. Kal. Februarij, Ecclesiam ab Episcopo noviter constructam Imperator ab omni sæculari violenti exactione vel invasione stabilivit & communivit, Imperialis edicti auctoritate decernens, *ut nulla persona quemlibet Abbatem ipsius Ecclesie cum suis fratribus super bonis concessis vel concedendis, inquietare, molestare, aut devestire præsumat, aut aliqua judiciaria potestate se immittat; excepto advocato ab Abbate & fratribus in defensore electo: adjiciens hoc in præcepto, ut si quis hoc infringeret C. libras auri componeret, L. regia camera* L. eidem Ecclesie.

LXXXVI. Monasterio quoque *Confunga* nominato, in honore sancti Salvatoris, sanctæ quæ ejus Genitricis, nec non victoriosissimæ Crucis, atque beati Petri Apostolorum principis constructo, quoddam prædium regij juris *Hardinchusun* dictum, pro remedio animæ suæ dilectæque conjugis suæ *Cunigunde* Imperatricis *Augustæ*, nec non pro animabus fidelium

um suorum, quorum corpora ibi requiescunt *Erpho-*  
*nis* Comitibus, atque *Cononis* eadem die ibidem in *Pa-*  
*therbrunno* contulit, ea videlicet ratione, ut venerabi-  
 lis ejusdem Ecclesiæ Abbatissa *Outa* nomine, sibi que  
 post hinc succedentes, proprietario ipsum jure possi-  
 derent. Tali similique studio regis devotionis, pro-  
 fecit S. Ecclesia augmento sacræ religionis, & in suo  
 statu vigente capite, viguerunt in suo profectu mem-  
 bra Ecclesiæ.

LXXXVII. Illius quoque temporis Episcopi sa-  
 pientia & scientia præditi, subjectorum profectibus  
 continuè erant dediti, secundas Imperij partes sanctè  
 & justè adjuvantes, sacerdotij rigorem nullatenus re-  
 laxantes. Inter quos vitæ merito eminebant *Trevi-*  
*rensis* Metropolis, ex qua primum sonus Evangelicæ  
 prædicationis intonuit partibus Teutonicis, *Mein-*  
*go* & *Poppo*; *Coloniensis* quoque *Heribertus* & *Piligri-*  
*nu*; *Maguntiensis* Ecclesiæ *Willigisus* & *Erchanbaldus*,  
*Aribo* & *Bardo*; *Burchardus* *Wormatiensis* studio suo  
 in collectione Canonum in Ecclesia laudabilis; *Traje-*  
*ctensis* *Ansfridus* & *Athalbaldus*; *Mimigardevorden-*  
*sis* decor *Thiedericus* & *Sigifridus*; *Osnebruggensis*  
*Thietmarus*; *Hildenesheimensis* *Berenwardus* & *Go-*  
*dehardus*; *Mindensis* *Sibertus* & *Bruno*; *Werinbarius*  
*Argentinae civitatis*; *Meinhardus* & *Bruno* *Wircebur-*  
*gensis*; *Parthenopolitanae* *Gero*, & *Hunfridus*; *Bremensis*  
*Unuwanus*, & alij quam plures pontificij dignitate  
 venerabiles, sanctitate incomparabiles: quorum me-  
 ritis adeò illo in tempore floruit Ecclesia, ut non sit  
 hodie aliqua quæ nobis ejus temporis non portendat  
 suorum



suorum meritorum insignia. Hi ut *Cherubin*, virtutum suarum alas alter ad alterum concutiebat, & in laude Dei orbem terræ commoventes, meritorum qualitatibus tanquam discreti vultibus, & in corporalibus & in spiritualibus oculati ante & retrò, tam in prosperis, quam in adversis populum commissum strenuè gubernabant. Tales erant Episcopi *Meinverci* contemporales. Per hos Dominus triumphato mundi principe, propagavit Ecclesiam suo sacro redemptam sanguine. Hi *Meinvercum* pro vitæ suæ innocentia magna venerabantur reverentia, cui tam in Ecclesia quàm in curia magnam pariebat dignitatem temporalium rerum opulentia. Porrò *Meinvercus* digniores & proveciores inter eos filiali reverentia venerabatur ut patres, coætaneos & juniores amplectebatur ut fratres; majorum admonitione & institutionem humiliter percipiens, eandemq; similibus & junioribus salubriter impertiens. Mira ei ad omnes karitas, inæstimabilis morum & verborum suavitas, ut amorem Dei in eo interius ferventer flagrantem quodammodo intelligeres per gratiam exterius coruscantem. Erant quoque tunc monachi quaquam versus religiosi, in vigilijs, orationibus & divinis meditationibus studiosi, præsentia contenti, cogitatione & omni aviditate cœlestia desiderantes.

LXXXIX. Postquam autem tali Imperatore tantarum virtutum haud segni executore mundus non erat dignus, ipseque pro consummatis gloriosissimis hujus vitæ laboribus cœlesti bravio erat donandus

Gruona

*Gruona* decumbens, cum totius Christianitatis inestimabili mœtore, anno vitæ suæ LII, Regni XXII, imperij X. Dominicæ Incarnationis CIO XXIV est defunctus, & *Bavenberge* translatus, in *Ecclesia BB. Apostolorum Petri & Pauli* honorificè est sepultus, tumulusque ejus tali Epitaphio insignitus:

*Henric Augustus virtutum germine justus,*

*Hæc servat cujus viscera puris humus.*

*Splendor erat legum, speculum, lux gemmaq; Regū;*

*Ad cælos abiit, non moriens obiit.*

*Idibus in ternis vexantem pondera carnis,*

*Julius ætherco sumpserat imperio.*

*Abbatissa pia (quod reddat sancta Maria,)*

*Hildegarda sibi jusserat hoc fieri.*

XC. Episcopus autem, obitu ejus audito, per totam civitatem Patherbrunnensem, omnemq; Episcopatum, transitum ejus agi sollenniter mandavit; & pro animæ ejus remedio eleemosynas non minimas tam in alimentis, quam in vestimentis, pauperibus erogavit. Quamvis autem gauderet de patrono præmisso, doluit de solatio amisso; transfixusque doloris nimij gladio, non potuit imperare sibi, quin doleret corde & animo. Et Imperator quidem perceptis laborum suorum præmijs, inter cives cælestis Hierusalem, gaudio æternæ claritatis ineffabiliter tripudiabat: Episcopus autem ut congregata à luporum incurfione conservaret, & pro acquirendis alijs operam daret, inter cives Babiloniæ aliquandiu commorari habebat.

XCI. Post obitum igitur Imperatoris soli Saxones in quodam castello quod *Werla* dicitur convenerunt;



& tam de Regis electione, quam aliarum rerum necessaria dispositione, tractare cœperunt. Ibi dominus *Memvvercus* Episcopus, & *Thietmarus* frater Ducis Saxonie *Bernhardi*, quicquid injuriarū vel controversiarum de Abbacia *Helmvvardeshusun*, aut alijs rebus ad invicem habuerunt, penitus dimiserunt: & intervenientibus *Sigifrido* avunculo ejus, *Herimanno de Westfalan*, *Bennone*, *Amulungo* Comitibus, alijsque præsentibus, plenariè reconciliati; hujusque reconciliationis testes litteris sunt mandati.

XCII. Beneficium quoque domnæ *Addæ de Hammonstide* concessum, Imperatore mortuo mox ad eum redijt locum, ex quo prius fuerat acceptum. Episcopus autem ut sapiens semper sapienter fecit, & ex substantia Ecclesiæ, beneficium domnæ *Addæ* secundum velle ejus, ut Imperator constituerat, restituit, concedens ei ad terminum vitæ suæ *Liudalungaroth*, *Haverlain* & *Dalherm* cum LXXX familijs. Hoc insuper constituens, ut non solum corporæ utilitatis, & necessitatis remunerationem, sed cum dies vitæ ejus extremus venisset, saluberrimam animæ suæ experiretur commemorationem: ita ut à fratribus die XXX. obitus ejus, omnibusque anniversarijs, Missæ & Psalmodiæ celebrentur, & elemosynæ, sicut in anniversarijs ejusdem Ecclesiæ Episcoporum pauperibus erogentur, & fratres ibi Deo servientes duo & duo quatuor panes, duos triticeos, duos siligineos, vel avenæ, X. carnes, unam amphorâ cervisiæ, unam eminam plenam medonis accipiant. Scholastici vero duo & duo, duos panes & quatuor carnes.

carnes, & unam eminam plenam cervisia inter se dividant. Hæc in præsentia *Sifridi, Udonis, Bennois, Comitum, Wiric, Lindovig, Wiclini, Huvike villicorum,* & aliorum multorum sunt facta, & ad memoriale perpetuum litterarum serie firmata. O Episcopum idoneum, de Ecclesiæ commissa profectum in tantum sollicitum! qui & corporibus utiliter prospicere, & animabus salubriter novit consulere.

XCIII. Principibus autem pro electione Regis dissidentibus, octo ebdomadibus solium regni vacavit, & sic *Conradus*, unus ex regni primoribus, sed regno antea per rebellionem adversus, faventibus sibi *Aribone Magontienſe Archiepiscopo, Everbarde Bavenbergense An. Dom. Incarn. MXXIV,* ab U. C. MDCCLXXV, octogesimo quinto loco ab Augusto, VI. Idus Sept. illud obtinuit, & *Magontia Regiæ consecrationis dominium accepit.* Proxima Idus Septembris facto iterum conventu Principum, præſente *Meinverco* Episcopo, in loco qui *Hirtveldun* dicitur, meritis sanctissima *Ida* insigni, *Hildigunda* Abbatissa de *Gesike*, cum *Bernhardo* nepote suo & advocato, prædia *Vilſi, Viſperdun, Hoddingahufun,* quæ olim à *Sigebodone* & à ſua uxore *Embilan* pro quadam emendatione *Patherbrunnensi* Ecclesiæ tradita fuerant, infirmare voluit. Sed in præſentia *Bernhardi Ducis Saxonie, Herimanni Comititis,* & filiorum ejus *Heinrici, Conradi, Athelberti, Bernardi,* Comitum quoque *Ekkike de Aſlan, Erph. Amulungi, Thiederici Freſonia, Widikindi, Ekkike, Tiammatra-*



trisque ejus *Esici*, & aliorum multorum, justo iudicio convicta, ab omni executione penitus cessavit.

XCIV. Conrado igitur Rege in regno confirmato & corroborato: mutato regno, mutatis etiam, et solet, amicis & consiliarijs, per suggestionem *Aribonis* Magontini Archiepiscopi, Comitatum quondam *Dodiconis* Comitis, quem prædecessor suus Imperator ali munificentia *Patherbrunnensi* Ecclesiæ de dextris ab ea tulit, & in jus *Magontina* Ecclesiæ, rudis adhuc in regno, injusto persuasus consilio, irrationabiliter transtulit, & transmavit. Venerabilis autem *Martinus* *verucus* Episcopus Imperatorum devotissimus servitor & amator, *Martha* sedulus satagens obsequii non cessavit, non quievit suo tempore supplicando serviendo, quoadusque idem Rex Imperator factus omnipotentis Dei, in cuius manu corda Regum sunt in stinctu, fideliumque suorum interventu, ablata restituit, & alia quam plura regali magnificentia ei tribuit. Sciens itaque Episcopus, æquum esse serviri Regibus & Dominis, *Ut Christi famulis ad verum proficit honorem, Dilexisse bonos & tolerasse malos*, ad Regem se contulit, & dilata sapienter interim omni querelâ, obsequio amicitiam, benivolentiâ novi Principis gratiam adipisci proposuit. Rex autem tantæ dignitatis & nobilitatis virum debita veneratione suscipiens, amoris & honoris congrua exhibitione eum tenuit: profectusq; Romam secundo electionis suæ anno, in negotijs tam privatis quam publicis fidelem & utilem viâ comitem habuit.

Eodem

XCv. Eodem anno MXXVI. in natali S. *Matthæi* Apolloli *Aribo Magontinus Archiepiscopus* in *Selinganstad* concilium generale XII. Episcoporum concivit, in quo beatæ memoriæ *Godehardum* Hildenesheimensis Ecclesiæ Episcopum super *Gandinesheimens* parochia publicè convenit: quam tamen synodum unanimitas fratrum in futurum annum in præsentiam Regis comperendinavit.

XCVI. Rege autem in *Longobardia* manente, *Wolfgangus Patriarcha Aquilegensis* ei obviam venit, imprecaturque novo Regi prospera, Episcopum *Meinvercum* consanguineum suum salutavit. Episcopo autem ad constructionem Monasteriorum reliquias Sanctorum expetente, Patriarcha gratanter annuit; & corpus S. *Felicis*, qui sub *Diocletiano* Imperatore, *Heronio* Præside, cum *Hilario* Episcopo & *Taciano* diacono post equuleum, atque alia tormenta, cum *Largo* & *Dionysio* Martyrium consummavit, postmodum misit.

XCvII. Rex autem natalis Domini festum *Iporeæ* initiavit. Inde ad limina Apostolorum tendens, feria III. ante cenam Domini Romam felici prosperitate gaudens intravit, & in sancto die Resurrectionis Domini cum *Gislâ* Regina coronam Imperialis honoris à beato *Ioanne Apostolorum Vicario* gloriose percepit. Imperator autem ab Apostolico de Ecclesijs Dei meliorandis propagandisq; admonitus salubriter obaudivit, & perpendens hoc se multum posse juvare, ad divini honoris & gloriæ majestatem, Ecclesias intra Imperij sui contiguum constitutas sublimare,



mare, & de rebus suis ditare: pariterque sciens ad Imperialis potentia dignitatem pertinere, bene sibi domini vel militiae servientibus condignam servitutis remunerationem exhibere, interventu *Gislae* Imperatricis suae coniectalis, & filij sui *Heinrici*, *Bruzon* Augustensis Episcopi, *Herimanni* Marchionis, fratrisque ejus *Ekkhardi*, quandam curtem ad jus Imperiale pertinentem *Ervece* dictam, in pago *Engere*, Comitatu *Marcwardi* Comitum sitam, cum omnibus appenditiis, & universis utilitatibus quae inde provenire poterunt attinentijs, cum banno & mercato etiam, quod apud eandem curtem solet haberi, domno *Meinverco*, qui saepe & multum frequenter, & fideliter sibi servierat, ibidem in Roma, sabbato sancto Paschalis ebdomadae, VII. videlicet Idus Aprilis decessit. Proxima die Dominica regressus, ac per varias circumquaque potestativè ea regione, in pace repatriavit, & nativitatem *S. Joannis Baptista* novus Imperator in *Imbripoli* celebravit. Ubi in bona senectute defuncto *Heinrico Duce* *Baioariae*, fratre Imperatoris *Cunigunda*, filio suo *Heinrico* eundem ducatum Principum delectu commendavit.

XCVIII. Imperatore ergo reverso, ipso anno facta est generalis synodus *Francauovordi* Episcoporum XXI, in qua praesidente Imperatore, beatus *Godehardus Hildenesheimensis* Episcopus dicecesim suam super *Gandenesheimensi* parochia, canonica synodali, quae censura, judicio VII. Episcoporum contra *Arbonem* Magontinum retinuit. In eadem synodo domna *Sophia* Nonnas suas, cogente synodali decreto, ab Ar-

ab Archiepiscopo recepit: & *Gebehardus* juvenis frater Imperatoris ibidem arma deponens, Clericalem tonsuram invitus accepit.

XCIX. Proximo anno *Heinricus* filius Imperatoris unctio *Piligrini Coloniensis Archiepiscopi Aquisgrani Rex factus*. Ipso anno *Aribo Magontinus Archiepiscopus* in *Gelethi* synodum generalem cum suis Suffraganeis Episcopis habuit, in qua inter cætera Ecclesiastica negotia, quidam homo ingenuus de homicidio *Sigisfridi Comitis* inculatus, candenti ferro se expurgavit, & ex decreto synodi post duas noctes illæsus apparuit.

C. Eodem etiam anno *Misaco* Sclavorum Princeps, Orientales partes Saxonix cum exercitu violenter invasit, & incendijs ac deprædationibus peractis, virorum & mulierum, parvulorumque innumeraibilem multitudinem, miserabili & inaudita mortificatione, trucidavit.

CI. Episcopo autē sedulò domi forisq; Imperatori obsequente, Imperator ei ad omnia quæ expetisset favir, & inter cætera quæ rationabiliter expetitus liberaliter aſſuit, XIII. Kal. Sept. in *Walabuson* talia bona, qualia ab ipso vel ab ullo antecessorū suorum Regū, Imperatorum, seu cæterorum hominum *Patherbrunnensi* Ecclesiæ collata sunt in Abbatijs, in Comitibus, in forestis, in telonijs, in monetis, in mercatis, in bannis, in immunitatibus, in omni districtu, in prædijs majoribus & minoribus, in mancipijs utriusque sexus, sive in omnibus pertinentijs ad hoc jure ac legaliter aspicientibus, interventu suæ conjugis

*Gisla*



*Gisla Imperatricis, & amantissimæ prolis Heinrici Regis, imperiali præcepto stabilivit & confirmavit ut nullus temerario ausu aliqua de rebus Ecclesiæ auferre, aut sine præfati Episcopi Meinverci suorumque successorum permissione se intrmittere præsummat. Sed ejusdem Ecclesiæ provisor tali jure ac legem quali Archiepiscopi & cæteri Episcopi res ad suum Episcopium possident, omnium hominum contradictione remota, bona concessa vel concedenda potestati vè possideat.*

CII. Decimo octavo Kal. Octobr. sequentis anni, qui fuit post obitum Heinrici Imperatoris sextus, facto in *Hiruveldun* conventu principum, Episcopus *Meinvercus* aderat, ibique veniens *Brun* Comes cum uxore sua *Ida*, infirmare voluit traditionem quam in prædijs *Sudesburch, Betanun, Wallensted* fecerat. Episcopus autem quasi sapiens tanta prædia perdere nolens, domnæ *Ida* usque ad exitum vite suæ LXXX. aratra in reconciliationem dedit, & altari-  
tibus legitimum que huic rei testimonium perhibentibus *Bernardo duce, Hermann* Comite, & filijs ejus *Henrico, Conrado, Athalberto, Bernardo*; Comitibus quoque *Eckika de Aslan, Bernardo, Erphone, Theodorico Fresonia, Widukindo, Eckika, Amulungo*, & fratre ejus *Ecberto*, legali jure hæc firmata obtinuit hoc fideliter decernens, ut si aliquis aratra domnæ *Ida* concessa auferret, illa omnia prædia sua sine contradictione reciperet.

CIII. Nobilis quoque quidam *Hathamarus* nomine, prædium quoddam in loco *Licmoneshus* dicto

Et, hereditario jure possedit, quod cuidam *Haaldo* seniori suo promissionibus illius illectus, absque voluntate heredis legitimi tradidit: postea *Hathamarius* imperante Domino obiit, & prædium ei matrisque suæ injustè abstractum, prædictus *Hathaldus* suæ concubinæ, filia videlicet *Bernardi* Comitis, quasi pro dotis causâ donavit. *Hathaldo* quoque post longum tempus mortuo, *Berthilt* mater *Hathamari* in præsentiam *Conradi* Imperatoris ejulando venit, suumque prædium injustè sibi ablatum multum conquerens, regali clementia sibi restitui suppliciter petit. Imperator verò misericordia motus, vim patienti benignè condoluit, & interventu *Gisle* Imperatricis, consilioque *Udonis*, *Hermannii*, *Eckihardi* Comitum, aliorumque multorum eidem *Berthildi* prædium injustè ablatum potestativè restituit: *Berthildis* verò memor salutis æternæ ipsum prædium per advocatum suum *Reinbertum*, cum consensu & voluntate uxoris suæ *Modunnæ*, justissimæ hæredis suæ, Ecclesie *Patherbrunonensi* in proprium tradidit: eique Episcopus *Meinwericus* quendam decimationem in villa *Thesli* ad terminum vitæ suæ concessit. Huic rei *Herimannus*, *Udo*, *Eckihardus* Comites, & alij plures testimonium legitimum dabant: & insuper omnes majores & nobiles, qui eo tempore in *Lacni* vivebant.

CIV. Pauper quoque quidam *Dajan* nomine, ad Imperatorem veniens, se cum matre sua prædiorum *Ufan* & *Ricvvardeffun*, quæ Episcopus ab *Americo de Ragun* gravi pecunia comparaverat, legitimum per-



perhibuit hæredem. Episcopus autem pro amore Christi eidem *Daja* unum equum, & V solidos, unum laneum pannum, ad reconciliationem dedit: & præsentibus *Hunfrido Magetbebergensi* Archiepiscopo, *Cadologo* Episcopo, *Lutgero*, *Burchardo*, *Alverico* Comitibus V. aratra ad X. solidos denariorum, in beneficium usque ad exitum vitæ suæ ei concessit.

CV. Anno autem Dom. Incarn. MXXX. *Conradus* Imperator difficili, periculosoque itinere regionem *Hungariorum* pervasit, & devotè sibi Episcopo ubique obsequente, interventu *Gisle* Imperatoris filiique ejus *Henrici Regis*, Kal. Junii in *Mersburg*, quondam *Bernardi* Comitis prædium *Pauberc* dictum cum X. mansis circa eundem montem adjacentibus, in pago *Niterga*, incomitatu *Haholdi* Comitis situm, testamentaria auctoritate ei contulit, quod ideo hæreditario jure in Imperialem potestatem successit, quia idem Comes *Bernardus* spurius (quod vulgò *Wanbûrtich* dicunt) fuit. Episcopus autem pro collatis gratias non minimas egit, & videns se laborem suum non in vanum consumere, magis ac magis pro obtinendis alijs insudare coepit. Miranda autem in tantæ dignitatis & nobilitatis viro continuæ servitutis & laboris pro Ecclesiæ commissa profectu instantia; ac notanda & laudanda in eo maximè amoris Dei flagrantia, digna sanè Episcopalis dignitatis, quæ propter Deum majori se subdicens, Dominum in potestate eminentiori, quæ ab eo est, venerari novit: digna quoq; Imperialis maiestatis, qui laboris & amoris sibi exhibiti negotia esse se nescivit.

CVI. Ubique ergò fidus & individuus comes Imperatori Episcopus existens, proximo anno secum *Alstede* venit, & prædia quæ habuerunt *Bernardus* & uxor ejus *Hazeka*, in locis *Alfflaan* & *Eltinun* in pago *Paterga*, in comitatu *Annulungi* Comititis, XIII. Kalend. Feb. ab eo obtinuit. Post hoc *Goslariam* divertit XI. Kalend. Martij, ubi prædia *Bennanhusun*, *Walaborch*, *Dadanborch* sita in pagis *Weiga*, & *Tilthi* in Comitatu *Widkindi* Comititis ei Imperator contulit. Ibidem die eodem, interventu *Gisle* Imperatricis, & filij sui *Henrici* Regis, & jure servitium Episcopi sæpissimè & fideliter impensum sibi, prædium *Heinhuson*, *Winidun*, *Windlinvoderod*, *Aldenthorps*, *Rurbercessun*, *Smideressun*, *Illisa*, *Hamereffun*, situm in pago *Auga* in comitatu *Conradi* Comititis, cum pertinentibus: *Haiconem* & *Ricardum* etiam cum suis omnibus Imperator *Patherbrunnensis* Ecclesiæ tradidit.

CVII. His actis, quidam vir *Wittilo* nomine Imperatoris *Conradi* serenitatem adiit, humiliter exorans ut prædium *Sannanabiki* dictum, situm in istis villis *Hornan*, *Frotintorp*, *Winesbiki*, *Rasseri*, *Knechabusun*, *Buckinhusun*, *Bennanhuson*, *Scuni*, *Berchem*, *Homan*, *Holtbuson* sua, uxorisque suæ *Ode*, filiaque eorum *Cecilia*, nec non *Gerburch*, filijque ejus *Odonis* petitione, ac collaudatione, ad suam Imperialem manum accipere curaret, & prædium *Zuerezi* quod Regiæ fuit proprietatis, illorum è contradictioni subjugaret. Quorum desiderio Imperator primatum suorum satisfaciens consilio, id quod illorum erat





ad suas manus recepit, & in illorum jus hoc quod fult  
 erat juris amicabilem remisit. His omnibus ita trans-  
 actis, prædictum prædium *Sannanabike* quod tunc  
 Regiæ judicabatur esse proprietatis, in Comitatu  
*Widukini* Comititis in pago *Wettiga*, interventu  
*Gisla Imperatricis*, *Heinrici Regis* dilectæ suæ prolis  
 nec non *Herimanni Marchionis*, *Meinoverco* *Epis-*  
*copo* suisq; successoribus ad utilitatem *Patherbrun-*  
*nensis* Ecclesiæ III Non. Aug. in proprium Impera-  
 tor tradidit: *recordatum* se dicens, *non in hoc tantum*  
*sed in alijs, sibi adhuc, Deo volente, ab eo tradendis*  
*prædijs, quod sum assiduam servitium devotius, &*  
*ceteris Pontificibus frequentius, non quasi uno, sed se-*  
*re in omni tempore anni habuerit.* Magnæ devotio-  
 nis & fidelitatis servitium, tam evidens Imperialis  
 majestatis habens testimonium!

CVIII. Tempore autem autumnali Imperator  
 Sclavos cum parva Saxonum manu invasit, & *Missa-*  
*conem* diu sibi resistentem, *Lutizi* cum aliquot urbi-  
 bus & præda, quæ prioribus annis in Saxoniam par-  
 tus facta fuerat, restituere pacemque juramento li-  
 mare coëgit.

CIX. Monasterio autem, quod in Occidentali  
 parte *Patherbrunnensis* suburbij Episcopus inchoa-  
 verat, pleniter & decenter, cum omnibus claustra-  
 libus officinis consummato, ab Imperatore hoc de-  
 dicandi & consummandi licentiam petijt & accepit:  
 regressusque dedicationi attinentia cum summa ab-  
 undantia preparari præcepit. Misso autem à *Wolff-*  
*gango* Patriarcha *Aquilegensis* corpore *S. Felicis* cum  
 duobus

duobus pallijs, v. Non. Octob. Episcopus in eodem Monasterio cum maxima Cleri, totiusque civitatis populi frequentia illud excepit. Et experiri volens Salutis ipsius auxilio, si sibi suoq; succurrere posset populo, rogam maximum in medio claustrisubdivo fieri præcepit, in quem cum tertio corpus mississet, totiensque in favillam reductus ignis extinctus fuisset, cum maxima omnium exultatione, & laudum jubilatione corpus manibus proprijs excipiens super principale altare detulit, & omnium venerationi solemnem sanctum illum deinceps haberi instituit.

CX. Oblationis ergo quam pro spe suæ salutis & incolumitatis, pro remedio animæ suæ, omniumque parentum suorum Deo offerre disposuit, testes & cooperatores idoneos adhibuit; ascitisque *Hunfrido* Archiepisc. Pathenopolitano, & Episcopis bonæ memoriæ *Godehardo* Hildenesheimensi, *Siberto* Mindonense, *Sigifrido* Monasteriense, aliisque quatuor, eos nuptijs suis festivis interesse petiit. Magontinus autem Archiepisc. *Aribo* eodem anno Romam profectus orationis causa, in reditu, VIII. Idus April. obierat, & *Bardo Werthenensis Abbas*, qui Imperatricis machinamento subintraverat, quique ante paucos menses *Arnoldo à Herveldensi* regimine deponitur successerat, varijs negotijs occupatus secundum desiderium Episcopi interesse non poterat. Solennitate ergo omnium Sanctorum Kal. Nov. in civitate *Patherbrunnensi* cum prædictis Episcopis, & innumerabili multitudine promiscuæ ætatis & dignitatis festivè celebrata, sequenti die Episcopis præ-





fentibus & sua auctoritate faventibus, Monasterium  
 suum in honore *B. Mariae perpetua Virginis, sanctorumque Apostolorum Petri & Pauli, atque omnium Sanctorum*, devotissime consecravir; & in dotem eius prædia hæc solenniter delegans, *Wuhun, Gelondorph, Merebeke cum Ecclesia, Rimi, Driburi, Goltbeke, Dodenhuson, Waldmanninckhuson, Havergo, Nedere, Balhornon cum decima, Lessete cum decima, Wanbeche, Hoënsile, in Radinheim* curtem cum familia, cum capella & decima super dimidiam villam. In *Putten* curtem cum familia, Ecclesiâ, & decima super omnem parochiam; Capellam in *Voribusen* ad eandem Ecclesiam pertinentem. In *Testerbant* curtem cum tota familia. Matrem Ecclesiarum, in *Tirion*, cum quatuor Capellis attinentibus *Niuvela, Helve, Hasien, Gamberem* cum decimis earum. *Burgnon*, item *Burgnon, Andepo*; cum omnibus suis pertinentiis, & ceteris omnibus quæ quomodocumque donari possunt utilitatibus, in mandiburdium & tuitionem omnipotentis Dei, omniumque Sanctorum commisit; admonens & contestans sub nomine Domini nostri *Jesu Christi*, ut nullus successorum suorum, sive alia aliqua persona magna vel parva, contra Ecclesias Dei sapiens foris aut intus, eidem Monasterio, rebusque sibi concessis, seu concedendis, aliquam violentiam seu rapinam ulla temeritate inferre, vel de præfato Monasterio aliquam auferre vel minnere, de thesauris vel prædiis vel maneribus ibidem constitutis, vel constituendis, vim aliquam sive molestiam irrogare præsumat. Ecclesiam

stam quoque in *Haldinghuson* cum banno Episcopali & tribus capellis pertinentibus eidem Monasterio delegavit: & ne quid Ecclesiasticæ dignitatis aut temporalis in aliquo ei decisset, solerter prospicere curavit.

CXI. Iste est autem ornatus quem eidem Monasterio tradidit, quemque frater *Andreas* consignante Abbate *Sigebardo* in custodiam recepit. Tabula ante principale altare argentea; Calix aureus VIII marcarum examinati auri LXXII lapidum decoratus ornatus; Calix fusilis argenteus XXX marcarum, in quo opere passio S. Stephani protomartyris continebatur; Calix argenteus minor XXII marcarum; Calices minores diversæ qualitatis & quantitatis purissimi argenti VI. Cruces argenteæ duæ cum baculis. Candelabra duo, tertiam dimidiam marcæ examinati argenti habentia; Coppa argentea; Ampulla argentea V. Dalmatica V. Casule XIV, Stole auro textæ VII, ex quibus una habuit XXVII tintinnabula, alia XXI, adjunctis cingulorum, & mappularum pertinentijs. Item alia VII. Stole, Subtilia III, Cappe XXV, Pallia coccinea XII, Coopertoria altaris varij generis VI, Mappula coccinea IX, Offertoriola coccinea duo, Dorsalia lanæ V, Choralia V, Cortina V. Bancalia VII, tapetia XIII, Albe L, cum super humeralibus suis & Zonis: Coopertorium analogij coccineum, lapides crystallinos XXXIII, Coronam argenteam ante principale altare continentem in festis præcipuis XII, candelas in honore omnium Apostolorum: Aliam coronam eiq; argenteam in medio Monasterij, continentem candelas in me-



*moriā LXXII Christi discipulorum, & alia multa, ac diversa ad Ecclesiasticum apparatus pertinentia.*

CXII. Liberam quoq; potestatem Abbatem eligendi secundum timorem Dei ad regularis auctoritatis firmamentum, sua Episcopali concessione ejusdem Ecclesiæ filijs stabilivit, & confirmavit: ita ut damnationem & ultionem in vasoribus Ecclesiarum à Deo prædestinatam incurrat, quicumque in hac re per aliquam violentiam, vel per malignum consilium eis obstiterit, & suam traditionem & constitutionem atque licentiam liberalem infringere, vel permutare quolibet ingenio tentaverit.

CXIII. Super his atque alijs Monasterij utilitibus facto testamento, ipse pijsimus pater & ceteri Episcopi præsentēs, sibi in confirmatione singillatim ad pulpitum succedentes, sua illud pontificali auctoritate & bano terribili ac formidabili stabilire, firmare, & roborare curaverunt: ut videlicet si quis contra hujus testamenti seriem cœnobio ipsi quodlibet dispendium sive injuriam irrogare tentaverit, omnipotentis Dei, Sanctorumque ejus iram atque offensam incurrat; & in die judicij, si non emendaverit, divino maledicto subjaceat: *Itē maledicti in ignem æternum, qui preparatus est diabolo & angelis ejus.*

CXIV. Constituit autem non census vel debiti sed inviolabilis causa dilectionis, ut Abbas prænominati Monasterij omni anno in Dedicatione Ecclesiæ suæ, Episcopum, si præsens est, Canonicosque suos ad convivium invitet: nihilque aliud aliquid præter quod karitas dictaverit, aliquando persolvere cogatur.

tur. Hanc traditionem Comes *Amulungus* summus  
 matris Ecclesiæ *Advocatus* manu sua de altari susce-  
 pit & Regiæ potestatis banno in comitatu suo sta-  
 bilit. Super his præsentium atque futurorum o-  
 rationes sibi apud Deum Episcopus prodesse obse-  
 cravit, ut ipse sibi mercedem in die judicij restituat,  
 pro cuius amore se incepisse dixit, & perfecisse. De  
 prædijs autem eidem Ecclesiæ collatis, *Wirhun, Ri-  
 me, Mercbeche, Goltbeke, Dotenhuson, Waltmannin-  
 ehuson, Havergo, Wanbiche*, & bona in inferiori  
 terra hereditario jure possederat: *Nedere* verò &  
*Driburi*, ac *Hoensile* Imperator *Heinricus* ei ad ipsum  
 Monasterium dederat; *Gelantorph* quoque ut præ-  
 dictum est, à domna *Godruna* & filio ejus *Hodan* ob-  
 tinuerat. *Lessete* verò quædam nobilis mulier ad i-  
 psam Monasterium dedit: de quo Episcopus cœ-  
 nam fratribus provideri dispositione Cellerarij insti-  
 tuit. Decimas autem super curtes infra Episcopatum  
 suum constitutas eidem Monasterio delegatas ei  
 concessit, & super mansos attinentes, quòd prius sol-  
 verant, solui permisit: nolens maculare alterius ju-  
 ris imminutione, tanta à se constructum devotione.  
*Ab omni autem hostilicio & secularium exactionum  
 negotio, ipsum Monasterium liberum, & immune esse  
 constituit:* & ad innuendam futuris & prædia ipsius  
 transituris tam construendis devotionem, quam con-  
 structi in crucis trophæo speciem & defensionem,  
 per omnia prædia eò pertinentia, crucem sive in por-  
 tis, seu alijs eminentioribus locis figi præcepit.



CXV. Monasterio ergo hoc, anno Dom. In-  
 carn. MXXXI. Indictione XIV, IV. Nonas Novembris,  
 ut dictum est, sollemniter consecrato, post festum  
 proximum natalis Domini, Episcopus Imperatorem  
*Patherbrunnon* invitavit, ubi interventu *Gisla* Impe-  
 ratricis, suæque amantissimæ prolis *Heinrici* Regis,  
 & *Egilberti* Frisingensis Episcopi, quæ eidem Mo-  
 nasterio in quibuscunque rebus Episcopus contole-  
 rat, imperiali præcepto Imperator stabiliens, XVII.  
 Kal. Feb. confirmavit & corroboravit: eo videlicet  
 tenore, ut sub plenissima immunitatis tuitione hæc  
 consistant, & sub imperialis auctoritatis defensione  
 præfatæ Ecclesiæ fratres ea possideant: ita, ut nullus  
 iudex publicus, vel quislibet aliqua judiciaria potesta-  
 te præditus, loca vel possessiones eidem Ecclesiæ conces-  
 sas vel concedendas ad causas judicario more audiendas,  
 vel freda, tributa exigenda, mansiones, vel paratas fac-  
 ciendas, aut sivejutores tollendos, aut homines ipsa-  
 rum, tam litos, quam & ingennos super terram eorum  
 commanentes, contra rationem distringendos, nullo un-  
 quam tempore ingredi audeat, nec ulla publicas fun-  
 ctiones aut retributiones, vel illicitas occasiones require-  
 re, vel exigere ullo modo præsumat: sed prænominate  
 Ecclesiæ Abbas cum suo advocato, quem communiter  
 fratrum suorum consilio in defensorem elogerit, causas  
 rerum agendarum sagaciter providens, & sapienter dis-  
 sponens, suis suorumque fratrum utilitatibus, in omni-  
 bus fideliter & utiliter prospiciat. Hominibus autem  
 liberis, eidem Ecclesiæ collatis, qui Saxonice dicuntur  
*Malman*, eandem regie auctoritatis defensionem con-  
 cedent.

*cedens, quicquid fiscus regius de eis consequi debuit eidem Monasterio contulit; quæ Episcopus diversis u-  
sibus assignans, censum horum Lessete solventium, ad provisionem luminis in dormitorio deputavit.*

CXVI. Taliter vir Dei spe caelestium bonorum animatus, & consilio ac auxilio Christianissimi regis *Henrici* ejusdem nominis secundi, Imperatoris primi, venerabilisque *Cunigunda* Imperatricis in omnibus adjutus & confortatus, Monasterium hoc, ubi novissimam tubam expectare disposuit, monasticæ vitæ amore maxima devotione inchoavit, & Episcopatus sui anno XXIII, Regni *Conradi* ejusdem nominis secundi septimo, Imperij quarto, ut dictum est, consummavit, & ad alia construenda licentiam ab eodem Imperatore petijt & impetravit.

CXVII. Imperator autem à civitate *Patherbrunnensi* cum Episcopo divertens, *Hiltivwardeshusun* venit, ubi primo mane sequentis diei, scilicet Kal. Februarij, interventu *Gisle* Imperatricis, & filij sui *Henrici* regis, & præfati *Egilberti Frisingensis Episcopi*, & ob frequens devotumque servitium suum, quandam regie proprietatis curtem *Gardenebiki* nominatam in pago *Lacni* in comitatu *Herimanni Comitis sitam*, cum omni sua integritate, vel quicquid prædij habuit in villis *Huvinadal*, *Moldugavel*, *Liudelweshuson* situm in eodem pago, & in comitatu ipsius Comitis, cum omnibus attinentibus Episcopo dedit, ut ipse fidelis suus, sive longè sive prope esset, suæ devotissimæ servitutis eum non inanimem esse recognosceret. Tale testimonium suæ servitutis & fidelitatis



veraciter decuit eum, qui in omnibus & super omnia sinceriter dilexit Deum.

CXVIII. Imperator autem à *Hiltivvardeshus* progressus, *Fridislare* tetendit, ubi benivolentia eorum predictorumque instantia interpellatus, Comitatum *Herimanni* Comitis situm in istis tribus pagis, *Auga*, *Netega*, *Hessaga*, eodem die ei contulit.

CXIX. Tempore verò autumnali Saxoniam ingressus, *Magetheburg* devenit, ubi interventu *Gertrudis* Imperatricis, & carissimi sibi filij *Henrici* Regis, & Ecclesiæque commissæ sibi VI mancipia, quorum hæc sunt nomina *Thiethart Presbyter*, *Luiza*, *Hergrim*, *Ethilier*, *Athalvvart*, *Wicburg*, cum omnibus eorum substantijs dono suæ magnificentiaæ XL Kalend. Septemb. delegavit. Beata & beatificanda æterna memoria dantis & accipientis anima, qui cum Christo Domino sempiterna possideant gaudia.

CXX. Episcopus ergò pro obtinenda cœlesti Hierusalem Ecclesiam ad similitudinem sanctæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ facere disponens, *Winonem* Abbatem de *Helmvvardeshus*un, quem de Monachis civitatis suæ ibi præposuerat, ad se accersivit: eumque Hierosolymam mittens, mensuras ejusdem Ecclesiæ & sancti sepulchri deferri sibi mandavit.

CXXI. Nactus autem oportunitatem temporis, Comitatum *Dodiconis* Comitis ab eodẽ Imperatore ablatum per suggellionem Maguntini Præfulis, eodem Præfule mortuo, opportunè, importunè cepit requirere: timens si perdita negligeret, se ante Deum in acquirendis alijs parum proficere. Imperator autem

autem multimoda ejus erga Deum comperta devoti-  
one, justis ejus desiderijs gratuito in omnibus annu-  
it; & quærens oportunitatem voluntati ejus  
satisfaciendi, proximo anno III. Idus Maij *Novioma-*  
*go*, prædium in *Marsvelde* in pago *Rittega*, in Comita-  
tu *Udonis Comitis* situm, interventu *Gisle* Imperatri-  
cis, & dilecti filij sui *Heinrici Regis*, ob servitium  
suum secundum votum suum sapissimè sibi impen-  
sum, cum omnibus pertinentiis & mancipijs utrius-  
que sexus, quorum hæc sunt nomina, *Wiga* & uxor  
ejus *Olika*, & filius ejus *Albern*, & soror ejus *Athel-*  
*lyth*, *Volclach*, & filius ejus *Buna*, & soror ejus *Gele*;  
alia quoque tria mancipia, sub eadem præcepti au-  
thoritate, quorum hæc sunt nomina, *Emma*, *Sicca*,  
*Verthubrecht*, interim ei contulit: Et sic subsequen-  
te III. Nonas Augusti totum Comitatum *Dodico-*  
*nis* Comitis situm in locis *Hesse*, *Nitergo*, *Netgo*,  
*Bohteresge*, quem tunc *Bernardus* Comes possedit, in  
*Limburg*-*Patherbrunnensi* Ecclesiæ reddidit: & præ-  
cavens, ne aliqua disceptatio postmodum fieret, Co-  
mitatum qui situs est in *Cluzinga* Maguntino contu-  
lit: hoc decernens, ut si quis diabolica suasionem sedu-  
ctus hæc infregerit, sciat se odium Dei Sanctorumque  
ejus habiturum, & mille libras auri puri compositu-  
rum: medietatem regie camera, & medietatem *Pa-*  
*therbrunnensi* Ecclesiæ.

CXXXII. Reverso autem *Winone* Abbate de Hie-  
rosolymis, & mensuras ejusdem Ecclesiæ, & sepul-  
chri sancti reliquias deferente, cæpit Episcopus ad  
similitudinem ejus Ecclesiam in honore S. Dei Geni-  
tricis



*tricus & perpetua Virginis Mariae, ac beatorum Apo-*  
*stolorum Petri & Andreae, extra Patherbronnenlem*  
*civitatem in Orientali parte construere, in qua Ca-*  
*nonicos Deo servientes congregavit, quibus victum*  
*& vestitum de bonis propriis ministravit. Celeriter*  
*autem constructa Ecclesia, sentiens diem mortis sibi*  
*imminere, Archiepiscopos *Bardonem Magontinum,**  
**Herrmannum Coloniensem, & Brunonem Episcopum**  
**Wirciburgensem* ascivit, eorumque testimonio an-*  
*no Dom. Incarn. MXXXVI, Indi. IV, VIII Kal. Jun-*  
*nij eam dedicavit. In ipsa autem die sanctificationis*  
*Ecclesiae benedictione peracta ante Missarum solem-*  
*nia, sermone ad populum finito, more aliarum*  
*Ecclesiarum Deo consecratarum, eam dotavit; danti-*  
*bus ei curtem unam in *Theldun,* quam ex hereditate pa-*  
*terna possedit; duas precarie acquisitas, unam in *Wald-**  
**libbi,* alteram in *Asbiki,* & unum *Voreverck* in *As-**  
**ki,* unam curtem in *Valle.* Quia vero de praedijs in*  
*confinio tantum non habebat, ut sufficere posset ad*  
*usus Ecclesiae ac Deo servientium in ea, consilio fe-*  
*delium suorum accepto decimas subterscriptas de*  
*dominicalibus curtibus ad Episcopatum pertinenti-*  
*bus, eidem Ecclesiae dedit. Quarum prima est. *Enen-**  
**bus, & XIII. Voreverc* ad eam pertinentes, *Stidman,**  
**Bennidisla, Colstidi, Dedinghuson, Heddinghuson, Dal-**  
**Henghilari, Hilimari, Suafharon, Berghuson, Bruch-**  
**chuson, Balhornon, Patherbrunnon; Suheim & tres**  
**Voreverc* ad eam pertinentes: *Kyrcithorpe, Holtheim,**  
**Sivvar dassan; Nigenbus, & quatuor Voreverc* ad e-*  
*am pertinentes: *Ilasan, Ascha, Bruch, Tuna. Bek-**  
nam

B. M E I N W E R C I. 157

num, & quatuor *Voreuvec* ad eam pertinentes: *Henghi*, *Elinere*, *Brochufon*, *Aslan*, *Berghufon*, & quinque *Voreuvec* ad eam pertinentes: *Vralanchufon*, *Meginchufon*, *Burghufon*, *Hepin*, *Ikamanninchorpe*, *Bikefethon*, & tres *Voreuvec* ad eam pertinentes: *Hifi*, *Unrecaffon*, *Ekama*. *Helagankyrca*, & duo *Voreuvec* ad eam pertinentes: *Aldanthorpe*, *Bardingthorpe*, *Luthithe*, & duo *Voreuvec* ad eam pertinentes: *Dadenbrocke*, *Breca*, *Heginhufon*, & quatuor *Voreuvec* ad eam pertinentes: *Rothbehtuffon*, *Berga*, *Holtisminni* duo, *Acinhufon*, & sex *Voreuvec* ad eam pertinentes: *Sandenebike*, *Homa*, *Safinchorpe*, *Stenhem*, *Hardinchorpe*, *La*, *Nihem*, & quatuor *Voreuvec* ad eam pertinentes: *Mabede*, *Lieverinchorpe*, *Pummassan*, *Baddanhufon*, *Hiristalli*, & quinque *Voreuvec* ad eam pertinentes: *Wirigifi*, *Thesli*, *Brecal*, *Hemmadaffon*, *Buffaffon*, *Dasburg*, & duo *Voreuvec* ad eam pertinentes: *Dasburg*, *Aftnedere*, *Wardburg*, & tria *Voreuvec* ad eam pertinentes, unum in ipsa villa, *Westnederi*, *Aftdagaffon*, *Culite* & tres *Voreuvec* ad eam pertinentes: unum in ipsa villa, *Vorfti*, *Roikun*, *Hiriswithuhufon*, & tres *Voreuvec* ad eam pertinentes: *Aslan*, *Bilinhufon*, *Tevinchufon*, *Kurbike*, & quatuor *Voreuvec* ad eam pertinentes: *Dabovic*, *Anafi*, item *Anafi*, *Lenghivelde*, *Vilifi*, & unum *Voreuvec* ad eam pertinens: *Vernethi*, *Asbiki*, quæ est juxta *Hurfti*. Iphis autem villicis qui domos has prædictas inhabitabant, vel his qui post eos ponendi sunt, nihil omnino nisi XV. jugera pro vestitu prætermisit: alia vero omnia



omnia, quæ laboraverint in agro vel nutrierint in domibus, tam propria sua quæ habent, aut postea Deo annuente possessuri sunt, quàm ad Episcopalem potestatem pertinentia, quadrupeda sive pennata, more solito absque ulla contradictione addecimari constituit. Ut autem nulla ex his prætermitteret, quæ sibi à Deo data essent, dedit & decimam in *Sinithi* super armenta sua, & super examina apum fideliter Deo & Domino nostro *Iesu Christo*, sanctoque Spiritui offerens vota sua. Constituit autem, ut si quis eorum qui videntur his omnibus præesse, præsumptuose hanc traditionem per malam voluntatem aut propter nequitiam cordis sui irritaverit, & secundum ejus dispositionem decimam non dederit: dicens, se justè non daturum, & hoc à procuratore fratrum, vel ab ipso Præposito loci, vel quod majus est, à communi fratrum querimonia proclamatum fuerit; si *Ministerialis* hujus rei rector est, juramento se in Reliquiis purgabit; si Lito, judicio ferri igniti, synodali sententia se liberabit. Ne autem alicui successorum suorum non bonæ voluntatis viro, neque amorem Dei in corde suo retinenti, mensæ suæ stipendia Episcopus diminuisse videatur, sciat eum has decimas & de hereditarijs & de acquisitis bonis centies restituisse. Ponere etiam terminum, ut unaquæquæ solet habere Ecclesia, audiente Clero universo, & confitenti coram omni populo congregato, hæc omnia sine ulla contradictione posse fieri. In primis villam hanc, quæ dicitur *Aspithara*; aliam, quæ vocatur *Hildelingshuson*; Illam quæ vocatur *Hassuithelbuson*; Quartam *Habenfili*, quæ vulgari

vulgari verbo dicitur *Quadin*; Quintam *Asbetinchn-  
son*. Super hæc omnia cum non possent habere ullam  
utilitatem sylvarum, potestate Episcopali dedit eis in  
*Benvidisla* & in *marchijs Thurnithorum, Renghithinc-  
husorum, Hildelincbusorum, Aspetharorum*, in una-  
quaque ebdomada pondera VI. plaustrorum. Dedit  
quoque ad honorem & utilitatem Ecclesiæ ejusdem,  
partem *Sunderæ* suæ in Orientali plaga viæ, quæ vadit  
ad urbem *Patherbrunno* usque in *Asbetinchnson*.  
Harum rerum privilegium proprijs manibus sigilla-  
tum ejusdem Ecclesiæ filijs dedit, ut testimonio scri-  
pturarum veritas approbetur, si quando tribulatio  
vel contradictio rerum prædictarum ab aliquo facta  
fuerit, *anathemate cum Juda proditore ferendum de-  
cernens, quicumq; successorum suorum, aut consangui-  
neorum, seu posterorum eorum, à quibus precario par-  
tem quandam acquiserat, hæc infringere tentaverit.*

CXXII. Tali viri Dei pro spe æternitatis opera,  
hæc circa civitatem sibi commissam dilectionis indi-  
cia! qui si vixisset, in civitatem honoris & decoris e-  
am in regno promovisset. Nam sicut in occidentali,  
& orientali parte civitatis congregationes servorum  
Dei construxerat, ita in australi parte in *Campo*, in a-  
quilonali *Sulithe*, in modum crucis construere dispo-  
suerat: ut sicut ab eo de nimia paupertate tam hæ-  
reditaria traditione, quam jugi instantia & servitio à  
regibus, alijsque fidelibus acquisitione fuerat ditata  
& promota, ita à Crucifixo servientibus, & eam ora-  
tionum suarum armis defendentibus, contra omnia  
inimici jacula esset munita & insignita.

Feria



CXI. Feria itaque tertia ante Ascensionem Domini, hac dedicatione peracta, sollemnitateq; Ascensionis Domini celebrata, coepit aliquantulum infirmis sentiensq; diem suae vocationis instare, precibus & elemosynis continuè coepit operam dare. Erant autem duae capellæ ad domum Episcopalem, una in transitu una super columnas facta in honore *SS. Primi & Felicitiani* ante Ecclesiam principalem. In hanc ante altare hora diei prima, in Vigilia Pentecostes, Nonis Junii se deferri mandavit; & Dominici corporis & sanguinis perceptione munitus, sublatisq; ad cœlum manibus & oculis, hora diei tertia, ea inquam hora, qua Spiritus sanctus super Apostolos in lingvis igneis descenderat, quiq; in ejus mente gratuitam mentionem habuerat, inter verba orationis animam suam in manus Patris commendavit. Dies ille à sabbato, cujus vespera in prima lucecit sabbati, (cujus sacratissima nox tam semper floret gaudio præteritæ Christi Resurrectionis, quam expectatione venturi, ut creditur, eadē nocte judicis) eo aŕo quinquagesimus habebatur: qui numerus tam decalogi legalis, quam gratiæ spiritualis indulgētia & remissione sacer habetur ac prædicatur. Aŕnus hic veri Jubilæus Episcopo extitit, quo absoluto originali & actuali debito, *libertati gloria filiorum Dei* restitui meruit. Eadē autem die & hora, quâ Episcopus ex hâc vita migravit, *Boso* Corbejensis Ecclesiæ Monachus cum raderetur in clauŕtro sanus & incolumis, intuentibus, alloquens alloquentes, repente expiravit: & non irritandū Spiritum sanctum in cordibus fidelium habitantem, exemplo sui terribiliter declaravit.

Corpus autem Episcopi in Ecclesiam beatorum Apostolorum Petri & Pauli delatum, ibidem ut ipse vivens disposuerat, sepelitur: ubi quid apud Deum, promeruerit, fideliter deposcens salubriter experitur. Tanta autem omnium generum escarum abundantia in Episcopi repleta est substantia, ut speciali quadam magnificentia pauperibus de omni provincia accurrentibus septem noctibus erogaretur eleemosyna. Beatus vero Godehardus Hildenesheimensis Episcopus, per revelationem obitu eius agnito, animam eius divinae pietati attentius commendavit, & hora diei III. dispensatore ejus prandium paratum nunciante, ipse ut parata paratis ad prandium apponeret, mandavit: dicens se nuntium quendam accepturum, & ante prandium missurum solemnia celebraturum. Mox veniente nuntio obitus Episcopi, hostiam salutare Domino pro animae ejus remedio immolavit, regressusque ad prandium, accepta ambabus manibus similia apposita, O beate, inquit, Meinwerce Episcope, quomodo te lata tua similia à morte communi non liberavit? Et ego, inquit, quamdiu superstes fuero, de albo pane non gustabo: & biennio, exceptis quatuor ebdomadibus & tribus diebus, quo supervixit, complevit quod dixit. Ecce virum probabile, perfectis per omnia imitabilem, in quo habet monachus quod admiratur, clericus & laicus, quod imitatur, omnis denique fidelis anima quod veneretur. Omni ergo praeclaudens gloria, digna posterorum veneretur memoria: sitque memor memorum apud Iesum Christum Dominum: cui est honor & gloria per omnia saeculorum saecula, Amen.



## S. MAINULFI

*Diaconi et Confess.*

Prologus Sigevvardi in vitam S. Mainulfi.

*Albino Patri digno constanter amari,  
Filiolus parvus fidei vinculum Sigevvardus.*

**I**Nter eos, mi Albine doctorum doctissime, jure suo liberaliter utuntur amicitia, qui amicorum non nesciunt nescire vitia. Horum te Pater jucundissime confortio, illa simplex animi tui admittit intentio, qui salutari seductus errore, me nequitia imperitiae, que maculis esse deformem voluisti nescire, quem tam arduæ rei judicabas convenite. Nam quidam tuorum familiarium, sitiens illum oris tui fontem aureum, attentavit te precibus, ut beati Mainulfi vitam non antehac satis libero ore expeditam, tui stili venustate corrigendo velles deaurare. Tu autem, obviator imitabilis, ut semper ratione duce progredieris, consilium tibi provideras subtilius: scilicet, ut id operis potiùs ad integrum ex tuo penu propinares, quàm veterum dicta increpares. Sed dum tu plurimis occupationum impediris curis, me inter omnes auditores tuos infimum, nec inter eos vocari dignum, operis tui dignatus es vicarium. Quâ quidem intentione, tui quæ tantopere præconium expectat discipuli, nihil antiquius existimo: sed ne id mei culpa

pâ in contrarium cadat, metuo. Quia cum arreptam  
 sarcinam perferre nequivero, non solum mihi hæ-  
 sitandum est in luto, sed culpa deficientis cadit in in-  
 juriam præcipientis: Postremò tametsi me noverim  
 imparè esse imperato operi, vereor tamen resistere  
 à te imposto oneri: plus quidem volens, ut impe-  
 ritia meâ infamia me probet benignum, quàm obe-  
 dientia transgressio nequeat diffamare malignum.  
 Præterea spero, immo certum scio, ne tu Pater sua-  
 vissime filij tui opus prodire patiaris in publicum ex-  
 amen, ni tuâ correctionis limâ prius illud castiget ad-  
 unguem. Certè, si privati juris aggressus essem ma-  
 teriam, quâ mihi arbitrato meo licitum esset evagari,  
 spero etenim ne tibi essem pudori: nunc autem &  
 cautio animæ, quæ in historijs sacris plus nudam rei  
 veritatem, quàm luculentæ orationis leporem jubet  
 exquirere; & artissima lex alieni itineris, me scien-  
 tem subire cogunt viam fidi interpretis. Dico autem  
 alienum iter: quia me quidam in ejusdem operis cur-  
 su præcesserat, cujus me non mutare sententias, ma-  
 gistra veritas imperat. Solus tantum verborum or-  
 do, mei stili disponendus relinquatur officio: immo  
 etiam si quid præcessoris mei sermo, vel diminutio-  
 ne languit, vel excessit incremento, hoc sanandum  
 permittitur meâ curationis medicamento. Age mo-  
 dò mi Pater, age inquam, mi gratissime Pater, ab o-  
 mni telo sinistra interpretationis, tuere me precor  
 sub clypeo tuâ imperiosæ defensionis: neque hoc an-  
 nuente Deo tibi erit actu difficile, quem sapientium  
 nemo molitur lædere. Invidorum autem hiatus non



moror, quorum latratus nullus comitatur morsus  
 & quorum non iustus in me aditus patet detractio  
 nisi quòd tam sacra mihi commissa sunt peccatorum.  
 Sed, si quis eorum sine peccato est, mittat in me la-  
 pidem. Ne autem multis occupationibus tuis mea  
 loquacitas addat fastidium, hoc modò in calce et  
 mo breviter annexendum, quòd Deum secretorum  
 cognitorem testem habeam, tuæque personæ probat-  
 tissimam majestatem, nihil me in opere hoc locutum  
 esse præter veritatem. Quapropter, si quis dignum  
 ducat lector accedere huic operi nostro, hunc per  
 illud extremi iudicij æquissimum examen iterum at-  
 que iterum obsecro, ne meum recens dictum men-  
 dacij culpa velit notare, cui testimonium perhibet  
 auctoritas veteris scripturæ.

*Cap. I. Proœmium.*

Annunte gratia S. Spiritus, vitam sancti *Mor-*  
*nisi* Levitæ, in spem exemplarque Levitis scripturæ  
 sumus, immo etiam ipsis Sacerdotibus, qui plurim-  
 um exultabunt in reddenda sacerdotij ratione, si in  
 hujus Diaconi vixerint æmulatione. ad summam, nihil  
 est ordo, de quo malè mereamur hæc scribendo,  
 cum sit necessarium æquè omnibus, tanti hominis  
 refoveri interventione; cumque sit utile, ejus instru-  
 imitatione. Sed nos pauca de pluribus hujus viri mi-  
 raculis complectimur, eademque pauca, humilis scri-  
 pli serie prosequimur: commodiùs judicantes, ut do-  
 ctus lector stilo nostro quasi indocto detrahat, quam  
 stili nostri acumen minus capacibus capiendi ad-  
 cum

tum intercludat. In hujusmodi namque scripturis, minimè captanda est inutilis aura favoris, sed modum internæ profectionis. Sed jam exordium aggrediamur.

*Cap. II. S. Mainulfus adhuc infans patre orbatur; mater vidua à patruo ejus vi opprimitur.*

Tempore quo gentem Saxoniam Karolus Imperator imperio suo subegit, subactamque de idololatria ad fidem Christi transtulit, natus est de eadem gente *Mainulfus*, utroque parente admodum nobilibus. Sed jam in tenera ætate, per necessitatem mortis destitutus est patre. Quo defuncto, nondum iste puer mysterium suscepit baptismatis sacri, licet jam ætas ei concessisset virtutem ambulandi: quia gens illa adhuc fragilis in catholica religione, nondum moris habuit teneros infantes baptismo consecrare. Et ut plenius loquamur, ipsa gens nondum, continuatim ad fidem pervenit, quod sequenti exemplo patenter liquebit. Namque cum hujus pueri mater primò viduata marito, contingere vellet proximam palmam virginitati, id est, abstinentiam thalami secundi: ecce, defuncti conjugis germanus, ipse quidem & re & professione paganus, visitavit eam, indutus specie consolationis, sed animo volvens fomitem turpissimi sceleris. Quippe ille incestus hospes, in cujus corde hostis antiquus certissimum sibi hospitium collocavit, fratris conjugem, devotissimo hospitalitatis officio se susipientem, heu nefas! invitam adulteravit.



Cap. III. *Baptismus S. Mainulfi, & continen-  
tia matris ejus.*

Illa verò quàm celerrimè manus evasit corruptoris, absque dilatione properavit ad præsentiam prædicti Imperatoris; ipsique, quæ dolor dictavit in corde, libero pronuntiaverat ore: nimis sanctè obsecrans, ut se à tanto persecutore tueretur, qui æterni tutoris vice in terris fungeretur. Imperator verò condolens nobilissimo dolentis dolori, astitit rogata roganti. Ibidem quoque filium ejus per lavacrum regenerationis, infra sanctæ matris Ecclesiæ uterum admitti fecit, ipseque eum à baptismo suscepit. Et bene quidem divina providentia servulum suum, qui ab inferioribus personis domi baptizari potuit, ad Regis cohortem vel curtem baptizandum reservavit, quò procul dubio plurima populi collectio confluit: quatenus jam in ipso limine vitæ pluribus eum notum faceret, ex cujus notitia plures proficerent. Mater autem ejus, cui Regis sponsio certam securitatis spem largita est, spe gaudioque comite reversa est: & in vicem magistri, timorem amoremque Dei sibi constituit: ad quorum disciplinam omnem vitam suam ordinem instituit. Ipsa quoque *Wigibrod* vocabatur, quod vocabulum quasi quodam veritatis præfagio sortiebatur, quia pro Christi nomine cum vitij & concupiscentijs bellum gessit legitimè.

Cap. IV. *S. Mainulfus ab Antistite Badurado ingenuè educatur.*

Puer autem *Mainulfus* sub jure scholari ad disciplinam dispositus literarum, ex dispositione ascendit ad habitum earum; & quod scientiæ literalis habuit, usu operis devotus excoluit. Quippe quia vitam quæ ducit ad vitam, artam & angustam existere scivit, jam de tenero ungui studijs asperioribus mentem formavit. Nam ut quidam docet:

*Qui studet optatam cursu contingere metam,*

*Mulatulis fecitq; puer, sudavit, & alsit:*

*Abstinnit vino & venere.*

Cum autem excederet è scholis, excessit etiam desiderium mundani honoris; integrâ mente migrans ad propositum Canoniciæ legis, in loco qui dicitur *Paterbrunno*. Hic cum ejusdem loci Pontifex, ipse quidem virtutum gloriolus artifex, nomine *Baduradus*, benignissima cura nutriendum suscepit, susceptumque largissimo paternitatis & gratiarum sinu refovit.

Cap. V. *Baduradi Episcopi encomium; S. Mainulfi profectus.*

Sed quia res monuit & locus, non gravabimur saltem unum recitare indicium de hujus Pontificis virtutibus. Ecce, XXVII. annis post sepulturam ejus exactis, vestes quæ cum eo sepulchrum subierant, ita integræ, & sanæ apparuerunt, ut nec una fimbria ex eis legem pateretur putredinis. Quæ res liquido exprimit, quod ipse vivens *Integer vitæ, scelerisque purus*



*purus* extiterit. Huic tantæ virtutis viro, dum beatus *Mainulfus* adhæsit continuus, cum sancto factus, cum innocente innocens, & cum electo apparuit electus. Cùm enim bonus esset in puerili ætate, melior tamen factus est in iuventute: quoniam unâ non contentus virtute, *ascensiones in corde suo disposuit*, quatenus de virtute in virtutem semper transiret. Inter hæc divino accidit instinctu, ut prædictus Pontifex, ita quæstionem circumstantibus proponeret: quid mysterij sermo Evangelicus contineret dicens: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidus: filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet?* Quam quæstionem mox quidam, sicut res habet, solverat dicens: Quia Christus cordis nostri habitaculum quæreret, nec quærrens inveniret, quia scelus nostrum quærrens introitum impediret. Quod verbum ultra, quàm dici valeat, in pectus *Mainulfi* descenderat. Doluit namq; intrinsecus, Christum ad januam cordis nostri humiliter, sed frustra pulsare, cùm nemo pulsanti velit referare. Itaque ex illa hora, cum antea esset bonus, jam ut ita dicam, factus est in bonitate novus; sese Christo pandens in terris hospitium, quatenus ab eo reciperet æternæ mansionis commercium. Ergo quia Christum voluntariè suscepit, Christus susceptus apud susceptorem suum mansionem fecit. Felix mansio sub tali mansore! in qua fortunæ nihil licebat, quia in ea tantus paterfamilias dispositoris vicem obtinebat.

Cap. VI. S. Mainulfus proponit condere  
*Monasterium.*

Sed nos ad planum narrationis ordinem redeamus: ne dum imperiti laudamus, tanti viri laudes culpæ ingenij deteramus. Nam si quem dignis laudibus nequeas extollere, hunc laudas pulcrius, si te imparem fatearis laudibus ejus. Beatus igitur *Mainulfus*, cum omnem virtutem, quam potestate habuit, actu etiam adipisci studuerit, certus jam de Domini sui fide erga se, erubuit fidelis servus fidelissimo Domino se soli offerre: quocirca miro ardebat desiderio monasterium construendi, sed id ardentem tardavit mora locum aptum inveniendi: quatenus divina pietas illum constructum tanto majori pretio examinaret, quanto servus ejus pro construendo constantius laboraret.

Cap. VII. *Pastoris visio, ejusq; interpretatio.*

Cum autem Dominus jam vellet servo laboranti parcere, dignatus est ei suæ prædestinationis locum ostendere. Namque subulcus ejus, dum more solito in pascendis moraretur gregibus: ecce, improvise miræ lucis splendorem aspexit, in loco ubi nunc idem Monasterium Deo auctore consistit. Vidit præterea copiosam cervarum multitudinem, modò stare, modò circuire locum eundem. O ineffabilem Christi pietatem! quæ dum servi sui honorem distavit, nativitatis suæ miraculum suscitavit. Namq; ut illa primum revelata est pastoribus, sic hujus construendi monasterij visio pastori innotuit primitus. Hinc patet, quàm dilectus Deo iste fuerit, ejus se-



pulchri futurum locum, tanta Dominus revelatione mirificavit. Certè, quòd hæc res pastori inter pascendum apparuit: significat, quòd illò dominicus grex dominicis reficiendis pascuis venturus fuit, sed quòd pastor fuit ipsius, id est *Mainulsi*, exponit, quòd omnes incolæ ejusdem loci, scilicet pastores cum omni sibi commisso grege, debeant post Christi, sancti *Mainulsi* præcipuè servitio studere. Quòd autem cervas, non cervos vidit, gregem illum Dominicum ex femineo sexu collectum ita præfiguravit. Si quis enim quærat mysterium de viso lumine, nihil prohibet eum præsentiam S. Spiritus per lumen intelligere, quæ & olim Apostolis per ignem voluit apparere. Prædictus autem pastor hac exanimata visione, nihil omnino sollicitus fuit de grege, sed tenuit se jam ad præsens extrema passurum esse. Verumtamen cum postea vix reciperet animam, festinanter perrexit ad dominum suum, illique, quæ vidit visa, per ordinem cuncta discussit.

*Cap. VIII. S. Mainulfus Episcopo pandit visionem, quæ aliquoties iteratur.*

Vir Deo plenus, cordis corporisquæ auribus arreptis in verba dicentis; ubi dicens dicendi finem fecit, auditor lectissimus pro gratissima fama Christiani sacrificium laudis immolare cœpit. Certè cœpit, cœptumque honestissimè perfecit: quo perfecto, prædictum Pontificem famæ hujus participem fecit, quoque gaudij hujus socium esse speravit. Nec sperans hac spe delusus est, quia Christianissimus Pontifex

tifici gaudenti verè conuulsus est: statimque diu-  
 nam intendens miserationem, festiue alludit ad pasto-  
 ris nomen, dicens: *ne nobis vilescat abjecta persona*  
*pastoris, cum primum pastoribus ipsa nauitas effulse-*  
*rit Salvatoris.* Idem etiam plenus oculis ante & retro,  
 prorsus nihil fidei habuit diabolo, quòd se etiam  
 quandoque in angelum lucis soleat transformare. Id-  
 circo elegit consilium, iterum pro eadem re consu-  
 lendum esse Dominum: quippe ut secundum expo-  
 neret iudicium, à quo prima iussio cepisset initium.  
 Cui beatus *Mainulfus* præbens assensum, petijt pa-  
 store duce prædictum locum, ibique solus cum solo  
 pernoctans, nec somnum oculis, nec quietem dedit  
 labijs: sed membra cum anima ad orationem diu-  
 nam erudit, ideoque inter orandum præscriptam  
 pastoris visionem ex integro vidit. Vidit, visamque  
 Pontifici retulit. Qui Pontifex visionem numero  
 trinum conditoris nomen cupiens æquare, suasisit ei  
 tertio visionum fidem exploratum ire. Ille autem o-  
 bedientiam plus Domino placere sciens quàm victi-  
 mam, lætus iuit, sed lætior rediuit, quia tertia visio  
 redeunti comes fuit. Hic verò Pontifici solemniter ac-  
 cessit exultatio. Securè enim scivit, nihil illusionis  
 huc posse subrepere, ubi sancta Trinitas iussionis fi-  
 dem fecit sui similitudine. Namque ut Deus trinus  
 est in personis, unus verò in maiestate; sic hæc visio  
 trinitatem numero, unitatem confessa est in re: cerrè  
 una eademque res, uno eodemque modo ter appa-  
 ruit. His ita peractis B. *Mainulfus*, simulque Epi-  
 scopus, ad fidem visionis divinitus incitati, cedere ta-  
 men



men decreverunt Regiæ auctoritati, humiliter adimplentes illud præceptum: *subjecti estote omni humana creatura propter Deum.* Sciebant enim, quia *in virium culpa ducit fuga, sic caret arte.* Nam si monasterium hoc Regis injussu construeretur, forte aliquibus suspicio nasceretur, quòd hi non essent legitimi monasteriorum constructores, qui vicarij Dei, id est Regis fierent contemptores. Quòd ne fieret, B. *Mainulfus* cartam testamenti ab Imperatore rogavit, quam rogatam ipsius videlicet Regis annulo insignitam accepit, acceptamque secum revexit.

*Cap. IX. De Reliquijs S. Mainulfo divinitus oblatiis.*

Attulit etiam secum aliud multò præstantius donum, quod sine periculo licet confiteri donum fuisse Regis sempiterni. Namque revertenti, quidam familiarium ejus capsam obtulit, quam ipse inter arbusta, non fortè, sed divinitus pendentem invenit. Quam velut ab ipsius Dei manibus acceptam, vir Dei veneratus est: quia cum multum quæreret, & nullum tamen ejusdem capsæ dominum inveniret, cognovit quòd ipse Dominus id dominantium tale servo suo contulisset beneficium. O donum nobile, datoris pietati, acceptorisque voto consimile! Ita, qui Deo sanctisque templum construere voluit, quid ad hujus supplementum, gratiùs aptiusvè acciperet à sancto sanctorum, quam reliquias sanctorum? harum vero tam pretiosum, tamque copiosum reperit in capsâ thesaurum, quantum eloquentia nostra ex-  
prime-

primere non sufficit, quia & hoc vires & personam nostram excedit. Hic jam ad construendum Deo templum confidentius exarsit, quia tale divini supplementi pignus accepit.

*Cap. X. S. Mainulsi revelatio, & ejusdem ad priorem visionem cognatio.*

Inter hæc divinæ aspirationis indicia, B. Mainul-  
 fus prædicti loci coactus amore, perrexit eundem  
 locum videre: quia quod instanter concupiscit ani-  
 mus, hoc ad satietatem videre non valet oculus. Cum-  
 que pervenisset ad locum, invenit iterum, quoddam  
 divinæ revelationis memorabile sacramentum. Vi-  
 dit enim præstanti corpore cervum, membra quidem  
 prostratum, sed cornua in sublime arrectum, utpote  
 sic præstolantem viri adventum. Qui viso Dei ho-  
 mine, quodammodo indicavit, sibi non licere in ad-  
 ventum ejus accubare: sed se festinanter erexit, &  
 quasi per orationem suam adveniendi sancto assur-  
 rexit. Sanctus autem visa tam terribili bestia nequa-  
 quam perterritus, aut ob hoc mente fuit minus va-  
 lida, quia *justum & tenacem propositi virum, nullus*  
*terror mente quatit solida*: Quocirca propius acce-  
 sit, ut ex fine rei, ortum didicit. Cumque alterutrum  
 occurrentes jam cominus obvij essent, iterum cer-  
 vus præconium sancti viri confessus est, humiliter se  
 prosternendo, cui prius assurrexit sese erigendo. Il-  
 le verò hunc novum bruti animalis gestum, nulli rei  
 nisi divinæ clementiæ ascripsit: ideoque dum rei  
 ordinem acutius advertere studuit, ecce vidit inter  
 cornua.



cornua cervi Dominicæ crucis signum splendere,  
 cuius splendore omnem auri decorem visus est super-  
 rare. Bonus autem miles optimi Imperatoris cogno-  
 to vexillo Domini sui, simul cognovit Dominum  
 suum præstò esse in auxilium sibi, lætitiæque cordis  
 voce pronunciaverat oris, dicens: *Jam mihi cervi  
 spes promittit fore, ut ille qui quondam eodem armato  
 vexillo, inferni claustra destruxerat; huius loci prote-  
 ctor contra diabolicas vires exurgat. Voce hac finit  
 cervum non viderat ultra.* O quam consequentibus  
 signis Christus suo prælocutus est militi, quæ post  
 hæc oportuit fieri! Namq; ut in præscripta visione  
 fatnulas Dei præfiguraverant cervæ; ita hic per cer-  
 vum qui apparuit solus, potest accipi ipse familiarium  
 suarum custos Christus: cui soli sponso videlicet nobilissimo,  
 debent adherere sacre Virgines ibidem  
 collectæ.

*Cap. XI. Inventio baculi in loco altaris; eam-  
 bij constructio; sacrarum virginum ibidem  
 aggregatio.*

Invenit etiam beatus Mainulfus baculum in eo-  
 dem loco quo viderat cubantem cervum; qui locus  
 nunc principale ejusdem monasterij continet altare  
 quod bene præfiguratum est in ligneo signo, quia  
 ipse Christus, qui altari præsidet, regnavit à ligno.  
 Hic quoque omnem moram construendi monaste-  
 rij sanctus vir abdidit, quia ei negotio proximum de-  
 cernit addidit. Hic verò amica studiorum concertatio  
 viriliter insudabat operi divino: passim arbores ex-  
 debant.

debant, nulli veprium vel arbustorum parcebant: pars grandia trudunt obnixi pondera humeris; pars agmina cogunt, castigantq; moras: Ipse verò usquequaque libram adhibuit discretionis, operumq; laborem partibus aequabat justis. Vetus enim inde cultus defecit, videlicet ad veteris hominis destructionem, novumque opus surrexit, ad novi hominis honorem. Et beatus vir laborem illum credidit requiem, dummodò inceptum ad summam perduceret nobilem. Quia enim laboravit instanter, inceptum absolvere meruit eleganter. Absoluto autem opere, templum quod construxerat, constructum Deo, ejusque Genitrici, IV. Idus Novembris dedicari fecerat. Quo dedicato, collegit illò sacrarum virginum non modicum gregem; quem Deus usque ad terminum mundi sibi custodiat fidelem.

Cap. XII. *Miraculum servati ab igne velaminis.*

Cumque grex ille dominicus angelicam vitam ageret in terris, antiquus hostis callidè intervenit. Igitur suo nequaquam officio fungeretur, si Dei famulus nusquam adversaretur. Primò quidem castitatis sigillum eis cupiens abrumpere, nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat. Arte locum, variisque assultibus irritus urget; eò, quòd eis ipse Christus à facie inimici turris fortitudinis existeret. Sed quia non valuit intrinsicus, ille non esset hostis, si non aliquà nocuisset vel extrinsecus. Nam quædam ex ancillis Dei frigore depressa, spe recreandi, quandam mona-



monasterio contiguam domum est ingressa; in qua  
 cum ad ignem expedito animo disposita fuisset; acci-  
 cidit, ut ignis omne velamen capitis ejus consum-  
 plisset. Nam illa muliebri more, officio pectinis for-  
 des impugnabat capitis: consumpto enim velame-  
 ne, jussit eam census brevis lacrimas effundere: sed  
 lacrimanti, Deus ad honorem servi sui *Mainulsi* for-  
 latium voluit impendere. Moxque per ipsius domum  
 B. *Mainulfus* eandem intraverat domum. In tanto  
 enim viri presentia nihil habuit juris inutilis mœliti-  
 tia. Nam ut proximorum compassio ei inremota  
 comes fuit, cognita re, dolentis dolorem ægrè tulit  
 obtectusque faciem manibus, Christum puris inter-  
 pellabat precibus: statimque illo rei seriem diligenti-  
 tius exquirente; allatae sunt ei consumpti velaminis  
 fimbriæ, videlicet ignis inutiles reliquiae: ostensusque  
 est ei ille locus flammæ, quæ peremptrix fuit vestis  
 interemptæ. Hic subito pro dolore ingens stupor  
 gaudiumque exortum est, dum vestis, de qua recipi-  
 enda etiam spes omnis abiit, integra de medio ignis  
 redijt. O miraculum merito admirandum, & nisi  
 pud electissimos inauditum! Sed hujus excellentis  
 signi Deus palàm fecit quòd hic athleta suus etiam  
 alijs signis fulserit. Ille autem non signa, quæ cum re-  
 probis electi communia habent, sed virtutes con-  
 luit, quibus reprobis funditus carent. Neque enim  
 idem signum, cujus nuper mentionem fecimus, quod  
 quam superbiam addidit ejus venerabili conscientie  
 quin immo de meritis ejus testimonium perhibet  
 Ecclesiam. Signa enim non merentur perenne pre-  
 mium

enium: sed *Virtus* recludens immeritis mori cælum,  
*Inegata* tentat iter via: cætusque vulgares, & udam  
 spernit humum fugiente penna.

Cap. XIII. *Obitus & sepultura S. Mainulfi.*

Postquam Rex Regum militi suo gloriosas contra  
 antiquum serpentem concessit victorias, noluit eum  
 ultra extollere fortuna bellorum; sed maluit ei pari-  
 ter conferre & præmium & finem laborum. Id ipsum  
 quoque ipse miles emeritus sitiebat ardentissime, ip-  
 se quidem & ætate maturus, & virtute dignissimus, in  
 cælestis capitolij assidere senatoribus. Cumque  
 domini & servi velle concordaret familiariter, sicut  
 huic domino velle, posse, & esse est unum, III. Non.  
 Novemb. ut voluit, transtulit ad se servum suum; qui  
 de terris ad cælos translatus, in monasterio, quod  
 ipse construxerat, terrenum corpus cognatæ terræ li-  
 querat: quod ille felix pro pondere deposuit infimo,  
 sed nos illud jure amplectimur pro venerabili pretio.  
 Nam signorum indicio jugiter patuit, immo patet  
 hodie, quia hoc Deo sit acceptabile. Patet, inquam,  
 sed multo liquidius pateret, si quis hoc, sicuti est, ex-  
 ponere valeret, quantum evasisset inferni periculum,  
 quantumve nunc in regno Dei sui possideat præmi-  
 um. Sed quoniam *Deus se diligentibus preparavit,*  
*quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor ho-*  
*minis ascendit;* sufficiat terrenis animalibus, de re-  
 gno illo hoc solum effari, contemplari, & credere,  
 quod ibi sit gaudium ineffabile: de cæteris quidem  
 necesse est taceri, quæ impossibile est scire. Nos au-  
 tem



tem etsi voluntatem nostram præpediat ingenij veni  
 pauper & maligna; cogit tamen voluntas dives & be-  
 nigna, ut stilo memoriæ que tradamus, si quid plus ad  
 notitiam nostram pervenit ex miraculis viri hujus.  
 Sed ea, quæ per ipsum hoc corpore indutum, DEUS  
 operari dignatus est, hic terminamus: ad ea verò  
 quæ post sepulturam ejus Dominus per eum ostendit,  
 transire paramus.

## L I B E R II

## De miraculis post obitum S. Viri.

*Cap. I. Pannus lineus meritis S. Mainulsi ille  
 sus ab igne servatur.*

SEpulto igitur beati viri corpore, cœperunt ad se-  
 pulchrum ejus ubertim pauperes Christi consilio  
 erere, tam exciti famâ præteritorum miraculorum,  
 quàm accensi spe futurorum. Pars quidem adventie-  
 bant sanitatem deprecaturi corporum, pars verò re-  
 quem animarum: tantum quod cujusque volun-  
 tas optavit beneficium, pro hoc impetrando, B. *Mainulsi*  
*precatorem* misit Domino: nec quisquam  
 Deo gratias, frustra se orasse ploravit, si modò orantem  
 in corde suo non hæsitavit. Quò factum est, ut &  
 indigenæ, & advenæ beati viri sepulchrum colerent  
 honorificè; nec non ipsæ sanctimoniales, ob sepulchri  
 amorem, vigilanter satagentes circa sepulchri hono-  
 rem, pro rei suæ modulo adornabant illud velaminibus  
 lino. Elegerunt etiam quandam bonæ intentionis  
 famulæ

famulam, specialiter ei imponentes sepulchri cultodiam, à quo illa non recedebat, quantum corporis infirmi lex annuebat. Quam quadam nocte, postquam orando vigilandoque plurimum noctis exegerat, ut exercitatum corpus solet, libido somni devicerat, Cui devicta obtemperans, concessit membris somni necessariam requiem; sed requies transijt in sollicitudinem. Evigilanti namque de somno, venit ad memoriam subito, quia dum illi sopor imminabat, supra velum sepulchri candelam ardentem dereliquerat. Attonito enim animo surrexit, sub magna festinatione ad sepulchrum perrexit, & inter eundem, magnum super oblivione sua mceroris sustinuit tormentum. Sed ubi pervenit, Dei clementiam consolatricem invenit. Nam ardor finem fecit candelæ, prorsus tamen cessans à panni læsione: quia candelæ, ardendi causâ Deo oblata, parcere non ausus est; panno autem ad servandum congruo, ignoscere iussus est. O gloriosus Deus in sanctis suis! qui patenter exponit dignitatem hujus sui militis, ad cujus defuncti reliquias, hoc tam nobile signum iteratò proferre voluit, quod per ipsum corpore viventem antea protulit.

*Cap. 11. S. Mainulfus trina vice monet suum olim famulum mundo nuntium remittere: renitenti barba adimitur.*

Sed hoc signum aliud non inferius sequebatur, per quod quidam ad salutem intrare compellebatur: apparuit namque vir beatus cubiculario suo in visione,



one, erudiens eum amica irradiatione, ut mundo pompisque ejus abrenunciaret, & ad æterni regis militiam transmigraret. Ille autem ipsam visionem pro illusionem habuit, nedum fecisset quod per visionem didicit. Sed sanctus, hominis condescendens infirmitati, iterum apparuit ei, ut repetita admonitio, fieret ei veræ visionis expositio. Ille autem nec adhuc visioni habuit fidem. Sed sanctus Dei nondum cessans à salute viri, geminis visionibus tertiam addidit, ejusque duritiam hac voce corripuit: *Nescis miser, nescis, quam crudelis captor, tua captiva præsedet menti; qui te & mittenti Christo, & mihi misso, cogit relinqueri. Certè cum malè vivendo desperes, nec desistere sponte desisteres, monuit te revelatio divina, ut vel admonitus resipisceres. Tu autem, stulte, perniciosè illuderis, qui revelationem veram pro illusionem accipis: nulli enim credentium dubium est, quin illa visio experta sit illusionis, quæ invitatrix est Christianæ religionis; quamque si à quolibet vigilans audivisses, negligere nequaquam debuisses. Nunc ergo cum te corrigere nequeant verba, jam verba vertenda sunt in opera. Nam visionem divinam quam te dissimulas intellegere, expediam tibi planissimè expositione, quæ animum tuum dubio exuat, cunctisq; te videntibus plenam certitudinem pariat. Hæc dixit, & mox dicta probavit. Vir namque de somno excussus, faciem persensit barbâ viduatam, barbâque cominus invenit divulsam. Postea verò non illa nocte quicquâ loci in eo somnus habuit, sed pro somno eum stupor, pudor, & dolor oppressit. Quid faceret? cujus animus in amaritudi-*

ne fuit, nec tamen cum quo hæc ventilaret familiarem habuit: familiares quidem potuit plures habere, sed ipse mallet omnibus ignotus, quam notus esse. Tandem eligens sibi unum, quod tamen actu erat opportunum, videlicet, ut necessitatem verteret in voluntatem; quam citissimè cucurrit ad Ecclesiam, ibique per *S. Mainulfum* mirificè Dei consecutus est misericordiam. Nam cum matutinæ laudis principium presbyter exordiretur, dicens: *Domine labia mea aperies*; iste, qui prius litteras non didicit, excepit, dicens: *Et os meum annuntiabit laudem tuam.* Quàm bene iste inscius se Domini laudes annuntiaturum esse promisit! quia non solum ille, verum omnes hujus rei cognitores pro eadem re, Domini debent esse laudatores. Est namque unum de præcipuis miraculis, ut qui se lecto collocavit laicum, sese erexit Canonicum; neque enim, si omnem illam noctem insomnem duceret, tamen notari posset de otio, quandoquidem cum hujusmodi procederet negotio. Nempe *B. Mainulfus* servum suum ad professionem Canonicam barba nollet destituere, nisi ad Canonicum usum gratius ei vellet pretium restituere.

*Cap. III. S. Mainulfi lapis sepulchralis rumpitur, cum evidenti labe terra.*

Jamque his exactis miraculis, non longa fuit medij mora temporis, cum iterum revelante gratia Dei manifestius patuit dignitas *B. Mainulfi*. Temporibus quidem *Arnulfi Regis, Bisonisq; Patherbrunnensis*



*Episcopi*, die quadam *Diacono* Evangelium recitante, inter recitandum, lapis beati viri sepulchro superpositus, ad instar crucis divisus intonuit, præsentibusque cunctis validum stuporem incussit, Cumque eos iste concuteret stupor, ecce alius subsecutus est major: quia mox inter *Dominici* corporis sanguinisque immolationem, lapis, nuper quadrifariam dispersitus, in innumerabiles particulas dissipatur. Lapis quidem iste, bonus beato viro testis, erat juxta suum posse; cujus dum potestatis non erat laudare per sermonem, laudabat autem per disruptionis vocem. Nec etiam ipsi terræ, hujus viri laudes fas fuit reticere. Resoluta enim in superficie sepulcri, deorsum subsedit more mirabili; ejusque sepulcrum esse destitit, cujus loculum liberè spectandum præbuit. Hinc patet, quam reverendus iste sit substantijs rationalibus, cujus sic præconium confessa est irrationalis tellus. Confessa est enim, ne sibi licitum foret hoc corpus suis occultare latibulis, quod multo rectius coleretur in altaribus sacris. Præterea, cum scissuræ petræ, casuque terræ, tanta jucunditas exorta est suavissimi odoris, ut non vana fides sit, affuisse sibi auctorem suavitatis. Hic verè

*Scinditur incertum studia in contraria vulgus.*

*Cap. IV. Sepulcri lapis iterum ac tertio dissilit.*

Certantes enim diu, quid hoc signum portenderet? elegerunt tandem *Episcopo Bisoni* rem hanc palificare, quatenus ille eos componeret dijudicatalite. Ille autem edixit fracturam sepulcri redintegratum

gratum iri. Ex ejus edicto sepulcrum reparatum iterum, paullo post est ex divino jussu dissipatum. Quod cum compertum foret Episcopo, ille superius edictum iteravit; ejusque edicto populus iterum obtemperavit. Sed in hoc Episcopus non notandus est dementiæ: rectius quidem divinitatis ascribitur providentiæ, quæ ideo eos aliquantulum dubitare permisit, ut per efficacius signum, & ab illis, & nobis omne dubium absterferit.

*Cap. V. Bisio Episcopus monetur miraculo levare corpus S. Mainulfi è tumulo.*

Igitur in eodem tempore, *B. Mainulfus* Mainardum quendam Presbyterum admonuit in visione, quatenus Pontificem incusaret super sua transgressione: Presbyter autem divinæ admonitioni timorem præponens Episcopi, nusquam tulit pedem. Sed vir Dei iterum secundo, sicut prius, Presbyterum admonuit; Presbyterum autem sicut prius, iterum timor prohibuit. Tandem & tertio ei apparuit, ejusque mollitiem & socordiam accusavit. Et quia eum æternæ voluit ultioni eripere, noluit dilectum ejus hic impunitum dimittere: sed minatus est ei apertis oculis absentiam videndi, ejusque reliquit arbitrio, an mallet cæcus vivere, an legationem absolvere. Qui expergefactus, nimis agrè tulit, quod imago somniorum nihil ei mentita fuit. Tamen quia cæcitas ei inimica, familiaris fuit, nequaquam iter distulit: sed ductore advocato, & reliquo itineris supplemento parato, iter expedit, comite scilicet ductore



ctore, baculo, & cæcitate; quod priùs per se sine  
 omni posset molestia consummare. Igitur quæ accide-  
 rant ei, narravit omnia Pontifici, nec verba ejus e-  
 guerunt artificio, quibus ipsa cæcitas probabilis e-  
 rat expositio. Ad hæc Pontifex vehementer expave-  
 vescens, timuit periculum vitæ suæ, quia & ipse sibi  
 conscivit super eadem transgressione. Quapropter  
 festinans errata officijs superare sedulis, sepulcrum  
 S. viri adijt humilis. Ibi quoque sacrum corpus de  
 sepulcro transtulit, translatumque in eadem Ecclesia  
 reverenter collocavit. In translatione autem beati  
 corporis de sepulcro, redijt adempta oculorum sa-  
 nitas presbytero. In quo laudanda est clementia mul-  
 tiplex optimi Domini, per merita & orationem mi-  
 litis egregij, qui corporali verberere, plagam recidite  
 futuram animæ; & tamen eidem verberi corporis, ce-  
 lerem exitum concessit medicus utilis.

*Cap. VI. Mulier paralytica curatur.*

Multa quidem & alia fecit Jesus propè has reli-  
 quas miracula, inter quæ censemus hoc dici & au-  
 diri dignum, quod jam nunc referre volumus in me-  
 dium. Igitur aquam, qua Pontificis jussione, sacræ  
 lotæ sunt reliquæ, in bonam spem reservabant Dei  
 famulæ: non in vanum credentes eam dignam re-  
 servatione, quia quæ salutare corpus lavando retige-  
 rat, salutari tactu carere non poterat. Certè, quia  
 fides earum bona, simplex, & prudens fuit; fides bo-  
 na, ad bonum opus ascendere meruit. Nam mulier  
 quædam paralytica, longo scilicet tempore omni  
 membro

membrorum officio destituta, cognitis beati viri miraculis, rogavit à parentibus suis, ut ad prædictam portata perveniret ecclesiam, quòd ibi divinam per *S. Mainulfi* merita experiri vellet misericordiam. Deniq; rogavit, nec non rogando impetravit. Quod cum compertum foret famulabus Dei, statim plenæ fuerant bonæ spei, nihil penitus hæsitantes in corde suo, super divinæ miserationis auxilio: præsertim, quia ipsa mulier, quæ spe curationis advenerat, constantis fidei in Domino fuerat. Didicerant enim ex doctrina Evangelij, quia *omnia possibile sunt credenti*. Itaque mulieris paralyticæ semivivum corpus prædicta salutari aqua perunxerunt, perunctumque CHRISTO per merita *S. Mainulfi* commendaverunt. Sed ille, quia in se sperantes deserere non novit, nec harum fidem deseruit. Nam infra paucos dies, mulier ex illa acerrima corporis attritione convaleuit, & ad tantam valetudinem restoruit, ut nec aliquod infirmitatis signum in ea remanserit.

*Cap. VII. Alia mulier cancro laborans sanatur.*

Nec nos patimur sanctam Ecclesiam clam esse, qualiter ibidem DEUS cuidam alteri succurreret fœminæ, quæ laborabat peste immensâ & miserabili, & ideo major est majestas miraculi. Morbus enim, cui medicinalis auctoritas canceri vulnus vocabulum indidit, dexteram ejus mamillam mordaciter contrivit, & post grandævam contritionem funditus exedit. Qua exesa, obsedit etiam carnis contigua loca: usque adeo vis ejus prævaluit, ut etiam superficiem co-



harum, destituisset tegmine carnis. Eminent hoc  
 quidem satis per se, nec eget expositione, si hæc ef-  
 fet in gravi amaritudine cordis, quam sic exasperabat  
 dolor corporis. Nam etiam fertur, ut ipsa aperte  
 profiteretur, se malle mori, quam tanto superesse do-  
 lori. Tandem, cum divina misratio, compati vo-  
 luit ancilla suæ morbo, inspiravit in ejus mentem  
 hanc cogitationem: ut quod apud homines est im-  
 possibile, apud Deum crederet esse possibile. Hæc  
 vivificata spe, decrevit Dominum per S. *Mainulfo*  
 merita invocare, tendens statim ad reliquias sancti  
 viri; offerensque secum quod dedit penuria census  
 exigui, videlicet candelam ad sui vulneris instar  
 formatam. Ibi quoque, sicut prius mente disposuit,  
 Domino sanctoque *Mainulfo* preces direxit. Sed  
 Dominus omnipotens, *cor contritum & humiliat-  
 um non despicies*, noluit roganti renuere auxilium,  
 utpote astrictus per militis sui meritum. Illa qui-  
 dem redijt, sed redeuntem Christus celeriter exposuit,  
 quod sibi gratum precatorem transmiserit. Nam  
 mox insequenti die, cepit in superficie vulneris no-  
 vella cutis reviviscere: & ut breve sit, quod dici-  
 mus, infra septem dies in tantam sanitatem transijt  
 vulnus, ut mamilla pectori resurgeret ad integrum,  
 cujus nec dolor aliquod ibi reliquerat vestigium.  
 Hoc quidem admodum est dictum mirabile, sed  
 tamen sanis mentibus est credibile: quia Christus  
*mirabilis in sanctis suis* falso diceretur, si in eis nulla  
 mirabilia operaretur. Ipse quidem per servi sui  
*Mainulfi* merita, plurima fecit, & facit miracula;  
 quo-

quorum quædam superstes lingua famæ annuntiabat  
 nobis, quædam verò taciturnitas invida sepulcro  
 condidit oblivionis. Plura etiam signa *B. Mainulfus*,  
 potestate habuit, quæ actu minimè protulit. Potesta-  
 tem autem modò non dixi secundum dialecticam,  
 sed juxta vocem Domini, dicentis: *quod omnia pos-  
 sibilia sint credenti*. Si beatus Domino indubitanter  
 credidit; quidlibet agendi potestatem habuit: atqui  
 credidit, potestatem igitur quidlibet agendi habuit.  
 Domino enim indubitanter credere, est mandata e-  
 jus fideliter adimplere; consequens est, ut hic Do-  
 mino videatur adherere. *Qui autem adheret Domi-  
 no, unus Spiritus efficitur*. Semper enim desideravit,  
 desideratumque promeruit *B. Mainulfus*, ut cum  
 Creatore efficeretur unus spiritus; sed creatori  
 aliquid esse impossibile, nemo vel insanus præsumit  
 credere. Hic vero ordinatim consequitur, ut hujus  
 possibilitatis non careat participio, qui unus spiritus  
 fieri meretur cum Domino. Quapropter si *B. Mai-  
 nulfus*, unus spiritus cum Domino fieri promeruit,  
 signa etiam operari potuit: Sed meruit unus spiri-  
 tus cum Domino fieri; potuit igitur signa operari.  
 Cujus conclusionis necessitas nobis discutit apertè,  
 ut non egeat quæstione, si vel pauca, vel omnino  
 nulla signa fecerit; dummodo ei signorum potestas  
 non absuit. Et profectui quidem animæ nostræ sa-  
 lubrius essent merita ejus, moresque, & virtutes,  
 quàm signa cognoscere; ad quarum videlicet exem-  
 plar formaremus modum & ordinem vitæ nostræ.  
 Sed quia meritis ejus carnaliter viventis, nos præ-  
 sentes



fentes interesse non contigit, ecce autem divina providentia, aliqua de signis ejus notitiæ nostræ contulit, quatenus signorum certitudo nobis exponeret, quod magna vitæ puritas, sanctaque actuum castimonia præcederet. Nunc igitur pollicetur nobis certa spes divinæ miserationis, ut per eum animarum nostrarum medeatur languoribus, per quem vires restituit tot languidis corporibus. Quod ipse *B. Meinulfi* precibus dignetur annuere, qui ipsi *B. Meinulfo* principium fuit & finis victoriæ, victorique contulit bravium infinitæ gloriæ: qui regnandi nec initium habet nec finem. ipse

*Principium, vector, dux, semita, terminus idem*

F I N I S.

R. P. Christophori Broweri S. Jesu

SCHOLIA

in vitam B. M. Meinwercki.

*Vita Meinwercki Episcopi scriptor, ejusq. opera  
in utramque partem discussa.*

**I**Nfra Meinwercki aetatem longius amandandum de  
Ise duplici iudicio dato, manifestum fecit. Primo, quo  
Synodi Selingenstadiensis canones de jejunio quatuor  
temporum examinans, Gregorij VII. autoritatem is  
opponit; altero, cum duorum Meinwercki successorum  
Rothonis, & Imadi mentionem infert. Quod verò cum  
sui aevi hominibus loquatur, id est, incondito, & pa-  
rum polito genere sermonis, id est, qui Mercurialibus  
Gratijs ita litant, ut aurium magis dulcedine, quam  
rerum utilissimarum cognitione capiantur, boni consi-  
lent. Etsi ad origines Patherbronnensis Ecclesie illu-  
strandas, variamque vicina regionis veterisq. Saxo-  
niae historiam probe percipiendam, nescio, quid utilius  
scribi, darique in lucem hoc tempore potuerit. Latent  
enim sub verborum vilibus integumentis, res literis,  
memoriaq. dignissima; & ex incompti sermonis fuligi-  
gine, scintillulae emicant priscarum narrationum, quas  
frustra alibi requiras, eruasq. Nec est, quod inficias  
eamus Excerpta, & Eclogas fecisse autorem ex scriptis  
alienis complures, id quod locis suis ostendetur; & res  
ipsa



ipsa stylique diversitas multifariam prodit. At unum  
 maxime in eo vereor, ut approbemus is, qui in Ecclē-  
 siasticis rebus, plus supercilio quam ratione iudicant,  
 quod tam multus sedulusq; sit, in recensendis rebus ac-  
 quisitis Meinverci studio, ad Ecclesiam inopem sub-  
 levandam, & opibus usq; cumulandam. Sed si verum  
 serio tamen aestimamus, scriptorem hunc veteris memo-  
 rie tabulis, & monumentis donationum abunde instrum-  
 entum, reor annorum seriem secutum, ubi cetera ipsius  
 narratio destitueret, omisisse nunquam, in huius indus-  
 tria, & aliena liberalitatis memoriam excurrere, qui  
 Meinvercum aliquid impetrasse, Principes eidem  
 donasse, non sileret. At quia verborum id non minori  
 asperitate, quam locorum, & hominum obscura narra-  
 tione ab illo perfectum est, inde scilicet ex horridula illa  
 in literis etate, ulro consequitur, ut fastidium pariat.  
 Venio ad fidem Exemplaris, ut ad fundum huius histo-  
 ria. Unde in animo Varronis dictum observatur: A-  
 leam vitæ Domini, ac rei familiaris agi, ubi salubrē  
 eas fundi non est. In Apographum incideram ab ori-  
 gine sua sincerum quidem, at scriptorum vitio minus  
 salubre, & opportunum. Στραγάλος δὲ μὲν dixisset  
 & stragulam versicolore, multorum manu raptam,  
 & mendose contextam; cui, ut resarcienda veteris hi-  
 storiae fax preluxisset, Meinvercus suis in tenebris  
 seu carcere obscuro clausus adhuc, ignotusque, longa  
 nocte jaceret. Verum nostrorum hominum, qui Patre  
 bornæ vivunt, per investigatione duplex tandem, Manu  
 scriptum vetustius, & autographum nactus, ibi cum  
 meo R. P. Nicolai Toussani studio diligenter ea collata  
 sunt.

sunt, ausus sum operam hanc meam, cum ad Ecclesie illius ornamentum, tum historia communem utilitatem publice profiteri. Quamobrem, licet paucis in locis pendenti interdum orationi nos consulere Lectoris interesse putavimus, in proprijs tamen nominibus, aut sententijs ipsis innovare quicquam, vel immutare, religio fuit, quod in hisce doctos putarim, veterum exemplarium, si qua terrarum plura extant, quam meam fidem, sequi malle. Ceterum, quia narratio multiplex nunquam interrupta, filo perpetuo textitur, placuit eam notatis ad marginem Latinis numeris incidere; & ad nostras animadversiones, quas ut silva jam diu cesa, rariorestantum dabimus, per eosdem numeros, Lectori committere quasierranti, viam monstrare. De I. itaque & II. inciso, monco, quod omnia fere, qua in ijs, de Paderbornensis Ecclesia incunabilis, loci situ, & conditione, Hathumaro Episcopo primo, ex Wirceburgensi Ecclesia huc assumpto, denique de Caroli magni, & Leonis pontificis congressu speciosè repetuntur, plurimum mutuata verbotenus ex actis Translationis S. Liborij, quae graviter olim corrente saeculo Christi nono Bissonis IV. Episcopi jussu conscripta sunt; extantque apud Suringer ad vitam illius Sancti adjecta, & ipsi Bissoni inscripta, qui floruit salutis anno DCCCLXX.

I. Patherbrunnensis sedes praeminebat.) Origo loci strictim repetita. Pather a fluminis fons unde loco, & civitati nome. priscis Saxoniae occidua populis, Franciaq; & Germaniae regibus ja inde a Caroli Magni aetate, convenarum accessu, crebrisq; conventibus & militum concursatione frequentatus; inde Episcoporum, praesertim

Mein-



Meinverci multis pulcherrimisque donarijs, & sacra-  
rum adium structuris, tectisq; decorus evasit. Hic ma-  
gnus Carolus exercitus adunavit, Saxonibus saepe recidi-  
vis jus dixit, Saracenorum trium Regum legationem fre-  
quenti Procerum senatu hic audiit. Innumeram West-  
phalorum gentem salutaribus hic undis Christo renasce-  
vit. Denique caput orbis Christiani Leonem Ponti-  
ficem à pessimis hominibus afflictum, erigere summa-  
tum honore, & suscipere, & dimittere pro regifico acce-  
pit. Inde Caroli filio, pio HLudwico rerum patiente,  
translato ab usque Cenomannorum finibus S. Libori p-  
gnore religione novi patrocini, & ostentorum admir-  
sione majorem in modum locus exornari cepit. Trans-  
missus autem huc magno cum apparatu, nec sine assen-  
suum Baduado Episcopo faventis, S. Liborinus an-  
no Christi DCCCXXXVI. Indiēt. XIV. itineribus sancti-  
longis, cum urbs Cenomanensis (vulgo le Mans) procul  
apud Tironum fines, quorum Archiepiscopo subiacet,  
ad Sarram modicum amnem in tertia Lugdunensi ni-  
meretur, sua quoq; Provinciali Cathedra illustris.

Saluberrimorum fontium amenitate incompa-  
rabili.] PATHERA. Fontis utiq; hujus rarum inge-  
nium est, à quo veterum Scriptorum multiplici flexu  
Padrabrunnum, Padresbrunna, Patherbronna, &  
Padeborna, civitas nuncupatur. Ante viginti an-  
nos inter socios familia nostra ibi vixit Josephus Man-  
goltus, vir Philosophia doctrinis excultus egregie, quem  
memini, de Pathera Treverim adamicum de disse lite-  
ras; eique hanc questionem tulisse, cujus per vestigati-  
one neminem incolarum tunc jocabatur committere, ut  
sibi

sibi caput condoleret. In urbis hujus medio mons est, seu potius collis, in quo & domus tunc Societatis, & primaria Basilica constructa, ex cujus montis radicibus tres fluvij erumpunt, latiores fere vestro triclinio, qui intramoenia adhuc coeuntes, navigabile flumen in tributibus sat magnis efficiunt. Centena igitur aliquot plaustra aqua interdum effluunt ex hac urbe, nulla gutta influit, unde ergo tam magna urna, quae aquam semper subministrat? Aliud accipe. Existit duobus hinc miliaribus in nemore fons tumultuarius, à nobis appellatus. Is postquam fluxit hora circiter aut amplius spatium, quiescit horis fere tribus; inde velut resumptis viribus, iterato fluit: quod ubi continuavit, iterum sese adhauriendum, quod effundat, recolligit: Idque perpetuo in orbem facit, stans fere horarum intervallis, ut oculis deprehendi. Tertium nunc accipe haud minus prodigiosum. Fons hic dum fluit exonerat se in quendam alveum, qui aliunde, non procul tamen aquam defert; eamque tam copiosam, ut plura molendina impetu circumagat. Sed aqua hujus regnum est admodum breve; nam ultra miliare Westphalicum non procurrit, quin ita absorbeat, ut ejus vix guttam inde reperias. Nam hinc inde in ripa voragines, terraeque magni hiatus existunt, per quos tanto fertur impetu sub terram, ut ad restringendum inferorum flammam properare diceres. Reliqua, quae gurgites hos evadit, guttatim in ipso sensim alveo ita consumitur, ut alibi talos tibi madefaciat, alibi in arena sicca insistas vestigio. Sic ille.

[Patherbronnenſe Templum.] Anno DCCXCIX.  
 1. 50 Pontifex VIII. Idus Decembris, ut à Kranziotraditur,



ditur, *Metrop. lib. 1. c. 11.* Paderbornensem Ecclesiam vici-  
 cens exstructam instauratamque dedicavit. Acta Li-  
 boriانا tantum in Ecclesia nove constructa altare con-  
 secrasse meminerunt. Explicatius, opinor, hic nosse  
 positus à Carolo principis Ecclesia fundamentis, scilicet  
 ad adventum primi Episcopi Hathumari sub anno  
 Christi DCCXCV. at nondum ad culmen eductis, in  
 Crypta ibidem noviter, ut ait constructa, Leonem S. Ste-  
 phano aram dicasse. Nam, primaria Basilica titulus  
 jam inde ab origine, sibi sanctissima Dei mater Maria  
 vindicavit, cui intervallo Tutelares accessere, Liborius  
 & Kilianus; hic, ob primæva inspectionis Wircebun-  
 go profecta memoriam; ille ob reverentiam corporis  
 istuc è Gallia translati. Ceterum Baturado Episcopi  
 aliqui basilica consummata docus tribui videntur  
 quam integram stesisse cum S. Liborij corpus illatum  
 est, Translationis acta ab Idone presbytero omnium pri-  
 mo litteris mandata, testantur. Non prætereo Gobelin  
 narrationem; quam Kranizium sequi haud pigrius  
 Ecclesiam quæ Patherbronna à Carolo pridem exstructam  
 ab incolis ipsis, licentia rebellionis, fuisse igne vastatam  
 Hinc Capellam tanquã veteri busto subserviam obtulit  
 Leoni consecrandam. Quem precibus hoc Regis lubentius  
 & alacrem dedisse, ut altare S. Stephani inclusis rebus  
 ornatum, quas Roma exportaret, dedicaret, & adem-  
 lutantibus in anniversario, qui ad VIII. Iduum Decem-  
 bris occurrit, noxarum largas condonationes tribueret  
 HATHUMARUM.] Harimarum vitiosè dixit Kraniz-  
 ius, & ex S. Burchardi disciplina. Consentiant præsci Sa-  
 xonem, ex nobilium obsidum genere olim Herbipoli se-  
 positum

positum à Carolo, ex cultum disciplinis & religione, u-  
de accersitum ad hujus Cathedra surgentis gubernacula.  
Valde immemor sui Krantzius hic extitit, cum in Sa-  
xoniam sua l. 2. c. 16. de Carolo Magno scripsit, Padeborne  
præfuisse S. Liborium, qui tot retro annis, Valentinia-  
no, Gratiano, & Theodosio Augustis Cenomanis sedit E-  
piscopus. Felicius ab eodem explicatum est, quomodo  
eiusdem Regis beneficentia facti sint

Saxones sacerdotibus tributarij: ] Donasse namq;  
Carolus Regalia Pontificibus, quod intelligeret popu-  
lum infranem posse religione contineri, armis vero pla-  
cari non posse. Hinc cum de Widekindi Principis Sa-  
xonum successione, mirum observat in majorum litem-  
ris silentium: causam hanc ipse subjicit, quia Saxones  
ea tempestate, regnante post patrem Luduico pio, sub  
Christi religione mansuefacti, quieverint, & omnis  
provincia Episcopis dispartita, religioni servierit.  
Quam rem longè testatorem facit ipsum Magni Ca-  
roli diploma, quod S. Willehado Bremensi Episcopo de-  
dit. Extat id apud Adamum ejus Ecclesie probatum,  
& veterem scriptorem, Lib. 1. c. 10. vel 9. ubi Carolus  
proficitur, se Saxones bello victos, & ad baptismi grati-  
am, Deo annuente, perductos, pristina libertati donasse;  
omniq; sibi debito censu solutos, pro amore illius, qui  
victoriam ipsi contulerit (Deo) Tributarios & sub-  
jugales devotè addixisse: videlicet, ut qui potestatis Re-  
gia jugum hæctenus ferre detrectassent, victi jam & ar-  
mis, & fide, Domino & Salvatori nostro Jesu Christo,  
& Sacerdotibus ejus, omnium suorum jumentorum,  
& fructuum totiusq; culturæ decimas persolverent.



III. Præclarum hoc membro chronologia, & successio-  
 nis Episcopalis factum fundamentum; in quo quid  
 prævit, in Metropoli sua Krantzius, & series ipsa  
 evoluta perfacilis, in tam certis temporum spatijs Chro-  
 nologia palestram non moveo. Tantum in Luitbario  
 discrimen observo, quem Krantzius Metropolit. lib. 2.  
 cap. 15. ex Patherbronnensium annalibus, scribit præ-  
 fuisse annis XXIII. at Meinwerci laudator XXVI. Sed  
 probabile, ex ternario priores duas lineas, que in V. con-  
 lescere solent, apud Krantzium casu diremptas esse.

IV. Meinwerci Episcopi patria, progenies, edu-  
 catio.] Germania divisionem scriptor assertit primo ad-  
 spectu rejici dignam, nisi eam interpretatione fulciant,  
 aut mitiges. Accipit enim magnam illam, & trans  
 Rhenum ingenti terrarum spatio porreclam. Ejus ex-  
 tremam non mediterranea tantum loca, sed insulana, &  
 maritima scriptoribus non antiquissimis Scythiam ap-  
 pellare mos fuit. Unde veteris Saxonia limes in Scythi-  
 cum pelagus usque desisse narrant: & Unni Bremen-  
 sem Archiepiscopum, magna fama ad Sueones, Nord-  
 mannos, Danosque religionis, & fidei propaganda cau-  
 sa profectum, Scythiæ populis prædicasse, & ibidem  
 apud Birkam oppidum in Scythia spiritum posuisse.  
 Adamus ex antiquis monumentis repetit, lib. 1. cap. 50.  
 51. & seq. Inferioris Germania recessu natale solum  
 Meinwercio dat scriptor Trajectensem dicecesin, &  
 terminum. Sed quam vellem distinctius hac, & ex le-  
 ge finium accuratius descripsisset. Quis enim amplitu-  
 dinem fundi Ultrajectensis Ecclesie nescit? Sed cum  
 Meinwerci acta diligentius intropicio, patriam cer-  
 1400

tam ei fuisse conjicio, unde heredia ferè paterna, & avi-  
 tar opes prompsit, & in Ecclesiam Patherbronnensem  
 larga manu concessit. Hanc in Geldria, & Ultrajecten-  
 sis Ecclesie finitima regione collocari video, qua Rhenus  
 Ultrajectum petens Rhenensium oppidum S. Cunera pa-  
 trocinio clarum præterfluit, quo in loco domicilium  
 majores habuisse apparet. Hinc quod terrarum trans  
 alveum inter Rhenum, & Isalam Velve hodieque vo-  
 cant, quodque Teisterbandia finibus non ita certis, ut  
 Molanus colligit ex vita S. Svoberti, continetur, in  
 hoc ampla patrimonia Meinvercus, & vectigalia  
 possedit. Unde factum arbitror, ut qui vetusta cum re-  
 centioribus parum consideratè componunt, Meinver-  
 cum faciant Wihingi Geldria Comitum filium. cum patre  
 Comite prognatū constat illustri quidem majorum stem-  
 mate, at non hujus generis, unde stirps Mengosi, Wi-  
 hingi, & aliorum Gelria Comitum deducitur. Nam  
 in istum præscè constitutum apud fines Ultrajecti comi-  
 tatum Imado parenti Meinverci Theodoricus, atque  
 deinde Baldricus vitricus cum successissent; tandem,  
 proscripto ob lasam majestatem Baldrico, comitatus hu-  
 jus membra convulsa distraetaque fuisse, apparet. Re-  
 ctè etiam in Ultraject. Episcoporum historia notavit  
 Wilhelmus Heda, extra Hollandicum eumque serum,  
 olim Ultrajectensi Ecclesie subjacuisse comitatus vici-  
 nos, Velve, Toventia, Trentia, & Salia. At in Tei-  
 sterbandia clarè ostendit ex veterum monumentis, Bo-  
 melam exitisse, & Tielam, nunc Gelrijs oppida nota.  
 Quibus omnibus in locis Meinverci majores fortè  
 patrimonia possederint. Sane Meinverco obtigit Re-



gium genus ex materno sanguine. Athela matris nomen, Henrici Aucupis, aut Henrici hujus filij Bojorum Ducis, quando origo hæc non ita liquet, filia, vel sobrina. Nam Ottonem tertium, & Henricum juniorem Bavaria Ducem, & inde sanctum Imperatorem, diserte meminit autor vite, sanguine regio contigisse. Ut facile ab Ottone Magno, vel hujus patre Henrico Aucupe, Meinwerci maternam stirpem derives. Unde & in Poemate veteri Scriptor, Natum Saxonem dixerit. Rem à se implicatam tangit magni Chronici conditor: Meinwercus Monasterio SS. Petri & Pauli in Paderborna multa prædia de paterna hereditate tã in diocesi Trajectensi, quam de Comitatu Teisterbantæ, & de Comitatu Radichen, quæ ei ex divisione facta cù quadam sorore sua (Athela fundatrice an nutrice Monialiũ in Elten) obtigerant, contulisse liberaliter.

Imadus, aut Imedus Pater Meinwerci. In Imado scriptor meminit, Tantæ nobilitatis lineam fuisse curæ, propagari. Hujus lineæ deprehendere iucundum fuit quadam vestigia. Universe Saxoniarum Orig. lib. IV. celebratur Immedus Walberti Ducis Saxonie filius, quarto loco natus; qui & Ottonis Magni propinquus extitit. Nam frater fuisse traditur Theodorici, cujus soror Mathildis Henrico Aucupi connubio iuncta fuit. Ad hunc Imedum originem referunt illustres Allobrogum, & Sabaudie Comitum Ducumque prosapie; in qua hujus nominis ad XIII. Dynastæ, qui litterarum metathesi ex Immedus, & Imadis dicti sunt Amadii, Gebenne, & Lacus Lemani olim Domini. Ex hoc igitur Imado, nomen, & ut conjicio sanguinem habemus

hemus Meinverci, & Theodorici fratris; sicut & Imadi Pathebronensis Episcopi hic num. LII. Verum Witichindi locus Annal. tertio expressus, propius nos ad stirpem hanc deducit, cum Meinverci vicinos progenitores celebrare videtur in cobello, quod Otto Magnus, contra filij Lutulphi Archiepiscopi Moguntini factionem gessit. Nam redijisse, ait, in Saxoniam, amissis duobus principalibus viris, Immedo, & Meinwerco, quorum uterque ictu sagittæ perierat, alter Magontia; alter expeditione Bavarica. Coronidem addit Adamus; qui Immedingorum nobilissima stirpis in Unuvano meminit; unde ille progenitus Meinverco Padereborna adhasit.


Meinwercus in Ecclesia B. Stephani Halverstad à parentibus oblatu. ] Ceterum Meinvercus, ut à teneris formaretur ad institutum vita, quam in Clericorum ordine parentes eum suscipere voluerunt, duobus in Collegijs, ubi florentissima tunc ingenijs, & artium cultura extitere gymnasia, vitam egit; Halverstadij, ubi elementorum rude tyrocinium posuit; Hildeneshemij, ubi præstantiorum artium, & doctrinarum fructu decerpit. Seminaria cultioris hujus disciplina Gallie debere majores voluerunt, cum Halberstadiensis Cleri gymnasium Catalauno, Hildegrimo procurante; Hildeneshemensis, accersito Remis Gunthero, & ex Aulicenti Ecclesia Hildeneshemium translato, coaluisse tradunt Kranz lib. 1. Metrop. c. 10. & Annales M. SS. Et Alber. disertè in mag. Chron. Belg. ad an. 795. Hildeneshemem. Ecclesie primum conventum venisse, ait, à Remensi Ecclesia; Halberstadensem à Catalaunia.



V. Henrico Duce Baioariae regnum invadente, Henricus hic, alijs Hezelo, pater Henrici Claudi sancti monia praestantis, extitisse dicitur. At si non fallit scriptor, qui est in manibus, alium quoque Henricum genealogia huic asseramus oportet, puta filium Ottonis Bavaria Ducis, qui nepos fuit magni Ottonis ex Ludolpho Suevia Duce, & pater Gregorij V. Papa. Porro Henricus dictus senior, Bavaria ducatu semel exortus, iterum post mortem Arnoldi, & Bertholdi Ducum fratrum, Boicum principatum adeptus est; cumque ad filium Henricum sanctum transmisit. Nec adhuc asseriri possum Crantzio, vel stemmati Dietmario, cum tres huius nominis Duces in recta prosapia linea procedunt. Quippe ad Ottonis II. excessum, suffragia tulisse, ait Crantz. l. 4. c. 21. Henricum Bavariae Ducem, iudicis de sanguine Saxonum, fratre Ottonis Henrico natum, cujus etiam filius (Henricus sanctus) insequutus sit Ottonem tertium. Equidem obscuram alias huius genealogia notitiam, quibus possum vestigijs adhuc indago.

Otho Dux Saxonie.

Rex Henricus Auceps, cujus filij.



Ita

Ita Meinwerci scriptor. *Alijs Henricus Minor interjicitur, cuius parens extiterit Henrici Imper. sed scriptor citatus disertè Henricum patrem S. Henrici, ait fuisse patrualem Ottonis II. qui illum ducatu exiit, & fratrem magni Ottonis; eumque appellat Henricum priorem, puta comparatione filij. Atque ita Henrici Bajoaria duces appendendi: I. Henricus Aucupis filius. II. Othonis Ducis, ex vita Meinwerci F. III. Henricus Claudus, IV. Henricus S. Canegunda frater. Sed Henricus Othonis ducis filius, cum non alia nota, quam affectati regni insigniatur, probabilius est confundi cum Henrico priore, qui fratris Ottonis, & patruelis sui sceptris insidiatus est, cujus temeritatis eum post poenituisse Diemarum non tacuit, chr. l. 4. qua sententia alibi Crantzius de Henrico sancto scribit Sax. l. 4. c. 27. eum fuisse Ottonis primi ex fratre Henrico nepotem. Et licet Hermannii Contracti exemplaria quedam ad annum Christi DCCCCXCV. Henricum patrem Henrici sancti preferant filium fuisse ducis Henrici, id acceperim equidem potius de Henrico Aucupe, qui & Dux, & Rex fuit. Nam quod Hermannii Chronicon posterius, & emendatius Henricus Canisius edidit Tom. 1. Antiq. Lect. huius omnino non meminit, sed id modo istic legitur: Henricus Dux Bajoariae obiit, & filius ejus ex Gisela, Conradi Regis Burgundiae filia, itidem Henricus, Imperator postea futurus, ducatum interim obtinuit.*

VI. Meinwercus Regius Capellanus. ] *Inoliticum vitiosa consuetudine scriptor vita S. Ottonis Babenbergensis Episcopi non dissimulavit apud Surium Tom. 4. venisse*



venisse in feram quoque aetatem; ut cum Ecclesiarum Investitura penes Casares essent, quoties Episcopus aliquis decessisset è vita, Ecclesia, cui præfuisset, pedum, & annulum ad Imperatorem transmitteret, ab ejus aula petens sibi dari Episcopum. Hinc multos nobiles, & præstantes viros, cognatos & filios Principum, Imperatoris aulam sequutos, Capellanorum ei ministerium exhibentes, spe alicujus Episcopatus obtinendi. Quod πολιτικῶς, ut ne ad Meinvercum & consimiles ei transeat, & ne judicijs præjudicia fiant, cavendum est certe; nam cum arma Martiales à Musarum castris alienissimi homines tractarent hoc tempore, ut religio ac littera ab ijs essent longè, viros Palatio enutriti sacrarum civiliumq; rerum callentes, publica res suadebat. (Ad S. Burchardi vitam de Francone Episc. Wormatiens. S. Annonis Colon. & aliorum passim.) His domestica, & Palatinam militiam, his Cancellorum decus, & Principum arcana, & Responsorum sapientiam, denique admissionum, & inductionum officia, utpote quibuscum à pueris religio & disciplina in Monasterijs, & Collegiorum Cœnobijs adolevisset, Principes tutissimè credebant. Atque in hoc genere liceat commemorare non paucos, qui oblata sacerdotia fortius repudiarint, quam alij ambuisse visi sunt, ut exemplis Sanctorum Hereberti Coloniensis, Godehardi Hildeneshemensis, Ononis Babebergensis Episcoporum, & aliorum plurimis docere, sit facile.

VIII. & IX. Incendium Patherbronæ. ] Incendium Patherbronense ad annum Christi DCCCXCIX referendum esse, vrbis è locis manifeste colligitur: nam primo

primò, omnes nota numerales, quas autor Millenario  
 offixu, cadunt in annum antecedentem. Hunc, quando  
 Ottonem ipso anno in Slaviam, sive Poloniam profectum  
 scribit, ab eodem anno, quem diximus, non recedit.  
 Deniq, anno inenunte millefimo, proficitur Rhetardum  
 Episcopum Roma impetrasse restorationem privilegi-  
 orum, qua flamma vis aboleverat, ipsis Kalendis Janu-  
 ary, Indictione XIV. qua scilicet in superioris anni  
 Mense Septembri inchoata currebat. Et, quia incendiū  
 hoc Indictioni tribuit XIII. anni tamen DCCCXCIX,  
 cui affixa alioqui est Indictio XII. prorsus statuendum,  
 eladem illam anno desinenti, & Autumno assignandam,  
 postquam nimirum Indictio XIII. currere cepit.

Imp. Otto S. Adelbertum Martyrem Gnesæ co-  
 lit. ] Ottonis iter in Slaviam, hoc nomine tunc Poloniam  
 notabant, describit in Chronico suo Ditmarus, memo-  
 rabilem ab eo religionis cultum S. Athelberto impen-  
 sum laudans. Vide Petr. Damian. in Romualdo. Hie-  
 me autem susceptum hoc iter reditus ostendit. Nam  
 Palmarum solennia Magdeburgi, Paschalia Quidelin-  
 burgi celebravit. Hinc cum Archidiacono Romana  
 Sedis, Aquisgrani frequenti procerum senatu loquutus  
 in Italiam abiit. Ceterum Ottonis acta Polonica, ex  
 recentioribus diligenter exequitur Martinus Cromer-  
 rus lib. 9. de rebus Polon. qui anno Christi nongentesi-  
 mo septimo, XXIII. Aprilis S. Athelbertum alias ap-  
 pellatum Voiczechum à gente barbara Frussorum, cum  
 veneranda mysteria perageret, prope oppidum sinus  
 Venedici sive Sarmatici, quod Tisbansum Germani  
 postea dixere, martyrio affectum memorat. Gnesna  
 di



*digressio, Rarimum, sive Gaudentium, quem in loco fratris habebat successisse vult, quem Synodi decreto, cuius hic mentio, laudatum interpretaris, in hac nova diocesis erectione, cuius dubium tamen jus facit Baronius.*

*A Prucis martyrizatus.] Hac scriptura in ijs, quos jam Prussos, & Prutenos appellamus, usi sunt veteres, Marianus Scotus, Abbas Urspergensis. Semlandiam Adamus celebrat illorum Insulam, Ruzis & Polonis finitimam. Hanc, inquit lib. 4. in Dania descript. inhabitant Sembi vel Pruci, homines humanissimi, qui obviam tendunt ad auxiliandum ijs, qui in mari periclitantur, vel à piratis infestantur. Apud illos illustris Boëmorum Episcopus Adalbertus martyrio est coronatus. Usque hodie profecto inter illos, cum omnia communia sint nostris, solus accessus prohibetur lucorum, & fontium, quos autumant Christianorum pollui accessu.*

*X. & XI. Otthonis III. mors & Henrici sancti successio.] Mortem Othonis, probatiores in annum MII. rejiciunt: inter quos Ditmarum, Marianum, & Lambertum sequens, ut apparet, Baronius: nam apud Paternum defunctus in Januario, sepultus est Aquigrani, Pascha tempore. Hinc partium varia studia crebrique conventus tota Germania super Electione novi Principis, de quibus præ alijs Ditmarus Chronici libro quarto, & initio quinti; traditque Marianus Henricum tandem inauguratum die Dominica, VII. Idus Junij, ut observavit Egidius Bucherius Societatis nostræ, diligens temporum investigator, ad Tom. I. Gestor. Leod. Episc.*

Ekkihar-

Ekkihardus Marchio, (Thuringiæ) Palithi interfectus.] Palithi & Palthi Ditmario memoratus in Saxonia locus lib. 6. & 7. in quo Benedictus VIII. Roma pulsus postea Regem Henricum convenit. Illustrem fuisse Abbatia inibi conditâ oportune Ditmarius in illa narratione meminit, qua presentem de Ekkihardi Marchionis interitu historiam non ita obviam illustrat. In qua sane non pauca sunt, qua huic nostro instituto serviunt. Nam Ekkihardus ceu non obscure regnum haberet, cum Bernwardo Antistite Hildenesheimium ingressus, ibi ceu Rex susceptus, & honorificè cultus est. Deinde ad Patherbrunnam pergens clausas invenit portas, at jussu tandem venerabilis Præsulis Retharii, loquor cum Ditmario, intromissus, primo Ecclesiam orationis causa intrat; postque ad domum, ubi Episcopus cœnabat veniens, benignè exceptus est. Hinc, ubi Rethario consilia sua displicere cognovit, observatus à conjuratorum manu, apud Palithi à Sigefrido Northemij Comite hasta prostratus XI. Kalend. Maij oppetit, parentante ei Alffkero ejusdem loci Abbate. Adelboldus tamen in gestis rebus S. Henrici, Poldam hunc locum appellavit; & curtem Regiam, in qua Ekehardus Marchio Thoringia strenue dimicans interfectus est. Extat & Privilegium in Chron. Mind. Engilberto Mindensi Episcopo ab Henrico IV. datum Polide anno MLIX.

XII. S. Cunegundis Patherbrunnæ coronata.] Idgestum anno MII. quo Saxonia totius proceres apud Merseburgum, datis dextris, Henricum Regem collaunarunt, in quibus Adelboldo teste, fuit etiam Retherius

rius



rius Patherbornensis Episcopus. Hinc oppido Gruonā in finibus Hildenesheimensis ditionis Regis uxor occurrit, quæ Regis comitatu procerumque deducta Patherbornam. Quæ autem in ipsa Regina consecratione, cœlo sereno tempestas intervenerit, coortis in arma mutua Bavaris & Saxonibus, Adelboldus, quem dixi in actis Henrici Imp. prolixius exequitur.

XV. Donationes quæ Patherbrunnensi Ecclesiæ respectu incendij obvenerunt. ] Eas cum plurimas deinceps Scriptor enumerabit. Liberalem hanc pietatem lib. VI. Chron. commendat Ditmarus. In Patherbrunno Monasterium, & omnis ejus apparatus flamma nostræ iniquitatis ultrix consumens, multorum corda fidelium commovit, quæ amor divinæ remunerationis ad hæc renovanda communiter accendit.

XVI. Sumpta chirotheca. ] Ad ritum Investitura prisca, per annuli & baculi traditionem malo more à Regibus in Sacerdotiorum distributione quam pridem usurpatum; accedat & usus chirotheca non sine imminutione prisca moris, à pio Rege sumptus.

XX. Ansfrius venerabilis Trajectensis Episcopus. ] Hujus præclara memoria extat in Chronicis Antistitum ejus Ecclesiæ. Genus & patrimonij fundus in Comitatu ponitur Bratuspantium, & Teisterbantia apud Tielam Wahali flumini adjacens Gelria oppidū. Imperasse quoq; dicitur latissima pascuis Insula, (Bomela-verda) quæ ab oppido Bomela nomen habet. Quod hic à nobis annotatum, ut hinc verus Teisterbandia situs, cujus hic crebra mētio, certius exploretur. Quanquā & Teisterbantii Comitatus illustris extet memoria, in sortitione

ritione liberorum Luduici Py, cum eos herci scundi regni controversia tenuit.

XXI. Helmwardeshusen, vel Helmwershusen.] Paderbornensis Inspectionis, & diœcesis, ordinis S. Benedicti clarum Monasterium, quod in Meinwerco & aliorum Episcoporum potestate fuit. Hinc Imperiis annumeratum, versus Orientem in finibus diœcesis prope abest à Visurgi flumine & territorio Brunsvicensi, à quo jam captivum tenetur. Translata huc olim Brunone Treverorum Archiepiscopo S. Autoris à Thietmaro Abbate, ac aliorum SS. præstantes reliquia.

XXII. Lubentius Bremensis Archiepiscopus. ] De ipso & successore Unuvano prolixè Adamus, & edita Bremensium Archiepiscoporum historia. Etiam Dittmarus, qui Livizonem appellat, p̄sum ejus discessum lib. VI. Chron. enarrat; additque illo anno, quo obiit, Henricum regem Paschale festum cum Meinwerco sibi admodum familiari in Patherbrun digna veneratione peregisse, fuit autem annus is nostræ salutis. MXIII. (Annal. Barou. ad an. 1012. Livizonis, ad seq. Lubentij mortē referunt.) Inde & elucescit, quemadmodum, faciente Meinwerco, Unuvanus ad Bremensem Cathedram pervenerit, quem lib. 2. c. 33. de Choro Padarburnensi assumptum ait; ortumque eadem cum Meinwerco Immedingorum nobilissima stirpe, qui cum parem generi & magnitudini animi sedem nactus esset, tantam munificentiam gentibus Hyperboreis ad fidem Christianam flectendis exhibuerit, ut ex Thesaurò Ecclesie sue diu sollicitèque collecto, ferocissimos Aquilonis reges hilaritate munerum suo-



luorum, ad omnia, quæ voluit benignos, obediensque habuerit. *Adam. c. 35. Abeant ergo atatis hujus iniquissimi reprehenses, Zoili; & sugillare desinant Pontificum avaritiam, cum Principes majores Dominosq; suos tanquam ere & libra ab Ecclesia coemptos, & novo adoptionis genere non per armorum, vel hasta traditionem, vel per coma, aut capillorum incisuram, sed munera largitione, seu divitiarum hominum efficaci blandimento, meminerint edomitos, & sub Christi tandem jugum missos.*

XXIV. Theodoricus Monasteriensis Suitgeri successor.] *Ditmarus lib. 7. Chron. unde hac tota narratio. Hujus successor, inquit, Thiedericus materteræ meimet filius.*

XX. Proximo anno.] *Utitur Prochronismo. Nam expeditio hac Italica in autumno ejusdem anni MXIII suscepta. Sequenti Henricus in urbe creatus est Imperator; & Meinwercus ibi præsens privilegium, & Sanctorum exuvias à Benedicto VIII. retulit.*

XXX. Cluniacum Henricus Imp. cum Meinwercoco adiit.] *Ad verbum huc nonnulla transcripta ex cap. XXVI. vita S. Henrici à R. P. Gretzero nostro cum Divis Bambergensibus edita. Quam vero Coronam auream, ex S. Odilonis vita Baronius ad an. 1014. retulit, Odiloni missam hic animadvertit ab ipso Imperatore inter divina Mytheria Cluniacensi Congregationi oblatam. Sed quod ex Krantzio Metr. l. 4. cap. 4. ibidem refertur, ad an. 1015. Baron. de Monachis Cluniaco ab Henrico Imperatore Patherbronnæ abbas electis, id duplici mendo vitiosum. Primo, quia Meinwerc*

vverco Episcopo vetus scriptor, quem Krantzius sequitur, Monachorum deductionem attribuit, non Imperatori Henrico. Iterum, quia ex vita S. Cunigundis, quae illic de monasterio condito, templisque narratur, Paderbornae haud rectè accommodata sunt; cum eorum nihil in hac Meinverci opera conveniat, sed earum Ecclesiarum tituli hodieque Bambergae extant, Patherbornensium omnino dissimiles.

XXXI. Anno MXV. XVII. Kalend. Octobris dedicata nova Basilica Patherbronnensis à Meinverco exstructa. Eodem anno bellum contra Boleslaum Polonia ducem gestum, obstiit, quo minus Imperator dedicationi interesset, cum jam ante apud Immalesbansen Henricus, cum Antistite Meinverco solennem Pentecosten exegisset teste Dietmaro; qui & Othelrici Provisoris sive Ducis Bohemiae, ejusque defectionis meminit. Sed hac hieme, item Henricum scribit Ditmarus lib. 7. Natalem Domini in Pathebrun festivis peregrisse gaudijs, ut quod Dedicationi non tribuerat, nataliis Christi ferijs compensaret.

XXXIV. Uplage urbe munitissima & multa nefaria dicta. ] Ditmarus Chron. lib. 7. Balderici Comitis flagitiosa dedecora, quae parricidium hoc insequuta, prosequi videtur; narratque militaribus sacramentis obnoxium fuisse Heriberto Coloniensi Archiepiscopo. Uxorem, tacito nomine, alteram dicit ei Herodiam fuisse. Ejus fraude Wigmannum Comitem item perisse; cujus ultor Bernardus Saxoniae dux, Baldericum urbi Uplage, obsedit. Sed ad Cæ-



faris adventum urbs Upplan, ait *Ditmarus*, omnino destruitur.

XXXVII. *Chronico Lamberti ad annum MXXI.* Grando magna fuit, & multi fulmine exusti sunt. Meminit ejusdem *Ditmarus*.

Ecclesia S. Viti in Eltene. ] Nobile monasterium id notari hic putamus, quod regione Clivenfi haud procul Embrica civitate in editi montis jugo ab illustris principis Abbatissa teneri solet.

Ecclesia vicina Rene constructa in honore S. Cuneræ. ] De S. Cuneræ & oppido Rhenensi, consule *Melanum* in *Indiculo Sanctorum Belgij*. Celebris memoria apud ejus tractus populos martyrium est Huneræ LXXI. milium Virginum Sodalitio.

XL. Interitus vitrici & matris. ] Vide, num diabolica imprecatio à *Ditmaro* hic usurpata, in tragicum hunc exitum aptè cadat. Omnis maledictio quam sibi B. Job imprecatus est, huic talem promerenti eveniat.

XLI. Poppo Trevirensis & Danorum. ] Narratio hujus incisi de *Popponis Trevirensis Archiepiscopi celeberrimi* successione, ex *Gestorum* qua vocant *Trevirensium* libro ad verbum transcripta. *Simeonis Metanachi Siculi* vita extat apud *Surium*. De eo & *Poppone Trevirensi*, quem non uno loco *Ditmarus* extollit, ut & de vulgato errore, qui huic sanctum facit, & cum *Poppone Slesvicensi Episcopo* confundit, nos atibi ex instituto. Jam unum id repeto, *Popponem Danorum Apostolum* in *Adami* historia celebrari; ubi & hæc impune tractati ferri, & ignium victoria illustris narretur.

tio disertè ab illo perscribitur lib. II. histor. c. XXXV. Et  
quia ab Adaldago Bremensi Archiepiscopo ordinatus  
Sleswvici, non ut in Dania sua Krantzius scribit Aru-  
fij Episcopus, ad Ericum Danie Regem legatus, à Cæ-  
sare, & Archiepiscopo missus est, liquido constat, atate  
longe quidem fuisse ante Popponem Trevericum: cum  
Adaldagus ante Christi annum DCCCCXXXVIII, hu-  
mana reliquerit.

XLIII. Ipso quoque anno. ] Exprimendus cum  
Ditmaro l. 7. MXVII. Quod autem ad Merseburgen-  
sis Ecclesie restitutionem, illam quidem Henricus ad  
annum MV. inchoarat; hoc autem anno, presente  
Meinwerco, & alijs Episcopis Magdeburgi eidem  
instituit largitioni; quam reversus ab expeditione etiam  
cumulavit, Pentecosten inde Werthins ad Romam,  
Abbate Heithenrico, religiosè peregit. Inde copijs jam  
in unum contractis, & fervente belli apparatu Impe-  
ratricem Cunigundam ad se Patherbronnam venire  
jussit.

Corbeja, dicta nova. ] Ad discrimen veteris, haud  
longe Ambianis ad ripam Somone fluvij, unde hac de-  
ducta, de qua cum alijs sæpè Krantzius Metrop. lib. 1.  
cap. 24. & in Sax. lib. 2. c. 25. Aditamen vitam S. A-  
delhardi Tom. 1. Suriy ad 2. Jan. Legebam in perve-  
tusto MS. Chronico ad annum DCCCXXII. Inchoa-  
tio Monasterij novæ Corbejæ per S. Adelhardum,  
antiquæ Corbejæ in Francia Abbatem. Septimo Tom.  
Suriانو ad XV Junij ex Scriptore coætaneo S. Viri  
translatio describitur, quæ favente Hilduino Parisien-  
si Abbate, à Warino facta Prasule Corbejensi anno



Christi DCCCXXXVI. cuius & Sigebertus, in anno  
 precedente meminit. Non premo versus, etsi nec anti-  
 quos & male tornatos, utiliter tamen descriptos ex cry-  
 pta Corbejenfis Ecclesia ob singulare argumentum boni  
 ominis; cuius & Witichindus Corbejenfis in Ottonii  
 historia meminit, translati nimirum à Francis in Ger-  
 manos Imperij:

*Felix Westphalia gaudet de pignore nata  
 Viti dotata, qua dat sibi Francia grata.  
 Abbas Warinus regali semine primus  
 Francorum natus, Viti venerabile corpus  
 Transtulit à Francis Corbejam, ceu paret istis.  
 Ex tunc translatum est à te Francia, sacrum  
 Imperium Domini, de quo gaudent Alemanni.*

Neque Lectorem ignorare velim trium ibidem Mar-  
 tyrum illustrium extare conditoria, Viti, Iustini, Mer-  
 curij, quorum beati cineres harent altari principi, in  
 medio Vitus Ecclesie patronus; Iustinus ad cornu E-  
 vangelij; ad Epistola Mercurij. Et quia hic incisa  
 XLVII. Scriptor vita Meinoverci Geroldi meminit  
 Caroli magni consanguinei, cuius vel oratorium, vel  
 monumentum ibi relictum sit, adscribam Epigramma  
 illustris viri, quod in saxo crypta ecclesia Corbeiensis post  
 summam aram ad parietem dexteriores oblitescens,  
 mecum communicavit idem, qui superiores versus ex  
 eadem crypta eruerat R. P. Joannes Roberti, tunc Pa-  
 therbornensis Collegij Rector.

*Inclitus est istic positus le vita Geroldus.  
 Quondam regali clarus in obsequio.*

*Sed servire Deo malens hic quicquid habebat,*

*Secum presenti contulit Ecclesie.*

*Cujus doctrinis gaudet, donisque refulget.*

*Pro quo Christe jugem confer ei requiem.*

Abbate Wal deposito. ] *Rem gestam metachronismo & histerologia turbat. Hac enim Walonis abdicatio refertur à Diutmaro lib. 7. ad annum Christi MXV. quem audire interest : In vigilia Pentecostes Imperator ad Immaleshusen venit ; illic cum Antistite Meinwerco hanc sanctam festivè ducens solennitatem. Illic Wal Corbeiensis Abbas prius ab cura suspensus deponitur : & unus ex Lariffemensis monasterio Druchtmer sine fratrum consensu predictorum assignatur. Quo ad sedem suam in hac venienti hebdomada omnis Congregatio, exceptis VIII flens abiit, ut Liudolphus (Corbeia) Abbas prædixit, & locum hunc penè vacuum non sponte reliquit.*

XLV. Carnibus cognatum adipem Ecclesia monachis indulgit. ] *De lardo & sagimine Canonistæ, & qui de Officio scribunt. Henricus noster, ob penuriam olei, sagimen adhibere, ubi mos id suscepit, aut non esse damnandum lib. 7. de Indulg. c. 13. Ostiensis in summa de Obser. jejun. morem hunc Monachis Cluniacensibus tribuit, ex quorum familia Patherbronnenses. Quod verò morem hunc ab Ecclesia Synodo quapiam adprobatum scribit, haudfacile jam explico. Laudari solet Cap. Presbyter, in quo vini & sagiminis, ovorum, & casei usus pœnitenti indulgetur. Id Caput, quia Glossa meminit ex Gangrensi Concilio depromptum,*



forte hanc ob causam usus sagiminis eadem hinc operi  
 censetur stabiliri. Ad nostrum Serarium ad 142. Epi  
 stolarum S. Bonifacij, & Aporium Instut. Tom 1. lib. 7.  
 cap. 21. q. 8. qui hinc Cistercienses eximit, quorum  
 hoc genere lepida quadam eventa commemorat Casari  
 us lib. 6. de simplicitate cap. 3. & 4.

XLVIII. S. Alexij Capella. ] Hanc prope Ab  
 dinghoffensis novi Monasterij septa posuit Meinover  
 cus; & eidem Monasterio eius regimen tradi disse scri  
 bitur. Verum cum mœnia urbis, & porta non loca  
 quo solent jam visantur, dilatato scilicet pomerio civi  
 tatis, Sacellum hoc excidisse putant.

S. Bartholomæi oratorium. ] Id Collegio Societa  
 tis templum fuit assignatum, cum vicino domicilio  
 antequam eas in sedes, quas jam colit, immigraret. Ser  
 vit jam D. Virgini annunciata Sodalitio. Nec Græci  
 nici operis specimen aliud præ se fert, quam quod forme  
 ce laqueatum, ternis utrinque columnis sustentetur, lon  
 gitudine colligens XLVII. latitudine XXX. pedes. Ab  
 vicinum sanctæ Dei Genitricis sacellum Geroldi, vetu  
 state collapsum est.

S. Galli Ecclesia exstructa, populo de Sudburg  
 non. ] Alias Burgnon. Pagus urbi ad meridiem obje  
 cet, quæ cœli plaga Septentrionalibus Suid appellatur.  
 Monstratur ibi haud longè ab templo, quod in veteris  
 locum successit, area, quæ a S. Gallo incolis dicitur Galle  
 kirche, ubi Wolfgangus, quisquis ille beata memoria  
 lapideam Ecclesiam exstruxerat. Nova, quæ deinde  
 constructa patrocinium habet S. Michaelis Archangeli.

XLIX. & L. In Hervordia basilicam S. Mariæ.]

Hujus Basilicæ originem *Krantzius Saxon. lib. 2. c. 24.* ad *Widekindi Saxonum Principis munificentiam* transfert. Nam *Angariorum veterum sedes, quæ versus orientem ad Visurgin pertinent, cum is Caroli permissu insideret: ajunt. (David Chyt. Saxon lib. 3. in Westph.)* prope *Hervordiam* vico *Engern* templum cum Collegio condidisse, ubi hodieque monumentum istius Ducis extet. Hinc *Krantzius* putat vœtigalia in *Sanctimonialium Hervordia Parthenonem* transscripta, *Dominabus, ut ipse loquitur, ibidem imperitantibus* servitura, additque, *Widekindum* sepultum primo in hujus Collegij templo ab se fundati: inde à *liberis Padeburnam* esse translatum. Ego, ut de *Witechindi* memoria rem integram esse patiar, & apud *Angarios, sive Angriam* sedisse concedam, cujus nunc tractus *Hervordia, Comitatus Lippiensis, & Mindon-* sis *Episcopi* censentur, non facile tamen hujus novæ *Basilicæ S. Crucis* primordia, quæ hic tam præclarè traduntur, & velut à capite arcessuntur, ijs posthabuerim, quæ *Krantzius* memoria tradidit. Et licet majorum religio huic loco ob hæresis injuriam quam pridem detracta, manet tamen hujus miraculi & loci memoria vulgo, Ad visionem, nuncupata.

Ungariorum vastatione, & Thietmari invasione.]  
 Jam inde à *Ludwici III. & Conradi I. imperio* assuefacti *Ungari* ingenti flammarum, & populationum clade pervadere interiorem Germaniam. *Lambertus* ad annum *Christi DCCCCVI.* vastasse scribit *Saxoniam.* Idem ad annum *DCCCCXVI.* *Reginonis* supplementum.



*zum: Cumque Fuldansque in Hassiam, & Thuringiam penetrarint, proclivis, nemine obstante, in Westphaliam ijs fuit aditus. Hostiliter etiam in Patherbornense solum incubuisse Thietmarum; sepe nobis laudatus Ditmarus nobilis Merseburgensis Ecclesie Episcopus, & sua aetatis scriptor insignis, haud tacuit. Meinwercus Praesul à Thietmaro nepote meo, Bernardi Ducis fratre, dispoliatus est.*

LII. In Patherbornensi Ecclesia publica floruerunt studia. ] *In hac palaestra S. Altmannus, cujus nomen per à CL.V. Sebastiano Tengnagel vita in lucem edita militavit. Qui Passaviensem cathedram aliquando meriturus, in Ecclesia Paderbrunnensi non solum Canonicus, sed Scholarcha, Saxonicum clerum ipse Saxo litterarum studijs exercitum habuit; ut, antiquus Scriptor loquitur, ad regimen scholarum delectus, & multis annis adstrictus, donec tandem ex Praeposito Aquigranensi in Palatio Henrici III. inter ministeria sacra florere cepit.*

LIV. S. Longinus. ] *Hunc ad XVI. Martij adscribunt nonnulla Martyrologia. In Paderbornensi Ecclesia, sunt qui ejus memoriam peragi putant postridie festi Lancea, id est, sabbato post Dominicam in Albis.*

LVI. Noviomagum perrexit. ] XVII. Kalend. Aprilis magna fuit in Niumagen Synodus, & nepos meus Otto, & uxor ejus Irmengerd consanguinitate proxima injuste diu conjuncti ob inobedientiam contrariae vocationis excommunicati sunt. Ita ad hunc annum Ditmarus. Habet autem hic illustrium Antistinum nomina, qui eidem Synodo interfuere; me-

minit-

minitque *Krantzius* in *Meinverco*, multa ibidem de reformatione collapsæ per omnia membra religionis, fuisse constituta *Metrop.* l. 4. c. 4.

LVII. Bernardus Dux Saxonie rebellis, & Schalksburg. ] *Adam* lib. 2. c. 33. accuratè rem hanc persequitur. *Bernhardum* scilicet, Ducem ortum ex humili degenèrem à paterna religione, hac rebellionè terruisse, & turbasse omnes Saxonie ecclesias. Tyrannide sua gentem *Winulorum* seu *Wandalorum* cœgisse ad Paganismi necessitatem, Sed in primis *Unwanum* oppugnasse, & *Bremensem* Ecclesiam, tum quia ditior, tum quia ad Imperatoris tutelam remotior. Hinc jugem discordiæ flammam inter ipsius & Archiepiscopi familiares sævijisse; illis impugnantibus regem & Ecclesiam, his pro Ecclesiæ salute fortiter dimicantibus. Exitus hic jurgij, ut *Unwani* *Meinverci* aliorumque procerum consilio rebellis Dux flexus tandem apud *Schalksburg* Casari *Henrico* supplicet daret manus. Ita convenienter huic nostra narrationi *Adam.* *Vid.* *Krantz.* l. 4. *Metrop.* c. 1.

LIX. *Abbatia* *Sceldice.* ] Interpretantur esse nobilium *Vegetorum* Collegium hodie apud cognominem vicum *Schilse*, duodecim circiter millibus ab *Hervordia* distitum; olim quinque templis, nunc uno tantum Parochiali instructum, infectumque *Lutheriana* tate.

LXIX. *Cofunga* vel *Gauffunga.* ] Mendosè passim *Ditmaro Chron.* lib. 7. *Capunga*, *Surio*, & *Trihemio* *Confratium*: *Sanctimonialium* *Monasterium* apud *Cassellas* in *Hassia*, nobile Imperij membrum, & *Cunegundi* *Augustæ*, *Ditmaro* teste, dilectum; in qua



& monasticā inchoavit, & post conjugis Henrici mortem, se Deo consecravit; Sed de his & similibus locis illud Severi Imperatoris usurpes jam licet. Omnia fui & nihil. Meminit hujus loci R. P. Greiserus in notis ad Divos Bābergenses. Porro sequenti numero 86. titulus ejus accurate describitur, & clarè satis indicatur pertinuisse ad Meinverci inspectionē ac diœcesin Patherbronnensem.

LXX. Monasterium Hassungen S. Heimeradi. ] Necte hæc cum B. Heimeradi actis ex Inciso XVII. & LXI. Trubemius in Chron. Hirsang. ad annum MLXXIII. Clara & celebris valde hisce temporibus per Germaniam & Gallias erat memoria S. Sebaldi in Nürenberg; & S. Heimeradi in Hassungen, & magno populorum concursu quotidie frequentabantur propter opitulationes, quæ divinitus illic languentibus sæpenumero conferebantur. Quorum ultimus videlicet Heimeradus Presbyter fuit sanctissimæ vitæ; qui obiit anno Domini MXIX. Indiæt. II. IV. Kalend. Julij, super cujus tumulum Sifridus Archiepiscopus Moguntinus Monasterium nostri ordinis construxit, cujus Patronus est S. Heimeradus, qui multis ibidem miraculis coruscavit. Ita, Trubemius. Sed hic Ariboni istius Monasterij incunabula adscribuntur. Colophonem operis Sigefrido primo dari bene interpretatur noster Serarius in Aribone. Vita B. Heimeradi extat M.S. in Collegio Soc. Jesu Padebornensi.

LXXIV. Arnulphus Halverstadenfis. ] Chron. M.S. Saxon. ad annum Christi MXXIII. Arnulfus Halverstadenfis Episcopus Christi fidelis famulus; sapientia divina præditus, scientia humana facundus; cun-

evinctis perpetim seclis lugendus cœli collocatur palatio. Is acquisivit S. Stephano, divina favente clementia, mille & ducentos mansos; multaque alia in molendinis; in arcis, pratis, sylvis, in fossis salinarijs; In pallijs, in missalibus indumentis ad omnes ordines pertinentibus admodum auxit. Tabulam altaris supremi auro puro, & gemmis decoravit. Thuribulum aureum, & thuris receptaculum aureum; & calicem magnum aureum, cum patena, & varia ornatuum genera S. Stephano contulit.

LXXVI. Synodus Salingenstadiensis. ] *Hujus, etsi uno dempto, Capitula omnia in Meinverci essent acta inclusa, duo tamen solum retinere placuit; tum, quia cetera dudum evulgata sunt; tum quia Meinverci scriptor duo priora potissimum interpretatur, aut etiam rejicit, in plerisque non sententia tantum auctoris Micrologi, quem in observationibus Ecclesiasticorum rituum sapere supra vulgus jam pridem docti notarunt, sed verbis etiam illius inhaerens. Lege de Junio Vernali Estivo, Autumnali, & Hiberno observationes Micrologi, à cap. 24. usque ad 28.*

LXXVIII. LXXIX. LXXXII. Meinverci quædam facta discutiuntur. ] *Meinvercus Henrico Imper. post balneum, ex Mustelarum pellibus, pro regia dignitate amictum præbiturus, agnorum vulgarium, quos plures mactaverat velleræ subjecit, & pecoris jacturam ab Imperatore reposcit. Henricus generosi nectaris sive confecti liquoris pateram Meinverco honoris causa mittit; eamque, quia magni pretij, referri ministro jubet. At Episcopus cum sicera poculum ra-*



ius donari, ne redhiberi possit, calicem ex eo conflari,  
 reique divina ilico addici, imperat. Denique expecta-  
 tum ob elegantiam operis templo parietibus vestienti-  
 aulam sive pallium, cum spe votoque tardius impe-  
 trat, occupavit Henricum Meinvercus, illud clam  
 eripiens, Domino tamen non agrè de re sua concedente.  
 Quæri à curiosis hic video, an officium hoc à Mein-  
 verco observatum, quo dicitur inter bonos bene-  
 agier, nullusque simulationi vel dissimulationi locum  
 relinquitur. Qui Henrici Imper. & Meinverci con-  
 junctionem vite, morum, & sanguinis intuetur, multa  
 in utriusque factis inveniat, quæ ad exactam commu-  
 nis officij regulam revocari nequeant, etsi eorum nul-  
 la pars interim officio vacet. Etenim Meinverco cano-  
 nicam Ecclesiam, & copijs omnibus destitutam Hen-  
 ricus obtulisset, eamque cenæ beato, & diviti sponsum  
 collocasset, ubi domestica benignitatis fontem Mein-  
 vercus exhaustit, velut ex pacto convento Imperato-  
 ris arcam sibi excutiendam putavit, qui consuetudinis  
 liberalitatis, non exercitatus modo fuit ad bene de mil-  
 itis promerendum, sed opes inferre templis, Ecclesia-  
 rum augere censum, multiplicare vectigalia, pecunia  
 sua, & fundorum fructum longè putavit esse maxi-  
 mum. Fuit adhuc in Meinverco, quod ex varijs  
 vite partibus ejus colligitur multus lepos, jocique genui-  
 actionibus adhibuit urbanum, nec illiberale, ut ea erant  
 tempora; quod vita Scriptor minimè assecutus est.  
 Sed apud consanguineum Principem, ea quoque floruisse  
 constat gratia, & autoritate, ut nullares fere clam-  
 sa censerit, quæ non licentia Episcopi, vel insita Cla-  
 sari

*sari benignitas aperiret. Cujus quidem rei attentior consideratio, facile Meinvercum ostendit, nihil contra aequitatem contendisse, longeque remotum ejus animum fuisse ab injuria vel malitia.*

De gulis matherinis, vel marturinisin, pellibus pretiosis. ] *Martem Scythicam sive Mustelam, qua vulgo Zobel & Marter, pellium præbere delicias, monitionis non indiget. Meinvercum agninis significat misuisse pelliculas mustelarum jugulis detractas; atque ita testatum negotiatores, martes regali pallio non desuisse. Ceterum de pellium ambitione & exotico luxu, qui latè olim patuit, non est, quod memorem. Consule Adamum in Bremensi historia lib. 4. ubi de Prussis, eos pellibus, olim scribit abundasse peregrinis, quarum odor nostro orbi letiferum superbiæ venenum propinarit. Illos quidem, ait, ut stercore hæc ad nostram forte habuisse damnationem, qui per fas, nefasque ad vestem anhelamus marturinam, quasi ad summam beatitudinem. Vide continuationem historiae Helmoldi in Henrico Leone, & S. Bernardum in Declamatione reprehendentem in Clericis dependentes à collo rubricatas murium pelles.*

LXXX. Thietmelle. ] *Hujus vocis varia scriptio Thietmalle, & Thiomalle apud Eginardum in vita Caroli. Estque is locus, in quo Carolus cum Saxonum gente confugens acie, illustrem victoriam reportavit. Meminit in Saxonia Kranzius lib. 2. cap. 3. Monti vicino impositum sacellum, quod propter cæleste præsidium eo loci missum, memoria magni miraculi fuerit consecratum; dicitque vulgo Montem sancti Adjuto-*



Adjutorij. Sed in veteri quoq; Thendisca Thietmalle  
locum Augustum, & herovicum sonat.

LXXXVI. Ota Abbatisa Confunensis. ] Vita  
Juditha. Hac vita S. Kunegundis cap. XII. dicitur se  
rore sancta Imperatricis prognata; & à teneris  
omnem pietatis fructum educta; post huic præposita  
Parthenoni, ubi remisso velut arcu solvi in deterior  
cepit, in maxillam ejus S. Cunegundis dextram infre  
rens, & digitorum vestigia relinquens, eam ad meli  
rem frugem revocavit. Appellatur istic Ota, ab alijs  
haud scio quam bene, Juditha.

LXXXIX. S. Henrici obitus. ] Henrici sancti et  
tis curricula, ut bene temporibus suis distinxit, ad  
missis Abbatis Urspergensis Chronologia respondenti  
qui præclara de S. Henrico memoria tradidit.

Iter S. Henrici ante mortem. ] Et quia in per  
veteri Chronico MS. Hodeporicon Casaris, quod eodem  
hoc anno decurrit, accuratè descriptum inveni, ad  
gloriosi Principis vitam illustrandam, illud silenti  
premendum non putavi. An. Dom. MXXII. Impera  
tor natalem Domini Bavenberch peregit. Ibiturba  
convenerat pastoribus destituta, quia omnes suspen  
si manebant cujus providentiæ curæ imperiali pote  
state committerentur. Igitur cum his, quos sum  
mos habitos cognovit, voto destinationis decreto  
substituit Hunfridum in vice Geronis Magdebur  
gensis Archiepiscopi, assumptum de choro Wirce  
burgensi. Eadem die Brandagus Vuldensis Abbas  
Arnulphi antistitis successor constituitur. Cæsar die  
versis doloribus vexatus, eodem loco crebra infir  
mitate

mitate diuturnas protraxit moras; resumptisque de-  
 mum viribus, citato cursu Parthenopolim ire pro-  
 posuit. Tandem post longam deliberationem labo-  
 riosi itineris diem Palmarum in loco, qui dicitur  
 Alltede, festivè celebravit. Die verò Reconciliatio-  
 nis, exigente infirmitatis gravedine, remota à se  
 qua convenerat multitudine, paucis comitantibus  
 Merseburg, Cœnam Dominicam peregit. In sancto  
 vero sabbato contracto totius senatus conventu,  
 Contestali sua Cunigunda comitante, Partheno-  
 polim venit; ubi cum grandi honore susceptus est,  
 Dominicæ quoque Resurrectionis gaudia, celebri  
 honore transegit. Deinde ab Antistite ejusdem loci,  
 auri sericorumque varietate donatus, Halverstade  
 adiit. Inde nihilominus Goslarium profectus est;  
 ubi diebus decem peractis ad locum quendam Gro-  
 na dictum properat; ibique forti ægritudine depres-  
 sus, & amaræ mortis poculo debriatus, vitalem emi-  
 sit spiritum. Dehinc flebili querimonia, secundum  
 quod ipse decreverat Bavenbergenfi Castello defer-  
 tur, & cum mœrore terræ matri commendatur.  
*Ita ibi. Quæ autem Hildegarda sit illa Poëtria, quæ E-  
 pitaphium Sancto condidit, dignum est, ut eruditi am-  
 plius inquirant.*

XCIII. Conradus Rex Patherbrunnæ. J Chron.  
 MS. à me jam laudatum. Annus Domini MXXV.  
 Conradi I. Conradus Rex primum suæ felicitatis  
 annum in Natali Domini Minde initiavit. Et Epi-  
 phaniam Patherbrunnensi civitate more regio per-  
 egit.



egit. Inde post Epiphaniam Hildenesheim venit  
*qua eadem fere in vita S. Godehardi.*

XCVII. Henricus Bojarix Dux S. Cunegunde  
 frater. ] *De ejus morte, & successione filij Conrad  
 Imper. eandem sententiam & verba Chronicon MS.  
 habet, hoc tantum ovarians, quod Imbriolin appellat  
 vit, qua hic Werle.*

C. Mifeconis irruptio, ad annum MXXX. ]  
*Chron. M. S.* Imperator Natalem Domini Pather-  
 brunna celebravit VI. Calend. Februarij, Meseo  
 Dux Polanorum, qui contra Romanum Imperium  
 regale sibi nomen usurpavit, comperto obitu Thier-  
 mari Marchionis, assumptis satellitibus diaboli, ex-  
 ercitus Paganorum in sanctam duxit Ecclesiam  
 nam inter Albiam, & Salam centum villas incendijs  
 cedibusque vastavit, novem millia & sexaginta quin-  
 que virorum ac mulierum Christianorum miserabi-  
 ter captivavit. Reverendissimum quoque Brande-  
 burgensem Episcopum Liuzonem, ut vile mancipi-  
 um cepit, nec sacris pepercit altaribus, sed omnia  
 caede sanguineque polluit, Matronas etiam nobiles  
 armata manu sibi vindicavit.

CIX. & XI. Monasterium in Occidentali parte  
 Patherbrunnensis suburbij. ] Monasterij Abding-  
 hoffensis; quod praclarum jam moenibus inclusum,  
 Abbatis titulum habet, perpolationem attingit, & nova  
 Basilica dedicationem; qua nobiles edidit patronos, scilicet  
 Apostolorum Principes, Petrum & Paulum. In  
 ara principe, qua celso eminent loco, corpus Felicis Mar-  
 tyris asseruat, qui sub Numeriano passus, non Diocle-  
 tiano.

B. M E I N W E R C I. 225

*iano, (ut Scriptor Meinverci num. 96.) XVI. Martij anniversarium habet, & adventiois memoriam Aquileia Patherbronnæ III. Octobris.\* Ei associatum tradunt S. Auctoris pignus, qui celebris inter antiquissimos Trevirensis Ecclesiæ Episcopos. Hæc autem dedicatio in annu incidit MXXXI. ut ex Aribonis Maguntini Archiepiscopi morte, & successione Bardonis colligere non difficile est; & aperte notatur, numero CXV.*

Aribo Archiepiscopus Moguntinus. ] *MS. Chron. Aribo piæ memoriæ Moguntinus Archiepiscopus, celebrante Cæsare festum Natalis Domini, ut dictum est in Patherbrunna, in sancto die, inter Missarum solennia, publico sermone habito, licentiam ab Imperatore, & fratribus Romam pergendi rogavit, simul à clero & populo indulgentiam sibi à Deo impetrari postulans. Sicque (anno 1031.) post Purificationem beatissimæ DEI genitricis Mariæ iter assumens, Romam adiit; inde verò post aliquot dies digrediens (VIII.) Idus Aprilis iter universæ carnis ingressus est, ordinationis suæ anno XI. Hæc ipsædem pene verbis vita S. Godehardi. C. X.*

CXVII. Hiltwardeshusen. ] *Diversum hoc ab Helmwardeshusen, ut in actis S. Bernwardi observamus, Virginum Monasterium extitit apud Visurgim, prope à Münda oppido Brunsvicensi, cujus monumentum ab Erico Duce Catholico, statua miraculosa B. Virginis Forolivium in Italiam translata, magnoque cultu in templo Societatis ibidem seposita, nec non reliquiæ præstantes, & caput Elizabethæ magnæ V. Non. Octobr. num. CIX.*

Q tris



226 SCHOLIA IN VIT.  
tris Joannis Baptistæ, à filio Ericinotho, Fuldenſi  
Collegio dono datæ.

CXXI. *Chron. MS. Anno MXXXIII.* Imperator  
Natalem Domini Patherbrunnæ, Pascha Niuma-  
gen feriavit. *Quod posterius refero ad sequentem an-  
num; cujus & vita contextus meminit. Ibidem, An-  
no MXXXV.* Imperator Natalem Domini Pather-  
brunnæ; Ascensionem Seliganſtadt; Pentecosten  
autem Bavenberg celebravit.

CXXII. Buſtorpianæ Collegialis eccleſiæ ori-  
go.] *De hac ad me Reverendus P. Nicolaus Tonſſa-  
nus, Buſtorp, olim Buſchdorff pagus nemore cinctus,  
extra veterem civitatem ad Solis ortum ſpectabat; in  
quo exſtruxit Meinwercus templum idipſum, de quo  
querit R. V. Stat eâdem, ut interpretor, mole ſolidâ  
admodum; neque chorus caret ſpecie ſepulchri. Eſt  
etiânum Canoniorum Collegium, & Parochia, cui  
Patroni SS. Petrus, & Andreas. Ipſa quoque templi  
exterior conformatio, ſepulchri ſimilitudinem exprimit,  
gravi antiquitate viſendam. Jam intra mœnia hæc  
viſuntur, laxato ſcilicet civitatis orbe.*

CXXIV. Simila Meinwerci.] *S. Godehardi de  
Meinwerci tranſitu revelationem, & alia quæ hic  
ad calcem vite narrantur, Krantzius lib. 4. Metrop.  
cap. 7. refert ad Elogium S. Godehardi: ubi quid ſibi  
ſimila velit, ignorare ſe fatetur. Conſpicit tamen, for-  
te fuiſſe detrimento, quod Meinwercus fratribus  
ſuis ſimila dederit in pane, & Godehardus iccirco  
religione hac permotus, ſibi ab illo pane indixerit  
abſtinentiam. Potius Meinwercum valetudinis cauſa*

sa solitum esitare similam dixerim; nec hujus tamen  
beneficio, ut S. Godehardus more suo jocabatur, eva-  
nisse conditionem mortalium. At S. Godehardum absti-  
nuisse, cum uti solet, ut illud breve reliquum vita  
durius exigeret, aut pane secundario se magis roboraret.  
Sed res in conjectura est.

ELOGIUM

ex per vetusto poemate, quod de

B. MEINWERO

fundatore suo, Paderbornæ asservat Ab-  
dinghoffensis Abbacia.

**H**Æc de Meinwero narret breviter modo sermo,  
Cujas extiterit, Domino placuit vé, quidegit,  
Ut celerem vitâ veniam mereretur in istâ s  
Saxo natus erat, bene religionē cluebat,  
Unus primorum consistens nobiliorum,  
Pollens magnarum dominatu divitiarum.  
Imadusque Comes pater ejus, & Attyla mater.  
Doctus divinis primævo tempore libris,  
Fit Cappellanus Heinrici Regis amatus.  
Paderbornensem sub eodem tempore sedem  
Suscepit invitus, magnâ Regis prece victus.  
Attamen Ecclesia valdè bene præfuit isti  
Omnigenâ cura, tractus mercede futurâ;  
Pro meritis sacris, quæ justis fertur in astris.



Commissos verbis, simul incitat ad bona factis.  
 Nam fuit ipse pius, prudens, humilisque, pudicus;  
 Ostendens in se virtutum semina quaque.  
 Verè pauperibus pater extitit ipse benignus,  
 Quos ope largarum recreavit elemosynarum.  
 Devotâ curâ struit oratoria plura.  
 Pleniter his aptum procurans quemque paratum.  
 Sedis at Ecclesiam compsit pulchrè satis ipsam.  
 Res & episcopij cumulavit munere diti,  
 Sive paternarum de censu divitarum;  
 Sive alijs rebus, quas acquisivit honestè.  
 Castrum appellatum **WARBURG** nanciscitur ipsum,  
 Magnum nempe decus munimen sedis & ejus,  
 Quod fuerat Comitis celebris quondam Duedconis.  
 Nec non Cœnobium vitæ struxit Monachorum  
 Ipsâ sede suâ, Paderbornon vocitatâ,  
 Casaris Henrici cum consilio memorati;  
 Qui tulit auxilium non parvum, promptus ad ipsum,  
 Ad Fratrum usum dat plurima quotidianum,  
 Qui laudis sacra libamina nocte dieque  
 Omne bonum danti persolvant Omnipotenti;  
 Huncque Dei Sanctum, nobis non est dubitandum.

Aliud,

Inscriptum recens parieti basilicæ juxta  
summum altare.

**Q**uisquis in effigiem tua lumina dirigit istam,  
 Meinwercii hic digni Prasulis esse scias.

Geldro-

ELOGIA MEINWERCI. 229

*Geldrorum Comitum, qui clara stirpe creatus,*

*Plurima pro Christi fecit amore pius.*

*Ille quod exstruxit Præcessor diruit Edis*

*Summa, & magnificè reedificavit opus.*

*Canobium hoc divus Petro Pauloque dicatum*

*Condidit, Henrici Caesaris auxilio.*

*Asylva pagoque \* locum, qui nomen adeptus,*

*Ordinibus sacris, primus habere dedit.*

*Inclusit postis Padibornam mœnibus urbem.*

*Et varijs auxit publica juramodis.*

*Clero alijsque bonus gratus, gratissimus astris,*

*Hic cubat in medio dignus honore chori.*

*\* Bustrup. colleg. Canon.*

DE B. MEINWERCI

Translatione, & ejus incorrupta casula.

*Documenta ex actis Abbatum excerpta, verbis  
& sententia retentis.*

**A**D miraculum usque memoria dignum est,  
quod casulam, seu pallium sacrum, quo anno  
Christi MXXXVI. amictus sepultura traditur,  
ac humatur in crypta S. Stephani protomartyris,  
sub principali choro; atque ibidem trecentis, &  
quadraginta annis in tumultu quievit B. Meinwer-  
cus Episcopus; nec vermes, nec putredo totum  
absumpserunt. Nam etiamnum in Monasterio no-  
stro hodie visitur: quin etiam singulis annis, quinta  
die



die mensis Junij, quando Meinwercus vitâ humanâ exemptus est, Monasterij hujus Antistes in eadem casula summum peragit sacrum.

Hinc extant versus, qui, ut tunc ætas tulit, compositi, cistæ lignæ, quæ pallium custodit, præfixi sunt

*Vestem, quam cernis, & præfens continet arca,  
Meinwerci egregij Præsulis ipsa fuit.  
Ut nobis veteres, C. ter, XLq̄, loquuntur,  
Annis sic latuit corpus, & ipsa simul.*

Pallium autem hoc sacrum ex albo Damasceno confectum nostris, quibus hodie utimur, admodum dissimile est. Nam ante, & retro, & in utroque latere clausum, & integrum; infra amplum, rotundum, & apertum, ad imos pedes dimissum; supra foramen per quod exerere sese hominis caput possit, habens Fimbrias quoque habet, à fronte, & à tergo aureis litteris, verum exolescentibus, intextas.

Hujus B. Meinwerci corporis reliquias, & casulam præfatam, ex inferiori crypta ad superiores chororum, Dominus Conradus ab Allenhausen, Abbas ordine vigesimus secundus, transferri fecit, anno Domini MCCC. LXXVI. in festo S. Marci Evangelistæ. Tumbæ eminentiori ante annos aliquos fuit incisum tale distichon, ibidem in medio chori

*Hic lapis ad speciem Meinwerci sculptus, eundem  
Plurima qui Christi fecit amore, regit.*

Gloria prima Deo, Matrique secunda Mariæ.

## B. HEIMERADI

*Presbyteri et Confessoris.*

## Prologus.

**D**omino ac Patri suo *Hartvigo*, veræ virtutis exemplari unico, *Egbertus* ultima portio gregis Dominici, quod scit, quod valet, si cuius est ponderis aut pretij. Revera Pater egregie, unicum te præbes exemplar, quid sit patrem esse: cum tam affectuosè imitaris in filio morem evangelici agricolæ. *qui omnem palmitem fructû afferentem purgat, ut fructum plus afferat.* Nam quæcunq; occasio tibi oblata fuerit, quidquid nugarum animo tuo occurrerit, his occupare pergis mentem meam, ne quod tempus otio aut quieti concedam: id autem eâ gratiâ facis, quia dedita opera extirpare niteris silvam urticarum, quæ replevit agrum mei cordis, ut revera pigri hominis. Sed cum sedulò uterque nostrum suum facit officium, tu imperando, ego modestè parendo: tandem, quod pace illius dixerim, majestas tua imperandi excessit modum. Præcepisti namque mihi, ut vitam sancti *Heimeradi* Confessoris literis mandarem: materiam scilicet rudem, meisque viribus majorem; utpote fructibus, quos manens in Christo hic attulit palmes, uberem: quorum ubertas, quorum suavitas me pæne subterfugit; nisi quòd vix parum quid



quid gustavi de his, quæ in profectu positus, vel quæ post virtutum consumationem grandævus jam peregit. Horum enim mihi aliqua comperta sunt, partim referente meo patre, quæ se olim audivisse commemorat ab ejusdem servi Dei ministro; partim ipsis auctoribus, quorum adhuc superstes fovebatur hospitio, humanitate & obsequio. At verò qualiter vitam suam instituerit, quomodo ut cedrus Libani multiplicatus sit in domo Domini; vel certè de qua stirpe pullulaverit, quos terrenæ propaginis parentes habuerit, indagare non potui: ea verò, quæ mihi comperta sunt, eruditoris ingenij vindemiatorem exposcunt. Nam cum sim nullius artis, nulliusque facultatis, tam grandis materiæ silvam non præsumebam aliquando attingere: sed in humilium rerum arbutis scribendi operam infumere consueveram. Unde non nihil timeo, ne mihi ante sub fasce cadendum sit, quam levandum. Verùm ego pretium ob stultitiam fero, qui in agro absconditum nullius ponderis, nullius momenti thesaurum ventosus prodidi; qui scientiam ingenioli mei non cinere pauperis conscientiæ operui. Eorum enim est, talentum terræ non subfodere, qui sciunt illud operando lucrifacere; qui evaserunt in virum perfectæ scientiæ; quorum est solidus cibus; qui frangere norunt panem pueris petentibus; qui parati sunt proferre de thesauro suo nova & vetera; qui occidente litera callent spiritum vivificantem excludere; qui sciunt sapere ad sobrietatem, & infantem scientiam retundere ad charitatis ædificationem. Ecce illic invenies  
pre-

pretiosam, quam quæris, liberalis ingenij margaritam; illic mna non *in sudario posita* est, cum numularijs data fuerit; vel quinque, vel decem mnas ad mensam domini sui reportabis. Illic sedens Dominus conflans purgabit filios Levi, in speciem mundissimi auri & argenti. Tales videtur hoc dictum respicere Salomonis: *Sapientia abscondita, & thesaurus invisus, quid utilitatis in utrisque est?* In me verò nihil est tale. Sed quoniam omnis labor volentibus facilis existit; sed e contrario, ut Comicus ait, *Nulla res tam facilis est, quin si quis eam invisus facit, sit difficilis*; libens experiar quid possim: præsertim cum id ipsum studij me olim de voverim arrepturum, si quærerem ab eo feliciter gestarum investigare possem, quamvis hucusque distulerim. Unde & satis credo, non sine divini numinis instinctu tibi in mentem venisse, ut inter tot præclara ingenia, inter tot filios matris *Hersfeldie*, qui educati sunt in faultis penetralibus philosophiæ; mihi qui sum corpus sine pectore, id operis injungeres: ne fortè conringeret me voti reum existere; quia tutius erat non vovisse, quàm post votum non reddere.

*Vita venerabilis Heimeradi Presbyteri & Confessoris.*

I. Incipiente matutinâ luce, fugientibus tenebris, videmus etiam stellas rarefcere, non quod omnino evanescant, sed quod earum splendor vicini solis præviâ luce victus cedat, ut puta longè inferior. Si

Q5

qui



qui oculos videndi habemus, haud multum diffimiliter modò in sanctis Dei, veris quippe luminariibus cœli, fieri videmus. Nam quanto finis sæculi appropinquat, quanto veri solis adventus vicinus imminet, tanto splendor horum luminarium cœli mundo subducitur, ut jam penè nullus esse electorum credatur, cui gratia sanitarum & miraculorum distributa sit per dividendam singulis, prout vult, Spiritum. Absit autem, ut hanc causam vero soli Christo, videlicet Domino nostro, ascribamus: quasi vasa electionis ex vicinitate adventus ejus minoris incipiant esse virtutis: qui quo vicinior est, eo majore necesse est jubare claritatis suæ, suos, qui in mundo sunt, sanctos illustret: quin potius nobis, adversum quos jam finis sæculi evigilavit, quos invenerunt illa periculosa tempora, iniquitas, & refrigescens charitas; nobis inquam, quorum lumen tenebræ sunt; obtenebrantur etiam hæc stellæ cœli à caligine malitiæ nostræ. Nam divina & humana promiscua habentes, sacra profanis miscentes, eos qui latam & spatiosam viam, quæ ducit ad mortem ambulant, beatificamus, & hos alicujus momenti æstimamus; arctam verò & angustam viam, quæ ducit ad vitam arripientes, nullius ponderis aut pretij computamus. Præterea cum per tales servos suos Dominum moderno tempore antiqua miracula resonare audierimus, dedignamur fidem accommodare; taliumque auctores non solum mendacij arguimus, sed & injurijs & contumelijs afficimus. Unde dum se circa finem sæculi sub modio infidelitatis nostræ sic obscurandam

Eccle-

Ecclesia prævidit, quasi vicem ejus dolentibus, zelo fidei ferventibus ait: *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol.* tanquam diceret: non vos moveat, quod appropinquante mundi fine, propè secundum adventum Christi, propter pusillæ fidei homines, bonorum operum flammis exerere non valeo: quia non idcirco in virtutum profectibus, licet sub modio, licet in tenebris, ardere desisto. Superfunt multi adhuc magni meriti apud Deum, sed lucernæ non sunt positæ super candelabrum. Verùm ut tandem explicemus, cujus rei gratia hoc sermonis exordium arripuerimus; sanctus, de quo hic nobis deinceps sermo habendus est, unum erat ex supradictis cæli luminaribus.

II. Beatus igitur *Heimeradus* eximios sanctitatis suæ radios vitæ comite passim spargebat in mundo, sed propter credentium penuriam, *Lucerna Domini lucebat sub modio.* Hic de *Suevia* oriundus extitit, de loco qui dicitur *Messankircha*: de cujus conditione supervacuum visum est scribere, cum eum Dominus quotidie illustret virtutum & signorum nobilitate. *Ubi enim spiritus Domini, ibi libertas: & non est Judæus, neque Græcus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina;* omnes enim in Christo unum sumus. Denique cum esset in obsequio cujusdam matronæ, & illa alterum quoq; Presbyterum secum haberet, ipse libertati se donari petijt, sicubi rebus suis melius prospicere posset: quâ concessâ, quasi mandato cum *Abraham* divinitus accepto, *egressus est de terra & de cognatione sua, &*  
uni



unicum prædicandæ sanctitatis exemplar effulfit in *Hassonum* provinciâ. Igitur inter suos nullius ponderis aut pretij æstimatus, eò quòd non intenderet lucernæ in caliginoso loco lucenti; salubre sidus, ut ita dicam, visus est alijs gentibus. *Nemo enim Prophetæ, testante Domino, acceptus est in patriâ suâ.*

III. Ea tamen res primos aditus difficiles habuit videlicet ut hominibus, talium virorum desuetis, cur jus fuerit sanctitatis inculcaretur: nam ubi primum vita illius dissimilis aliorum apparuit, juxta quod scriptum est: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei*, non verâ eum viâ ad virtutem niti; hypocritam esse; exterminatâ facie hominibus jejunantem apparere; sed corde tumido popularis auræ mercedem quærere existimabant: & Spiritum sanctum, cujus vocem audiebant, cujus virtutes cernebant, in eo spirare non credebant. Servi revera inutiles & pigri, qui operari de accepto ingenij talento gravabantur, & propriâ illum conscientiam metiebantur: unde accidit, ut penè quocunque locorum devenisset, non sine contumeliâ evaderet: usquequò ascendit in illum montem, *in quo beneplacitum erat Deo, ut habitaret in eo*, sed hæc enucleatius, cum rerum ordo poposcerit, explanabimus.

IV. Ergo ubi patriam parentesque deseruit, *Romam* peregrinationis simul & orationis gratiam iter direxit: ibi sanctorum assidue terebat limina; ibi cum *Claugero cæli* precum suarum mercimonia percipiscabatur, de aperienda sibi vitæ januâ; ibi *electio nis vas*; ibi reliquos omnes cœlestis curiæ senatores, in

in extremo examine patronos sibi parabat, & testes non neglecta vitæ suæ (dum comes vita fuit) rationis. Inde postliminiò reversus, cum in patriam suam devenisset: nec precibus nec lacrymis suorum flecti potuit, ut domum suam, vel quemquam ex familiâ sua visitaret, aut saltem respiceret: memorans illum sermonem Domini, *quia nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* Et illud, *dimitte mortuos sepelire mortuos suos: tu autem vade & annuntia regnum Dei.* Deinde Hierosolymam petijt, ibi pedes Jesu lacrymis rigavit; ibi caput ipsius recumbentis cordis contriti, & spiritus contribulati unguento cum Evangelicâ unguentariâ perfundens, domum in quâ recubuit, psalmodiâ & orationum bono odore implevit. Crucem quoque post JESUM cum improperio ejus portans, crucifixum Dominum suum extra castra secutus est in *Calvaria locum*, ut videret salutiferi tropæi titulum, Domini sui cruore inscriptum; quin etiam peractis suæ devotionis aromatibus, *sepulchrum Domini sui* invisere, cum devotis curavit mulieribus.

V. Sic oliva fructifera in domo Domini, cognatum sibi montem, *in quo Deo habitare in eo beneplacitum erat*, montem in quo nobis pax nostra, *ea quæ pacis sunt*, rogare Patrem consueverat; & euntem in caelos JESUM forti pectore secutus, *adoravit in loco, ubi steterunt pedes ejus*: sicque bonam spem reportavit domum, scilicet se caput suum, ut revera membrum ejus, quandoque secuturum. *Bethleem* quoque *domum panis*, ut gustaret, *quàm suavis est Dominus*,

nis,



*nus*, cum Evangelicis transijt pastoribus; & panem Angelorum in præsepio adoravit, pijs appositum pabulum animalibus, asinæ scilicet spirituali & pullis ejus, quorum insidere dignatur cordibus. Quicquid autem in eleemosynam accipiebat, eâdem horâ, eodemque momento, cum se pauper obtulisset, in simile opus expendebat: quàm maximè verò semper laborabat, salvâ tamen pietate, quantum poterat, ut injurijs quibuslibet & contumelijs afficeretur, calcigandi videlicet corporis gratia: sciens scriptum esse, *curatio cessare faciet peccata maxima*. Et cum alia se injuriandi occasio deesset, quidquid inter se & alios dividendum evenerat, eam partem quæ præponderabat, ipse usurpabat, ut eos sic ad contumeliam sui provocaret. Nihil autem erat, quod non statim pauperibus erogaret, nec quidquam sibi ex omnibus reservans, de crastino non cogitabat.

VI. Sanctus etiam *Heimeradus* omnem cogitationem suam, omnem spem, omnem animum suum illo intendit, ubi misericordes beatitudinem misericordiarum consequentur; usque adeò, ut præsens illi & dies & cibus & vita simul sæpe de memoria tollerentur. Cum autem socius itineris ejus, functus ipse ministerio *Marthe*, dum illeungebatur *Maria*, nonnunquam tentandi gratia diceret: *Domine Heimerado*, (nam id ei proprium nomen erat) *quid hodie manducabimus? nihil residui in mar supijs: cras enim jejunandum est nobis: respondere solebat: ergo jejunemus hodie, cras manducemus.* sic carni, sic spiritui consulebat. Canes etiam ad lacerandum se invitavit.

virabat: verè martyr, quia ipse magis ullo carnifice semetipsum sponte propter Dominum cruciabat.

VII. Igitur emensis tot tantisque terrarum spatijs, satis jam in camino fatigationis, sicut aurum in fornace, excoctus; demum cum psalmista optabat sibi pennas dari, sicut columba, ut volaret, & requiesceret in solitudine. Quem *Herveldensis Abbas* nomine *Arnoldus*, in uno cœnobiorum suorum, *Mimilebo* nomine, invenit: sciscitatusque patriam, gentem, causamque adventus ejus; *Hersfeldiam* eum antese præmisit, statimque subsequutus, ei *sanctæ conversationis habitum* tradere voluit: sed ille nullo modo consensit. Cumque tamen in *Regulari proposito* regiam viam, neque ad dexteram, neque ad sinistram incederet, animo & oculis, semper in cœlum intentus, ut peritus siderum nauta, cum vela ventis commiserit: una die, nihil minus suspicantibus Monachis, atque Abbate, in conventu fratrum ad Capitulum, (ut est consuetudinis,) terræ prostratus licentiam abeundi petijt. Interrogatus ergo, quid causæ haberet? hoc tantum respondit: *quod animam suam, ibi pro voto, salvam facere non posset.* Igitur iratus Abbas, & obijciens illud de trivio, videlicet, *pedem eum rursus titillare:* invitis fratribus, eiecit eum cum indignatione. Qui ejectus, cum in cellam hospitum ad portam equum suum exspectaret, quem Præpositus monasterij, profectus in obedientiam suam, secum habebat; fertur interea in hanc vocem prorupisse: *non rectè se, nec satis honorificè pro natalibus suis, tractarum fuisse à Monachis atque Abbate; latuisse illos generis sui nobili-*



nobilitatem, Imperatoris fratrem se esse. Quod verbum, ut insonuit rimosis auribus discipulorum portarij, statim cum irrisione: *Itane* (inquiunt) *responde domine?* At ille affirmavit, *ita se rem habere.* Et querere, ajunt, *hoc tam diu celatum habuisti, nec jam olim sub divum protulisti, ut congruus honor tua habitus esset nobilitati?* Nec mora proripientes se ad eundem Abbatem, ei exposuerunt sermonem, camino adjectis oleum, qui mediastinus incanduerat adversus eundem virum, cujus favilla longè in posteros essent duraturæ: nam peccans Abbas in Deum, & in animam suam, admisit in sanguinè innocentem, quod & sibi in scrupulum cordis, & in singultum animæ suæ & succedentium Fratrum foret posteritati in laqueum & ruinam. Ut enim hic sermo *velut cancer serpens* ejus non obturatis auribus irrepsit, (non enim meminerat sententiæ Salomonis, ut *aures suas sepius spinis*) continuè evocatum Dei servum exactoris, qui carnificibus præerat, contradidit; eumque per sacramentum, quo se ipsi obligaverat admonuit, *ut illum taliter sibi adornaret, qualiter sibi placeret, cum eum ipse inspicere vellet.* Qui mox susceptum, pro dolor, & pro nefas! ad sepem alligatum verberibus crudeliter per suos officiales macerari fecit. Verùm ipse sibi has plagas castigandi corporis causâ ultroque adscivit: rem tamen altiore sensu pertractantibus, inventus est nihil falsum dixisse; neque enim fas est vasis electionis, in quibus mansionem facere solet spiritus veritatis. Denique Apostolo teste *si ve servus, sive liber omnes in Christo unum sumus.* Et  
 ipse

ipſius Domini testimonio, *unum patrem omnes in caelis habemus*. Ideoque & ab ipſo DN. N. JESU CHRISTO unum fraternitatis vocabulum, omnes de Evangelio sortiti ſumus. Quâ etiam appellatione nos dignatur in Pſalmis: *Narrabo, inquit, nomen tuum fratribus meis*. Qui autem miſſus ab Abbate, huic ejus macerationi intererat, *Anzo* Monachus, referre ſolebat, quia inter flagella nihil aliud ex ore ejus reſonabat, viſi L. Pſalmus, *Miserere mei Deus*: quænam tamen ad finem uſque non perduxit. Uſq; adeo enim in eum ſævitum eſt. Erat autem prædictus frater *Anzo* tantæ religioſitatis, tantæque morum gravitatis, quod ſibi vel ab incredulis fidem extorqueret. Cum hæc ergo contumeliâ de Monafterio ejectus, tuguriolum cujuſdam pauperule mulieris foris murû eſt ingreſſus; quam cum inconſolabiliter plorantem vidiffet, & cauſas percunctatus, ſuper illatis ſibi tam crudelibus plagis commotam audiſſet; *ceſſa, inquit, mulier, meam vicem dolere, magisq; ſuper tuis peccatis compungere; hæc enim poterunt tibi pluriſ eſſe*.

VIII. Igitur *Hersfeldiâ* egreſſus, imò expulſus, ad augmentum ſuæ futuræ gloriæ, quæ in illo revelanda erat, villam *Kircheberg* nomine, in *Haffia* ſitam petijt: ubi cum aliquamdiu commoratus fuiſſet, accuſatus quod conſcius eſſet fractæ ibidem capellæ, & facti in eâ ſacrilegii: cum neque fateari, neque ſe expurgare vellet. (memor illius verſiculi; *Posui ori meo custodiam, cum conſiſteret peccator adverſum me,*) inde quoque à villanis expulſus eſt cum injuriâ.



IX. Post hæc venit in villam *Dietmelle*, ubi cum essent duæ ecclesiæ, una baptismalis, & altera vetus neglecta, hanc sibi *Heimeradus* à Presbytero loci illius impetravit ad celebranda ibidem divina mysteria. Res ita non multum temporis transijt, cum ad eò cunctis per circuitum populis fama sanctitatis innotuit ejus, ut omnes viri ac mulieres jam dictum Presbyterum negligerent, & ad hunc certatim cum oblationibus suis convenirent. Inter quos & exor Vicarij illius Presbyteri unâ die veniens, suam quoque viro Dei oblationem obtulit, quam ille respiciens accipere noluit: tunc illa facie rubore perfusa animoque consternata cæteris supervenientibus matronis supplicare cœpit, ut ei causam indicaret suæ refutationis. At ille respondit: *se non spontè, vel ipsi confusionem, vel populo scandalum facere*: ut palam daretur intelligi, aliquid ei revelatum esse de illâ, quod non libenter proderet, secreti. Cumque adhuc illa non quiesceret, sed eo magis explicandi sui reatus causa ei instaret: *sciens, inquit, scito, quod nec anima, nec oblatio tua Deo curæ sit, nisi vitam tuam moresque correxeris*. Videns autem supradictus Presbyter se despici, illum amari; se negligi, illum studiosè ab hominibus visitari; multis eum primo aggressus injurijs, postremo cum canibus expulit de locis illis.

X. Itaque proccritas corporis, & facies lurida propter crebra jejunia, & vilitas vestium, quandam deformitatem viro effecerant; sed difficile est dictum quantum ei decoris & dignitatis intus præparavit: *etsi exterior noster homo corrumpitur*, inquit Aposto-  
lus,

lus, interior tamen de die in diem renovatur. Qui cum Paderburnon venisset, & cum Episcopus *Megin-  
vvero* in cute, non intus, vidisset; interrogavit unde ille diabolus emergeret? ille gratulabundus crucem contumeliarum post *JESUM* portans, (nam & ipsam *Judæi* demonium habere dixerunt,) humiliter respondit, *se demonium non habere*. Solido nimirum gaudio triumphabat, quod socius factus sit *Dominicæ* passionis: cum proculdubio sciret, *Apostolo* teste, socium se futurum consolationis. Sed ut probatio patientiæ ipsius inveniretur multo pretiosior auro quod per ignem probatur: perseveravit Episcopus asserere, illum diabolum esse. Percunctatusque, an esset *Presbyter*? postquam audivit ipsum eodem die mysteria divina celebrasse, jussit sibi libros dari in quibus cantasset: quos eodem momento in ignem projicere jussit, eò quod incompti essent & neglecti, & nullius ponderis viderentur aut pretij: quem etiam ipse verberibus cædi jussit. Audivimus etiam eum *Cuniæ* & *Imperatricis* jussu vapulasse, quæ ibidem tunc aderat simul cum *D. Imperatore Henrico*; (qui fundator extitit *Babenbergenfis* Ecclesiæ, suæ religionis & flagrantis in Deum animi, evidens ibidem dans indicium, ipsum videlicet locum, ædificijs, opibus, magnitudine, gloria; præterea, quod primum est, divinis laudibus die noctuque ibi personantibus reddens florentissimum.) Sed admirabilis patientiæ vir sanctus *Heimeradus*, omnes corporis plagas omnesque injurias, ita æquo animo tulit, ut ne muriret quidem contra, imò gauderet se pro nomine *JESU*



propterque sp̄am cœlestium præmiorum à falsis fra-  
tribus perpeti talia; edoctus à Domino *regnum cœ-*  
*lorum vim pati*, & non nisi à violentibus diripi. Por-  
rò multorum veridicâ relatione comperimus, quòd  
nonnulli qui hominem Dei calumniati sunt, ad sepul-  
chrum ejus impetrandæ veniæ causâ accedere avidè  
cupierunt, (postquam lucerna sanctitatis ejus super  
candelabrum posita lucere cœpit omnibus,) sed nul-  
lo modo montis ascensum promereri valuerunt. *Ju-*  
*dicia DEI abyssus multa!* Ecce ad sepulchrum unius  
justi calumniator ejus pœnitens accedere nō meruit,  
*super quo majus gaudium esse Angelis Dei in cœlis,*  
*quàm supranonaginta novē justis Dominus ipse pro-*  
*misit.* Et tamen absque ulla ambiguitate credendum  
est, quòd Dominus illis pœnitentibus peccata di-  
miserit: quia non potuit, nisi verum esse, quod di-  
xit. Sed quia non erant defuturi, qui virum Dei jam  
in cœlis cum Christo regnantem; jam in terris mi-  
raculis coruscantem blasphemarent, uti pòst liquido  
clarebit scilicet exemplo: ad ampliorem his incuti-  
endum terrorem, si fortè quiescerent, (dum nullum  
opus Dei vacat à mysterio) tali in eos usus est senten-  
tia. Verùm hoc conjiciendo protulerimus, non affir-  
mando: quia sicut præmisimus suprà, *judicia Dei*  
*abyssus multa:* & sicut confabulator sapientiæ dixit,  
*Sensum Domini quis cognovit?*

XI, Non multum temporis fluxit, (postquam  
*Abbas Hersfeldensis Arnoldus*, nesciens quid faceret,  
beatum virum sic indignè tractari fecit,) cùm dissili-  
entibus membris à capite, tumultuantibus pueris con-

contra senem, & servis contra dominum suum, tunica Christi inconsutilis, quam milites pagani scindere voluerunt, discissa est à fratribus atque Abbate. Rerum autem potiebatur tunc temporis *Conradus* pater *Hinrici II.* Imperatoris: hic zizania discordiæ, quæ inter fratres & Abbatem succreverant, (inimico homine seminante,) acutâ sententiæ falce taliter demessuit, ut eundem Abbatem *Arnoldum* deponerent, & piæ memoriæ *Rudolphum* de Monasterio quod dicitur *Stabulaus*, postea *Paderbornensem Episcopum*, loco ejus subrogarent. Qui cum totum se divinæ religioni mancipasset, fratrum studijs erga divinum servitium, & sanctum quod professi erant propositum, adedò congratulabatur, ut quæcumque posset charitatis officia, ac si indulgentissimus pater, eis impenderet. Depositus verò Abbas *Arnoldus* reliquam ætatem suam degebat privatus: cum tamen nunquam ad mentem reduceret, quòd pro injuria, quam viro Dei ingesserat, deponi meruisset. *Quòd si nosmetipsos dijudicaremus*, inquit Apostolus, *non utique judicaremur*. Sed præcipitium in quod ceciderat, ideo Abbas videre non poterat, quia *lucerna sub modio latebat*; quia nullus meritorum adhuc viri Dei splendor emicuerat; quia *oleum, quod lampades suas reficere solebat*, in vasis conscientiæ, usquequò veniret sponsum, *reservare studebat* justè. Ne autem ipse *Arnoldus* cum hoc mundo damnaretur, sed à Domino correptus hic judicaretur; credimus illum meritis *S. Joannis Baptiste* adjutum, cui monasterium venustissimè construxerat versus Australem pla-



gam urbis, in monte qui exinde appellatur *Mons S. Joannis*. Sed & ille locus celeberrimus, ubi beatus *Heimeradus* tam crudeliter verberibus est actus, *Hersfeldia* scilicet, non longe post obitum ipsius *Arnoldi* cum basilica, & universis simul ædificijs incendio conflagravit: sive ob injuriam hominis Dei, sive etiam alijs culpis exigentibus. Verùm non ab re est, si inusitatum & inauditum miraculum ad medium deducamus, quod Dominus ad consolanda fratrum ibidem degentium mœrentia corda ostendere est dignatus. Nam cereus qui in Sabbato sancto consecratus est, in initio incendij, ut solet, ad propulsanda pericula, coram altari fuerat accensus: sed altera die, cum totum ædificium in cineres confudisset, integer inventus est atque illæsus, carbonibus atque semiustis roboribus adusque summum cacumen circumdatus: qui exinde per singulos annos donec aliquid superfuit, particulatim novo cereo est adjectus.

XII. Sed ut ad propositum revertamur, hucusque vir Dei mortificationem *JESU* in corpore sua circumferens, tandem ad montem *Hasungen* pervenit, ubi deinceps & vita *Jesu* in corpore ejus manifestanda fuit. Ibi ergo decrevit circuitioni suæ ponere modum; ibi post tanti laboris fatigationem quiescere; ibi expectare eum, qui se salvum faceret à pusillanimitate spiritus & tempestate; ibi cœlum sibi vidit apertum, sicut ipse referre solebat, quia scilicet cum primum montem illum intueretur, non aliter tibi visum fuerit, quàm si interiora cœli contempleretur. Haud dubitamus cum tunc ( utpote in litterarum studijs

fatis

fatis exercitatum) non immemorem illius Jacob  
 versiculi, *Quàm terribilis est locus iste, non est hic ali-  
 ud, nisi domus Dei, & porta caeli.* Certus igitur ex  
 hac visione locum hunc sibi cœlitus prædestinatum  
 fuisse, petijt ab incolis, ut sibi jus concederent inha-  
 bitandi montis: quòd cùm libenter annuissent, quid  
 ibi laboris, quid sudoris insumperit; quàm totus in  
 seruitio; quàm creber in oratione; quàm assiduus in  
 lectione; quàm largus in eleëmofynis; quàm com-  
 patiens miseris; quàm omnibus affabilis extiterit;  
 quomodo corpus suum jejunijs & vigilijs macera-  
 verit; qualiter carnem suam cum vitijs & concupi-  
 scentijs crucifixerit; interrogat miracula, qui no-  
 bis fidem derogant, respiciant etiam Dominum fu-  
 os incredulos ad miracula mittentem: *Si mihi non  
 vultis credere, inquit, operibus credite: & opera  
 quæ ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium  
 perhibent de me.*

XIII. Quoties eum incentiva carnis titillabant,  
 cùm psalmos caneret, aut aliquid aliud divini officij  
 persolveret; subito non sine miraculo intuentium  
 proripiens se de ecclesia, quanto citiùs saltum dedit  
 in piscinam, quæ ibi erat, ibique tamdiu vadabat,  
 donec stimulus carnis ejus quiesceret. Fertur etiam  
 una vice nudum corpus suum per spineta traxisse: sic-  
 que dum pœnaliter arderet foris, restrinxisse incen-  
 dium, quod exitialiter vivebat in medullis. Peractis  
 verò Missarum solemnij officijs, hæc ei erat con-  
 suetudo, ut populum, qui convenerat audiendi gra-  
 tia divinum officium, talibus exhortaretur monitis:



ut domum reversi, quæcumque haberent, omnia in eleemosynam expenderent. Cumq; aliqui subridendo interrogarēt expensis omnibus, *quid de se futurum esset, quibus rebus vita indigentia consulerent?* Bonus homo de bono cordis sui thesauro protulit verba bona, verba consolatoria; *reposita eis esse in cælis, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Tum ne morderentur his curis, *Dominum esse sollicitum pro eis; nunquam exauriri posse fontem divinæ misericordiæ.* Qualis arbor, tales fructus! doctrina concordabat cum vita: non enim ipse, vel sibi vel rebus eleemosynarum gratiâ parcebat: certum tenens, quod mercedes suas non in *saccum pertusum congregabat.* Ipsa quoque fœmoralia sæpe in usum eleemosynarum distrahebat. Verùm hanc vicissitudinem pulchrè sibi fœneratam vidit etiam super terram; brevi quippe famâ sanctitatis ejus totam evocavit provinciam, ad videndam, quæ in finibus illis apparuit, novæ claritatis stellam; ad considerandam, *quæ abscondi non poterat, civitatem in monte positam.* Nemo sibi deerat, nullus sexus, nulla ætas, nulla conditio; non nobilitas, non dignitas domi se continebat: quasi ad nundinas, sic quisque post alterum, cum mercibus oblationum ruebat, ut præoccuparet benedictionem servi Dei, ejusque Deo complacitæ se commendaret orationi. Penè nullus dies, nulla hora, nullum momentum præterijt, quo non aliquis visendi hominis Dei gratia concurrerit.

XIV. Interea Comes quidam *Dudecho* nomine, de monte qui vocatur *Wartberg*, superveniente festivi-

civitate *S. Andrea Apostoli*, Paderburnensem Episcopum *Meinvercum* invitavit ad convivium; erat enim capella in eodem monte sita, in honorem *S. Andrea Apostoli* consecrata. Cumq; in vigilia ipsius Apostoli ad cœnam convenissent, & prædictus Comes, beatum *Heimeradum* simul invitatum, contra se ad mensam sedere fecisset: indignatus Episcopus, interrogavit, *quid sibi vir tanta prudentia hoc facto vellet?* cœpitque in ore suo beatum virum injuriare, eumque delirum apostatam appellare: cum ille contrane mutiret quidem, sciens scriptum esse: *Patientia vobis est necessaria, ut reportetis promissiones.* Confusus itaque vice illius Comes, qui vocaverat eum, valde enim venerabatur eum: respondit, *se nescisse, quod adversus illum quidquam haberet controversa:* cœpitque animum ejus mitigare, & viro Dei veniam postulare. At Episcopus in sua perseverans sententia, juravit, quod ab hominibus sanctus putaretur; debere eum die altera sine dubio *Alleluja* ad Missam cantare, ut in hoc sanctitatem ejus experiretur. Statimque ei coram omnibus sub interminatione plagarum id injunxit officij. Cumque Comes pro eo obnixius supplicando, & ei hujus actionis remissionem petendo nihil ageret, nisi quod oleum flammæ adjiceret. Noctu finita matutinâ, tulit hominem Dei secretò, & consolans eum obsecrabat, *ut primamentum non refugeret, sed saltem in nomine sanctæ Trinitatis incipiens, cetera Deo committeret.* Qui licet multum renitens seque ad hospitium dimitti flagitans, tamen non cessante à precibus



Comite, tandem consensit. Veniente itaque hora cum Episcopus nullo modo abduci posset à sententia: processit ille, & incipiens tam solemniter, tam jucundè *Alleluja* cantavit, & ad finem usque perduxit, sicut ipsius loci Clericus testatus est; ut omnes mirarentur, seque ex nullius unquam hominis oratione suaviorem modulationem audivisse faterentur: tunc Episcopus finita Missa, eo secretius assumpto, pedes ejus corrueret, & veniam postulans, deinceps perpetuus fieret ei amicus.

XV. Reverso demum *B. Heimerado* ad hospitium suum, finito convivio, cum ei sublimes quoque & in fascibus agentes personæ, onerantes jumentum quantum portare poterant, munera transmitterent (ut etiam ratiunculas suas pro Christi amore deceleratas, hic videatur recepisse centuplicatas,) ipse tantum panem cum sale & aqua, (raroque leguminibus,) contentus, nihil in proprios usus servabat, sed omnia pauperibus, ut sæpenumero jam inculcatum est memoria. Quod cum pergeret facere, una vice jam inclinata ad vesperam die, cum nihil ei superesse minister ejus vidisset, cepit tumido ore debacchari, & baculo contumeliæ aures ejus tundere: *cur & secum ea qua offerebantur non participaret? se fame cruciari, quod ei sedulus ministerium die nocteque, non sine sudore vultus sui impenderet; ipsum verò universa in alios profunderet, de se autem prorsus nullam curam habere.* Tum & columba, licet sine felle, sæviens, eum cum jurgio tacere præcepit dicens: *non idcirco mittit ea vobis Dominus, ut omnia à nobis devorentur.* Ecce pedes

missi à Domino ad jannam, qui deferat nobis de rore  
 cali & de pinguedine terra abundantiam: inquirentes  
 enim Dominum non minuentur omni bono. Sed sive  
 hoc spiritu prophetiæ providerit, seu sola fide obti-  
 nuerit, (quam maxime Dominus in sanctis suis lau-  
 dare consuevit,) pollicitatione sua fraudatus non est.  
 Nam ecce eo tempore, quo solent homines nocte in-  
 terceptis laboribus propria corpora curare, & do-  
 mesticis suis prospicere, supervenit homo cum ju-  
 mento vario ciborum genere, quantum portare po-  
 terat, onerato. Tunc increpata pusillanimitate disci-  
 puli, ex omnibus sufficienter tribuit ei. Erat autem  
 ibi vas, modicum fabæ continens, hoc eum igni ap-  
 ponere, sibi que dum reverteretur parare jussit; ec-  
 clesiam intravit, ibi more suo plurimum noctis trans-  
 egit. Demum reverso cum minister mensulam ap-  
 poluisset, & ille corpus inedia maceratum reficere  
 cœpisset, subito scintilla igne crepitante profiliens  
 mensale perussit. At ille quanto citius surgens iter ad  
 ecclesiam acceleravit, ibique reliquum noctis ad gal-  
 licinium usque perduravit. Cumque minister jam  
 reditum ejus desperasset, & cubitum ire decrevisset,  
 ex insperato adveniens denuo mensa appositâ cibum  
 sumpsit: interea, qui ei ministrabat, cœpit eum mo-  
 deste interrogare, cur læso ab igne mensali tam festi-  
 nus ecclesiam intrasset? at ille, angelus Domini, ait,  
 cum scintilla me vocatum advenit: cumque eccle-  
 siam intrassen, ita omni genere decoris ornata; ita  
 superno lumine illustratam inveni, ut decuit revera  
 palatiū Domini. Ibi S. Martinum, & S. Mainulphum  
 inve-



inveni, qui & meæ fidei montem istum commendaverunt; & sic cum bene custodirem, me in regnum eorum se introducturos fide mutuâ promiserunt.

XVI. Jam in medio discurrentium pedes nomen ejus ad exteras quoque nationes deportaverant, multumque venerationis ei apud Saxonum gentem commiserant. Habebat autem unum ex vicinis familiarum, & exceptâ una re, quæ modo introducenda est, aliâs sibi fidelem, qui frequenter ejus legatione fungebatur, quocumque res postulasset: huic nomen erat *Yemmo*, quem dum ex more cum mandatis ad *Abbatem Corbejensem* direxisset, misit ei Abbas duo sagmata omnium, quorum usus indiget, plenus qui unâ domi abscondit, alterum viro Dei attulit. At ille gratias agens, interrogavit, *si quid ei amplius misserit?* quo negante: *vade*, ait, *& istud quod mihi attulisti, adde illi, quod domi abscondisti, habens utrumque.* Qui licet aliâs fidelis extiterit, tamen quia in hoc uno prævaricatus est, prævaricationis suæ penas justitiæ censuræ debuit. Scriptum est enim: *quicumque totam legem servaverit, offenderit autem in uno, factus est omnium reus.* Verùm quoniam viro Dei, aliâs ut dictum est, familiaris & fidelis permansit, meritis ipsius hîc recipere meruit, quidquid in legem familiaritatis deliquit: denique non multò post dexteram maxillam ejus, & ita deorsum, usque ad humerum vermis adeo depastus est, ut os nitens & dextera arteria nuda appareret: æquâ verò lance illam partem vermis absumpsit, quâ ille, quod furatus fuerat, absumere habuit.

XVII. Cum una vice jacens in atrio ecclesiæ quiesceret, subito qui simul aderant, viderunt formicarum gregem de terrâ, ut solet, ebullientem, supra eum ascendere; quas cum abigendo nihil proficerent, sed eo animosius, quasi conjuratæ in bellum acies, conferto agmine super eum irruerent; turbati his monstris, suscitato eum indicaverunt: at ille inquit, *Nihil periculi est, nolite turbari: sicut enim videtis nunc formicarum gregem, presagium scilicet futurorum, super me irruere: ita paulo post discessum meum, visuri estis homines de cunctis per circuitum nationibus gregatim montem istum cum votis & oblationibus suis ascendere.*

XVIII. Erat quoque ibi Clericus in juvenili ætate vernans, sed superbus admodum & arrogans. Hic jam à principio multas viro Dei, ob invidiam, faciebat injurias. Quadam itaque die cum pergeret illi molestus esse, vir Dei dixit ad eum: *propius medullis accipe, quæ prædico tibi: dives quidem futurus es, sed postquam omnia congregaveris, veniet satanas & omnia tibi, regne simul auferet.* Utinam jam in ipso non impleta sit ista prophetia, quod pace hujus sancti, salvâ verborum ejus fide, optaverimus: quam impletam, rerum exitus docuit, in ipsius substantia. Nam postquam vir Dei rebus humanis excessit, cum jam multa Clericus coacervasset, ad ultimum ancillam cujusdam præpotentis hominis ejusdem loci indigenæ corrupit: qui statim domum ejus, omnemque suppellectilem invasit, nihilque ex omnibus præter miseram vitam relinquens; insuper ad Frieteslar apud



apud generalem synodum eum accusavit. Cumq; in eo esset, ut Episcopus ad degradandum eum baculum levare debuisset, subito prorumpens sanguis de naribus ejus cum impetu super Episcopum venit: ilicò ejectus tam diu sanguinem fudit, usquequò alijs, quæ introducenda erant, introductis & determinatis, eo oblivioni tradito, synodus illa solveretur. Quis ambigat eum in tantæ necessitatis articulo beati viri miseratione liberatum? qui profectò cum vidisset prophetiam suam in rebus suis esse impletã, ne amisso pariter sacerdotali gradu funditus omni spe nudaretur, subveniendũ ei censuit exemplo Domini sui, qui, *cum iratus fuerit, misericordia recordabitur.*

XIX. Quidam ex habitatoribus ejusdem loci, cum jam senex esset, & plenus dierum rarum admodum, sed jucundum prodidit miraculum, sibi ad beneficium, Deo ad laudem & gloriam, ab eodem servo Dei gestum. Nam cum homo idem esset junior tempore, & erga virum Dei miro flagraret amore, ejusque sedulò fungeretur obsequio: quodam die duxit eum ad proprium hospitium, & ostendit ei suum gallum extinctum, quem quidam male mentis adolescens missò lapillo occidit deambulantem in atrio. Cumque nimium querulosis vocibus suum casum exponeret, quòd scilicet jam non esset, qui sibi gallicinia caneret; qui se profectis diebus ad suum officium; matutinalibus horis ad divinum officium excitaret; quod non esset, quo domum in parte juvaret; pullos educeret; sobolis fœturam suppleret. Tandem motus his querelis Dei servus, elevatã dextera

dexterâ signum crucis contra jacens cadaver edidit, statimque gallus, quasi nihil læsionis pertulisset, sed de somno excitatus esset, nimia velocitate surgens abiit. Quod ideo signum non nisi major natu, non nisi perfectioris ætatis, sub divum proferre prudenter cum animo suo statuit; eò quòd vix his annis parum quid fidei sit; eò quòd mendacium inundaverit; eò quòd omne verum à terris ad superos remeaverit.

XX. Cùm quadam die in villa *Elhero*, quæ monti vicina est, divinis mysterijs insisteret, & his quæ præcedere solent finitis; evangelium legi rationis ordo depoposceret: dum tenacius inhæreret Deo, subito raptus in extasi, *unus quoque spiritus*, ut ita dixerim, *effectus est cum ipso*. Diu verò populo expectante, ut is qui *mente excesserat*, juxta Apostolum, *DEO, sobrius fieret illis*. Jamque omnibus fatigatis, cum domum reverti placuisset, is qui ad impendendum Christi Sacerdoti adjutorium adstabat Diaconatus officio functus, stolâ sumptâ legit evangelium; ne cujus causa advenerat populus, divini officij penitus expers rediret. Deinde alijs digredientibus, remansit unus *Hemmo* cum sua uxore; qui, ut tenaces anchoræ, familiaris & propinquus viro Dei adhærebant; quique illi propensius servitium impendere solebant. Cùm verò jam inclinata esset ad vesperam dies; ad se reversus, quod reliquum fuerat missæ percelebravit; sicque simul cum ipsis ad hospitium illorum intravit. Cui cùm ex more mensam apposuissent, ac si Dominum non in suis membris, sed in seipso excepissent, altera *Martha circa frequens*  
mini-



*ministerium satageret, cœperunt ab eo humiliter ex-*  
*poscere rationem, cur in medio Missæ tam diu fuisset*  
*moratus? Tunc ille, ut nihil erat quod illorum cha-*  
*ritas ei non extorqueret, haud, inquit, tunc tempo-*  
*ris aderam: videbar quidem vobis præsens corpore,*  
*sed spiritus Dei legatione functus eram. O admirabi-*  
*lis sanctitatis virum! licet adhuc corporaliter cum*  
*hominibus conversantem, jam tamen inter illos cœ-*  
*lestes spiritus supernè deputatum; quos cum Domi-*  
*no libuerit, Psalmista testante, Angelos facit.*

XXI. Solebat idem *Hemmo* fascem lignorum do-  
 mui suæ arefactam proprijs humeris ad hospitium  
 sancti *Heimeradi*, absente ministro ejus, circa vespe-  
 ram deportare; focum accendere; aream purgare, le-  
 dileponere, aquam afferre, vasa mundare, lectum  
 sternere; dumq; ille his, quæ secundum Deum sunt  
 vacaret, ipse quæ secundum hominem sunt ei provi-  
 debat; sicque omnibus, quæ usus postulabat, ritè per-  
 fectis, ad sua regrediebatur, cum alacri spe recipien-  
 dæ à Domino vicissitudinis. Quod cum una die ei  
 more faceret, jam ascensurus in montem, vidit diabo-  
 lum levato ingenti saxo, arbores ibidem stantes lap-  
 dare: at ille signaculo sanctæ crucis se undique mu-  
 niens, alacriter cœptum iter pergebat: certus quod  
 ejus orationum clypeo tutus erat ab omni periculo  
 cui humanitatis officium impendebat. Non eget, ne-  
 si fallor, admonitione, quid veterinosus serpens hoc  
 facto voluerit: videlicet, ut incuteret homini terro-  
 rem, si vel sic eum posset à pietatis officio, quod in-  
 tenderat, impedire; dum unius charitati, alterius in-  
 vide-

videbat utilitati. Videbat enim hominem charitatis lorica, & galeam salutis indutum; ideoque pugnam cominus laceffere, & frontem fronte conterere metuebat: quia toties sibi malè tentatum, adversus hujusmodi viros armaturam Dei indutos, certamen secus cefferat. Cognovit autem idipsum vir Dei per spiritum, accitumque tantæ devotionis erga se hominem admonuit, ne formidaret, siquid in sylva adversi deprehenderet: sed signo crucis frontis suæ impresso, securus pertransiret; dicens, contra hoc signum nullum stare periculum.

XXII. Cùm autem instaret tempus resolutionis ejus, per aliquot dies in stupore mentis videbatur, adeo ut à supradictis flagrantis erga se studij hominibus sollicitè custodiretur: triticum enim in horrea Domini aggregandum non poterat absque tribulis & ventilabro separari à paleis. Jam vero in ultimo positus spiritu, cùm devotas, ut solent, mulieres circa se congregatas, totis (ut ajunt) effluere videret in lacrymas: interrogavit, *quam causa esset tanti ploratus?* quæ cum respondissent: pro ejus morte se dolere. Imò, ait, *gaudete, quia patronum habere meruistis, & jure gaudium, quasi ad perennes nundinas ac festivitates, amodo in monte hoc celebraturi estis. Præterea non post longum tempus videbitis Monasterium hoc loco constructum, & coadunatam in Sancto propositio non parvam fraternitatem, ad divinum servitium solemniter explendum. Igitur* quarto Kalend. Julij rebus humanis exemptus, indu-



tus est cælestibus, ut luce clarius constat ex signis  
& virtutibus, quas per eum solet operari Dominus.

XXIII. Quidam enim de gente *Hassorum*, *Benna*  
nomine, prætergredebatur locum, in quo sancti confessoris Christi *Heimeradi* requiescit corpus, undecima post obitum ejus die. Hic, quoniam scutum fidei abjecerat, sagittâ diaboli cor ejus penetrante, sancto illi detrahere, & vitam ejus cœpit derisui habere: qui statim invasus à diabolo, totus in prædam cessit, utpote abjectis militiæ suæ armis spiritualibus, quibus ei resistere debuit. Quem illico sui ad sepulchrum viri Dei adducentes, ac pro eo jejunijs & orationibus die noctuque insistentes; & corporis ei sanitatem, hoste depulso, & pristinam mentis obtinuerunt libertatem. Sed quasi unus non satis dedisset exempli, quantum peccet in Deum & in animam suam criminator sanctorum Dei; alius quidam occurrens duabus mulieribus, sacros cineres trigesimo die cum oblationibus suis invisere, vel currentibus vel volentibus: causasque itineris cognoscens, cum imitari studium earum deberet, hoc miser non fecit, sed immittente satana, turpibus dictis & factis ipse etiam hominem Dei injuriavit: quapropter perpetua ariditate statim mulctatus in crure coram omnibus, claudicando satis vel ipse de hujusmodi sceleris enormitate indicij dedisset, nisi quoddam genus hominum induratâ cervice & indomabili corde esset.

XXIV. Igitur quasi nihil actum sit, una infelix mulier, *Bethzcha* nomine, iterum studium & devotionem quorundam circa sanctum sepulchrum deridere

diere cœpit; sed sicut temeritas culpam, ita & culpæ auxit vindictam: ut videlicet in eam illata correptio, omnem deinceps adimeret injuriandi sanctum Dei præsumptionem. Nam tam diu inimicus sua in eam usus est potestate, quousque omnibus longè lateque innotesceret, quod propter illatam Christi sacerdoti injuriam, huic sævæ subjaceret sententiæ.

XXV. Tandem post exclusas pestes animarum, post eliminata infidelitatis impedimenta, via facta est fidei ad excludendas & eliminandas quoque ægritudines corporum. Siquidem duo paralytici, vir unus scilicet & mulier, diverso tempore sepulchrum viro Dei cum mercibus fidei adierunt, & suffragantibus meritis Sancti, commutationis suæ pretium, plenam scilicet sospitatem reportaverunt. viro nomen erat *Poppo*, *Machtilt* fuit nuncupata mulier, ejusdem loci oriundo originem trahens de *Fresonum* provincia.

XXVI. Pari modo duæ aliæ mulieres provinciales de *Saxonia* diversis incommodis detentæ, (nam una oculorum, altera linguæ carebat officio,) diverso tempore licet pari devotione sanctum locum adierunt, & ope beati viri, quod eis de humana natura defuit, fidei commercio reparare meruerunt. Prior erat de *Geitzlacher* villa, quæ sic appellatur; altera vero de *Leimbach*. Item claudus quidam adolescens, ex servitijs *Berta Comitissa*, ad prædictum portum salutis scammellis est deportatus: adeò enim totus dimidius naturæ vitio sibi met erat inutilis; sed meritis viri Dei adjutus, mutato officiali, relictis ibidem scammellis, proprijs pedibus suis est reversus.



XXVII. *Berngerus* presbyter de *Willibachhusen*, qua villa sita est in *Hassia* provincia, incertum quo reatu daemonium incurrit, permittente illo qui etiam beatum *Job*, quamquam longè diverso modo, fatu-  
na tentandum concessit: qui & ipse ad commune propugnaculum, viri Dei quippe sepulchrum addi-  
ctus, citiùs dicto ab obsidente peste est liberatus. Quid verbis opus est? si singillatim personas, loca  
tempora ponere velimus, ad coacervanda testimonia, nullus modus erit, nulla mensura. Tres cæci,  
duo muti, claudus unus, vel negatam naturæ vitio, vel corruptam, ad sacros cineres meruerunt recipere, quisque suo tempore, integram sanitatem.

XXVIII. Accidit interea *Præfectum Magdeburgensem Meginfridum* cum multis alijs Hierosolymam tendentem, vento sibi contrario *Laodiceæ* diu esse moratum; denique primo, secundo, ac tertio die, & sæpius navigia repetentes, cum in altum processissent, subito mutatâ aurâ, quasi quadam vi detenti divinâ, nusquam promoveri potuerunt. Cumque res in desperatione esset, præfectus *Meginfridus* & nonnulli alij decreverunt domum reverti. Sed *Roding* miles ejus & *Bebo*, & *Sibertus* cum alijs plerisque constanter agentes, definierunt apud se rempotius per terram pedibus tentare, & extrema omnia persecutionem etiam infidelium, si immineret, experiri, quàm iter ceptum relinquere. In hac igitur diffinitione superveniente nocte cubitum iterum est. Tunc *Roding* ut ipse assererat, nondum in somnum resolutus, vidit clarè virum veneranda canitie, in vestitu

fitu candido sibi assistere, suæque remotionis cau-  
 sas prædicere; quod videlicet idcirco detenti essent,  
 quia beatum *Heimeradum* domi sibi in vicino posi-  
 tum, in monte videlicet *Hafungen*, eatenus negle-  
 xissent. Quapropter, inquit, si obstinato animo *Hie-  
 rosolymam* decrevistis petere, crastino mane eccle-  
 siam sancti *Georgij* in hac urbe ingressi, voto vos con-  
 stringite, quod petita *Hierosolyma* nullus vestrum,  
 qui indigenæ estis, prius domum suam ingrediatur,  
 quam hujus sancti viri visitet sepulchrum; ejusque  
 patrocinio vos committite; quia nisi vobis ipse apud  
 Deum obtinuerit, nullus vestrum *Hierosolymam*  
 videbit. Quam visionem cum ille cæteris retulisset,  
 in tantam consolationem & mentis alacritatem de-  
 venerunt, non solum ipsi, sed & alienigenæ, qui se  
 illis conjunxerant, ut altero die primo diluculo omnes  
 pariter supradictam ecclesiam adirent, & illi quibus  
 jussum fuerat in prædictam urbem intrantes, non so-  
 lum sibi metipsis, sed omnibus suis socijs in salutem  
 fierent: nam vix vota impleverant, cum ecce naucle-  
 rus adfuit, & prosperum ventum venisse nuntians,  
 eos ad naves invitavit; quas ingressi, per illud dimi-  
 dium quod superfuit diei spatium, sicut ipsius naucle-  
 ri relatione cognoverunt, quatuor dierum cursum  
 impleverunt. Et deinceps ad eam prospera fuit navi-  
 gatio, ut (quod mirum dictu est) iter quod ante se  
 alij vix duodecim hebdomadis mari terraque ecur-  
 rerant, isti sex tantum diebus currerent: & illi præ-  
 cessores, duorum intervallo tantum dierum *Hiero-  
 solymam*, priores illis, intrassent. Itaque peractis  
Hiero-



Hierosolymæ votis, *Meginfridus* præfectus, *Rodingus*, *Sibertus*, & qui cum illis erant, postquam domum suam reverterentur, promissa factis exequentes *Halsungen* petierunt, & visitato beati viri sepulchro, hæc omnia proprio ore narraverunt.

XXIX. Quædam mulier dum linum carperet manibus, sicut mos est mulierum, tertio die post anniversarij sancti hujus commemorationem, repente contraxit se utraque manus; digitis in volam arctius defixis: accurrerunt, qui aderant, ut linum ei de manibus arriperent, sed non erat facultas. Tandem vi doloris cogente, accessit mulier ad altare sancti viri, seque perpetuo mancipans ejusdem ecclesiæ, ita demum manus referatas ad consuetum usum meruit accommodare. Quod miraculum pro gloria Dei & propagandis beati viri meritis constat factum; cum neq; legitimæ essent feriæ, in quibus nullum servile opus fieri liceret; neque aliud quodlibet peccatum mulieris, neq; parentum ejus, in illius temporis articulo manifestius appareret.

XXX. Duo contracti unus de eadem regione, alius de villa quæ appellatur *Genzlade*, dum corde credunt ad justitiam, ore autem confessionem faciunt ad salutem; statum rectitudinis, quem natura negaverat, ibidem exteriori homini fide obtinuerunt interioris.

XXXI. Similiter duæ mulieres, una paralytica, alia oculorum sensu mulctata, fidei suæ pretium ad eandem memoriam obtulerunt, nec aliquanto tardius salutis dono ditatæ, gaudio triumphantes redierunt: quarum altera de villa quæ *Weidore* appellatur; alia de *Grincenbach* procreata dicebatur.

XXXII.

XXXII. In vigilia Natalis Domini duæ ibi candelæ sunt divinitus accensæ, una in absentia, altera in præsentia cleri, qui ibidem congregatus fuerat, ad agendas sacras excubias in tabernaculo Domini.

XXXIII. Quidam ex fratribus de eodem cœnobio, admodum religiosus, in adolescentia sua gravem incidit ægritudinem, quàm nullo modo evadere potuit, usquequò suum votum, modo fidelium devotum S. *Heimerado* devovit. Quo factò, visus est ei vir Dei in somnis adesse, eumq; utrisq; manibus cõplecti: evigilans verò sensit se meliùs habere, statimque non mediocri accensus est desiderio, ut totum se Deo in servitium devoverit, & S. *Heimerado*; quo crescente desiderio crescebat etiam valetudo: usquequò abrenuntians sæculo desiderium suum implevit, & sic omni ægitudine illa deinceps in perpetuum caruit. Missus deinde cum mandatis in *Wormatiam*, cum vidisset ephebos studio deditos liberali, delectabatur rursus in sæculum redire, seq; ludo reddere liberali. Quare definità, in Parasceve ante Pascha invasit eum tentatio diaboli in tantum, ut & ipso die lecturus lectionem, cujus initium est, *In tribulatione sua manè* *confergent ad me*: (nam lector deerat, ipse autem Lectura erat) & postea quoties evangelium lecturus esset, videretur sibi pagina quasi nigro quodam panno obducta, nullamq; litteram poterat cognoscere; seque sentiret à quodam totis viribus abstrahi à lectione, ut ipse rejecto libro confugeret ad altare, seq; prosteruens sacerdoti cum summo populi totius qui assistebat terrore se postularet adjuvari. Cubitum etiam



iturus, cum signo salutari se undiq; muniret, cantando illum versum, *S. Spiritus adsit nobis gratia*: audiebat vocem altius dicentis sibi, *quod se non deberet signare, sed quod sibi traditus esset*. Nonnunquam verò iedens inter alios repentè videbatur sibi, quasi ab aliquibus ad infernum trahi, ita ut tremere, clamare, & omnes in terrorem verteret. Hoc stimulo colaphizabat eum angelus satanæ sine intermissione diu noctuq; à Parasceve, usq; ad Pentecosten. Tunc verò frater ille in se rediens, intellexit idè se talia perpeti, quoniam ad sæculum reversus Deo ausus sit mentiri, cœpiq; penitere facti. Jam inde rariùs quidem, interpositis videlicet aliquot diebus, ipsa tamen passione per duos & semis años, graviter est afflictus, nec ullis remedijs sive orationibus, sive jeunijs, seu venijs, seu cōfessionibus creberrimis, his curari potuit infestationibus. Solebat accedente passione hymnum Athanasij, *Quicumq; vult salvus esse*, & sequentiam, *S. Spiritus adsit nobis gratia*, adversus imminens periculum de cantare: sed utrumq; satanas novissimè ita funditus ei velut lethargum passio è memoria eliminaverat, ut non nisi vix primum versum utriusq; carminis animo retineret. Tandem reversus jam ad cœnobium suum, confugiens ad nota præsidia, seq; prosternens juxta sanctum sepulchrum, multis lacrymis & precibus beati viri flagitabat auxilium, tota devotione promittens se deinceps stabiliter in eodem loco perman surum, & nunquam ulterius ad sæculum reversurum. Cumque hoc votum corde & ore prompsisset, visum est ei quasi aliquis clara voce *Amen* responderet: nec mora

omnis

omnis tentatio illa diabolica evanuit, & sanus factus, illa peste in perpetuum caruit. Referebat nobis idem frater in præsentia sui circa sepulchrum viri Dei, mulierem primò sanguinem ex oculis fudisse, & visum recepisse. Quo hæc referente, intulit alius frater de eodem cœnobio, alio tempore suis obtutibus in aliâ muliere miraculum simile factum fuisse.

XXXIV. Successu temporis in anniversario S. *Heimeradi*, quod est in vigilia SS. Apostolorum *Petri & Pauli* innumerabilis multitudo ibidem confluxerat. juxta prophetiam viri Dei, quæ totum montem occupaverat. Plenum tunc erat de languentibus templum omni genere morborum, daemonicorum, leproforum, cæcorum, claudorum, aridorum. Appropinquante autem divinæ visitationis hora, erat videre miseriam, quomodo, (ut solent dolore correpti) per atrium ecclesiæ volutarentur, se invicem complexi: cum quisq; collum alterius, quasi gulam ei fracturus, brachijs constrinxisset, & terram manibus foderet, dentibus roderet: tamen qui fortiores erant in populo, densato agmine columnis se circumposuerunt, ne quis ad patientes accederet de vulgo. Eo die triginta duo sanitati donati sunt, Clero spectante & populo. Est vulgi pia & non contemnenda, imò fidelis, opinio, quod SS. Apostoli *Petrus & Paulus* in virtutibus co-operatores existant B. *Heimerado*: sive quod in eorum Vigilia maximè se prodant in his operibus divina virtus; sive quod eorum honori & patrocinij sit attribulata & consecrata ejus loci ecclesia. Cum taliter soleat Dominus suos beare amicos, facilis conjectu-



ra est, quantam illis gloriam contulerit jam in cælis  
 secum regnantibus: unde oportet ut tanto impensius,  
 studium circa illorum obsequia exhibeamus, quantò  
 constat iram Dei adversum nos excitari, si negligamus;  
 maximè ubi eos corporaliter requiescere voluit  
 it Dominus beneficij gratia civibus, interim moram  
 dum facit sponfus. Nec est ambigendum, quin tanto  
 viciniùs, tanto familiarius quisque illorum, & in præ-  
 senti beneficio, & in ultimo futuro perfruatur con-  
 sortio; tantò facilius & celerius si fides non titubave-  
 rit divinam impetret misericordiam urgente neces-  
 sitatis articulo, quantò illis plus reverentiæ, quantò  
 plus studuerit exhibere honoris, quantò majorem  
 operam in illorum expenderit famulatu. Finem scri-  
 bendi facere me compellit styli & linguæ tardioris  
 imperitia, non miraculorum penuria; quæ penè quo-  
 tidie profluunt, ex eadem virtutum divite vena, ad  
 laudem & gloriam Domini nostri JESU CHRISTI,  
 qui cum DEO Patre, & Spiritu sancto vivit & regnat  
 per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Epitaphium S. Heimeradi Confessoris.

*Anno milleno Christi, decimoque noveno,  
 Morte fuit victus Heimeradus benedictus,  
 Luce Calendarum quarta mensis Juliarum.  
 Qui prece mente pia, quarunt solatia dia,  
 Equi per merita capiunt relevamina scita.*

F I N I S.

## R. P. Adolphi Overhami

in vitam B. Meinwerci

## NOTÆ.

INCIPIT VITA. ] Auctore Anonymo: nam neque codices MSS. scriptoris nomen præferunt, neque *Brouverus*, *Vossius*, aut quisquam alius compertum illud habuit. Cœnobitæ Paderbornenses majorum traditione affirmant quidem à suorum Præsulum quoque res gestas conditoris sui *Meinwerci* literis consignatas: sed urbes inter Græciæ citius convenerit de Homeri patriâ, quàm inter eos de auctoris hujus nomine. Ætas seripseris peræque inexplorata est. *Browerus* *infra* *atatem* MEINWERCI *longius* *amandat* *indicio* *duplici*. Primo, quo cap. LXXVI. expendens decreta synodi Salingenstadiensis de jejunio quatuor temporum, obducit iis auctoritatem Gregorij VII, qui summum Pontificatum indeptus est an. MLXXIII, tenuitque ad annum usque MLXXXV, quo Salerni obiit VIII. Kalend. Junij. Altero, cùm cap. XLVIII *Rothoni*; & cap. LII *Immedi*, duorum *Meinwerci* successorum mentionem facit. Quibus argumentis *Vossius* lib. III. pag. 732. satis evincit Anonymum nostrum *Meinwerci* minimè æqualem, sed recentiorē esse. At verò, cùm *Rothoni* anno MLI. VIII. Idus Novembris defuncto in episcopatu successerit *Immadus* sorore *Meinwerci* natus; atque is quorundam sententiâ anno MLXXVII, III. Nonas Februarij decesserit; nihil  
adhuc



adhuc causæ video, quamobrem Browerus Vos  
 siusq; suis rationibus cuiquam persuasisse existiman-  
 di sint, auctorem hunc non modò exunte sæculo  
 undecimo acta Meinweri memoriæ non tradidisse  
 verùm etiam ad initium sæculi XI I. retrudendum esse  
 se, ceu opinatur Daniel Papebrochius Appendice ad  
 XIX. diem Aprilis num. 5. Ubi etiam putat se ostens-  
 surum aliquando, *seculis aliquot post ætatem Mein-*  
*weri demum scripsisse.* Ego ne inconspicuum ali-  
 quid super ætate Anonymi hujus pronuntiasse teme-  
 rè videar, rem nunc istam eruditorum potiùs judi-  
 cio reliquam, qui inspectis antiquissimis membran-  
 is suæ fortasse Anonymum ætati feliciter restituunt. Di-  
 ctionem auctoris si attendas, ea non semper è Tu-  
 lianâ penu depromta est; si rem, non indignus for-  
 tasse scriptor qui legatur, ab ijs præsertim qui patriæ  
 suæ notitiam magis quàm verborum venustates au-  
 cupantur. Argumentum ipsum nonne excusat? im-  
 peditum profectò illud, & facundiæ minimè capax  
 constat enim ferè è barbaris locorum hominumque  
 nominibus, quæ vix est eloqui ore Romano. & mi-  
 nor sanè eloquentiæ jactura est quàm veritatis.

MAGNI CAROLI.] *Quem arbitror* (inquid  
 Auctor, qui ante hos DCCC ferè annos scripsit, in  
 historia Translationis S. Liborij, cap. 2. n. 7.) *nostrum*  
*jure Apostolum nominari: quibus ut januam fides aper-*  
*raret, ferreâ quodammodo linguâ predicavit. Qui cum*  
*tories victoriâ potitus, quoties in procinctu positus mil-*  
*tas sibi gentes multa regna subjeceret; constat tamen*  
*eum gloriosissimè de diabolo triumphasse, cui tot anni*  
 maruo

marum millia prius sub ejus tyrannide captiva, in conversione nostra gentis eripuit & Christo Domino acquisivit: à quo illum recipere pramium confidimus, & optamus ut fruatur in cœlis Apostolorum consortio, quorum functus est in terris officio. Lege etiam in eadem historia Transl. Liboriana cap. 1. n. 2. Poëta Saxo à Reineccio editus, de eodem Carolo:

*Is gentem nostram fidei cognoscere lucem  
Fecerat, abjectis perfidia tenebris.  
Nunc terrens bello, nunc donis alliciendo.*

Et infrà:

*Quis numeres, quantas animas, dum credere fecit  
Saxonum populos, reddiderit Domino?  
Quot nunc Ecclesia fulgent, ubi sana colebant  
Antiqui, quot sunt structa Monasteria:  
Quot laudes in eis, vel quot tibi vota fideles  
Reddunt, tot Carolo premia, Christe, dabis.*

SACERDOTIBUS TRIBUTARIA.] Caroli M.  
Capitulatio de partibus Saxonie cap. XVI. Secundum  
Dei mandatum precipimus, ut omnes decimam partem  
substantia & laboris sui ecclesijs & Sacerdotibus do-  
nent, tam nobiles quam ingenui, similiter & liti: juxta  
quod Deus unicuique dederit Christiano, partem Deo  
reddant. Adde Capitulationis ejusdem cap. XV. quod  
apud Baluzium est XVII. Lucem quoque huic loco  
dabunt diplomata Caroli Magni, quorum primum  
extat apud Adamum Bremensem lib. 1. de institutio-  
ne Episcopatus Bremensis; alterum, quod est de Epi-  
scopatus Verdensis fundatione, novissimæ Adami  
Bremensis editioni adjecit J. Maderus; tertium præ-  
ceptum



ceptum Trutinanno Comiti datum, quod Meibomius notis ad Widikindi historiam intexuit, descripsitque Baluzius tom. I. Capitular. col. 249. In quo in hunc modum scribit Carolus: *Saxones . . . indomabiles, ipsiq; Deo & nobis tandem rebelles, quoniam illius & nostra virtute ipsos & bellis vicimus, & baptismi gratiam Deo annuente perduximus; pristinaeq; libertati donatos, & omni nobis debito censu solutos, pro amore illius, qui nobis victoriam contulit, ipsi tributarios & subjugales devotè addiximus.* Historiæ Transl. S. Liborij cap. 2. num. 4. *Christianissimi Principis (Karoli) ex hoc quoq; in Deum devotio comprobatur, quòd ea, quæ ex tanta locorum amantate jure belli acquisita, sub sua potuit tenere ditioe, divino magis servitio, quam suis deputaverit usibus.* Qui locus etiam sequentia illustrat.

CONSTITUUNTUR EPISCOPALIIUM SEDIUM TRUTULI.] Ditmarus Mersburgensis Chron. lib. VII.

*Anno Dominice incarnationis DCCC, prædictus Cesar Carolus ad suæ virtutis & bonæ operationis deaurationem, in una die octo Episcopatus in Saxonia Christo subdita dispositis singularibus parochijs constituit.* Adamus Bremensis lib. I. cap. IX. hanc Saxoniam in episcopatus divisionem refert ad annum Caroli XII. Cum videlicet anno DCCLXXXV, vel, ut *Annales Tiliæni* anno sequenti, tota hyeme cum *Frisdrada* regina, filijs & filiabus *Eresburgi* moraretur, & Paderbornæ conventum principum institueret, & Widikindus facta deditioe pacem cum Deo & Carolo

rolo iniret. Auctor Translationis S. Liborij cap. I. num. 2. indefinite, nulla annorum notâ apposita scribit, Carolum *ut se magis Christiana religionis, quam regni sui dilatandi causâ, tanta rei difficultatem aggressum ostenderet, ecclesias per omnem regionem illam, (Saxonix) ad quas rudus in fide populus confluere doceretur, & Sacramentis caelestibus initiari consueceret, sub quanta potuit celeritate construi fecisse; atque parochias diligenti ratione suas quasq; terminis servandas designasse.* Quod factum utiq; ante añum DCCC. Nam anno DCCLXXXVII. beatus Willebadus ordinatus est Episcopus III. Idus Julij super Wigmodia, & super Riuistri & Aterga & Laras, ut habet Moifacense chronicon, & S. Ansgarius in vita sancti Willebadi cap. VIII. apud J. Mabillon, quod est IX. apud Casarem.

Et Paderbornensis quidem ecclesix primordia altius repetit Monachus Divionensis in cœnobij sui chronico apud Lucam Dacherium tom. I. Spicilegij, ad annum DCCLXXXVII, his omnino verbis: *Gloriosus Rex Carolus venit Saxoniam, loco qui vocatur Patrisbrunna; & ibi habuit placitum magnum: & ibi convenerunt Saxones ad baptismum catholicum; & discaveruntq; ibi ecclesiam Franci, multaq; millia populorum ibi baptizata sunt, ea conditione à Rege propositâ & ab illis susceptâ, ut abjecto demonum cultu, & relictis patris ceremonijs, Christiane fidei sacramenta susciperent, & Francis adunati unus cum eis populus efficerentur.* Quæ ex Eginhardi commentario de vita Caroli M. sumpta sunt. Ecclesix Paderbornensis  
origines



origines brevius complectitur chronicon Monasterij S. Galli in Miscellaneis editum à Stephano Baluzio: Anno DCCLXXVII fuit dominus rex Karolus in Saxonia ad Patrisbrunna, & ibi edificavit ecclesiam in honore Salvatoris. Etsi verò ten plura istud postea ob incolarum loci, & odium in religionem Christianam aliquoties igni traderetur, teste auctore Translationis S. Liborij cap. 2. num. 5. Annotamen DCCXCIX rex Carolus intravit in Saxoniam, (verba sunt Moissacensis Chronici) & residit ad Patrisbrunna: & ibi venit ad eum LEO Apostolicus, . . . & ad Patrisbrunna edificavit ecclesiam mira magnitudinis, & fecit eam dedicari, non à Leone quidem Pontifice, qui solum in ecclesia (cryptam noster appellat) tunc noviter constructa quoddam altare consecrans, adorandum in eo reliquias protomartyris Stephani, quas secum Roma detulerat collocavit: fiducia iter id Principi promittens, quod oratorium illud tanti Martyris patrocinio munitum, ulterius non passurum forei injuriam, quam, ipso (Carolo) referente, prius ei contigisse cognovit. ceu legitur in historia Translationis S. Liborij, loco proximè citato. Celebrem hunc Leonis PP. III, cum Carolo rege congressum libri omnes chronici referunt ad annum DCCXCIX, quo Hathumarus quartum in pontificatu Paderbornensium agebat annum. si Anonymo nostro habenda fides: habebat suum Brema Willehadum jam tum ab anno DCCXXCVII; Os nabrugæ Wihonem; Mimigardovorda cum potestate episcopi Ludgerum, germanum ejus Haldegismum Halberstadium; suosque alios per

per Saxoniam ecclesiarum Antistites: ut proinde divisio illa in provinciam redactæ Saxonie in octo dioceses, quam Ditmarus anno DCCC à Carolo factam scripsit, de exacta finium cujusque episcopatus descriptione intelligi potius debeat, quam de prima Episcoporum ac diocesium singularum designatione.

Quid ad hæc cortina Gryphiandri? *Magis verisimile est*, inquit cap. 29. à Carolo *Ne unum quidem Episcopatum in Saxonia conditum esse, ac ne conditum potuisse.* Exclamet *Melicerta perisse*

*Frontem de rebus!*

Sed hujus, aliorumque ejusdem farinae hominum sive inscitiam, sive malitiam affatim detexerunt alij.

BEATI PETRI APOSTOLI VICARIUS LEO.]  
Mos verus loquendi, & scriptoribus antiquis usitatus. Anastasius Bibliothecarius in vita Leonis III. ad an. DCCXCIX. quem Carolus Rex sicut vicarium beati Petri Apostoli venerabiliter & honorifice cum hymnis & canticis spiritalibus suscepit. Quod poeta Saxo à Reineccio editus, qui ante annos octingentos Arnulfi Caesaris ætate scripsit, lib. 3. ad an. 799. sic expressit:

Namq<sup>3</sup> propinquantem cum primum noverat, illi  
Obvius ipse loco de castrorum memoratio  
Stipatus multis populorum millibus ibat:  
Pontificemq<sup>3</sup> vicem Petri, (cui claudere calos  
Et referare licet verbo,) sedemq<sup>3</sup> tenentem  
Suscepit cum magnifico reverenter honore.  
Alcuinus epistola IV. ad Carolum M. apud Canisium: *Trei persona in mundo altissima hucusq<sup>3</sup> fuere: id est.*

T

id est.



*id est, Apostolica sublimitas, qua beati Petri principi  
Apostolorum sedem vicario munere regere solet. Alia  
est Imperialis dignitas . . . tertia Regalis. Idem epi-  
stolâ XXVII. ad Leonem III. PP. Ecce tu sanctissimus  
Pater, Pontifex à Deo electus, Vicarius Apostolorum,  
heres Patrum, Princeps Ecclesiæ. Et epistola XXVIII.  
ad Adrianum I. PP. Hujus te excellentissime Pater, ut  
Vicarium sanctissimæ sedis agnosco. Luithprandus Ti-  
cinensis histor. lib. 6. cap. 6. Annales Francorum  
Bertiniani ad an. DCCLXXIII. Abbas Urspergen-  
sis ad an. DCCXCI. Vita Ludovici Pij incerti  
auctoris apud Pitheæum ad an. DCCCXVI re-  
fert, qua reverentia Imperator Stephanum PP. Leo-  
nis II. successorem Remis exceperit tanquam bea-  
ti Petri vicarium. Ludovicus Pius apud Gratianum  
dist. 63. cap. 30. & Ivonem p. 5. c. 51. Ego Ludovicus  
tibi beato Petro principi Apostolorum, & per te Vica-  
rio tuo domno Paschali summo Pontifici & universali  
Pape. Cujus decreti defensionem instituit Gretse-  
rus adversus Goldastum in capite VIII. Apologie  
pro Baronio. Rupertus Abbas Tuitiensis in episto-  
la, qua libros suos de honore Filij hominis Romano  
Pontifici nuncupat: *Ante faciem tuam ô princeps  
beatissime Petre, . . . simulq; ante faciem Vicarij tui  
Pape. Ipsi denique Pontifices hoc loquendi modo  
uti sunt. Ioannes XV. diploma, quo sanctum Udalri-  
cum Augustanum Episcopum sanctorum numero  
adseripsit, his verbis finit: Sciatis se auctoritate beati  
Petri principis Apostolorum, cujus immeriti vices agi-  
mus, anathematis vinculo innodatum, Ioannes PP.**

XIX, tomo IV. Gallia Christiana in tabulis Angelico cœnobio datis, semel iterumque *vicarium* se beati Petri appellat. Non sum interea nescius, *improprias* hujusmodi locutiones esse, & ob reverentiam B. Petri aliquando *usurpatis*, ceu docet Bellarminus lib. 2. de Rom. Pont. cap. 17. summumque Ecclesie in terris caput, Romanum Pontificem magis proprie VICARIUM CHRISTI appellari: tangebant licet, ringanturque quotquot cœco veritatis odio cum Ecclesia Romana divortium fecerunt.

PATHERBRUNNA.] Hoc modo nomen urbis hujus constanter scribit hic Anonymus. Ceterum si quem varias hujus vocis dialectos nosse juvet, si lubet, eruditissimas Celsissimi Principis Ferdinandi *Notas*, quibus *Paderæ* & *Fontes* immortalis calamo illustravit: ubi etiam præter nominis etymon reperiet graphicam amœnissimæ sedis descriptionem; conventus publicos à Cæsaribus heic loci habitos; celeberrimum Leonis PP. III, & Caroli Magni congressum; divæ Cunigunde Augustæ coronationem; crebro accessu, transitu, & stativis Paderbornam ab Imperatoribus cultam ac frequentatam; alia denique urbis hujus decora ex omni antiquitate, libris chronicis, Principumque diplomatis, summa accuratiōne in lucem eruta digestaque.

B. HATHUMARO AN. DCCC EX HAC LUCE SUBTRACTO.] Manifestus error. in quem impugere præter auctorem chronici Saxonie, (quem Parisijs ad S. Germanum MS. adservat Johannes Mabillon,) Gobelinus, Crantzius, Bruschius, ceterique



qui hosce compilarunt. Enimvero etiamtum agebat in vivis *Hathumarus*; cum *Adelhardus* junior, seniori exuli in regimine Corbeiz Gallicæ subrogatus Abbas, adsentiente Ludovico Pio Imp. comitia Paderbornæ tunc habente, novum trans *Vilurtia* Cœnobium constructurus, anno DCCCXXV mense Julio, accessit Episcopum nomine *Hathumarum*, ad cujus diœcesin pertinebat locus, ubi constructum erat Monasterium; ut cum ejus fieret imperio & voluntate, ut scribit auctor Translationis S. Vithi apud Johannem Mabillon sæculi IV. parte I. ad an. DCCCXXXVI. Consentit historia Translationis S. Liborij cap. 3. n. 8. Ubi legitur defuncto *Carolo Hathumarus* quoq; Episcopus non longo post tempore ab hac mortalitate ad perennem vitam assumptus: anno videlicet DCCCXXV. quinto Idus Augusti, quem diem beato *Hathumaro* emortualem assignat necrologium Abdinghoffense: post paullò quàm Ludovicus Imperator soluto Paderbornensi procerum conventu, ad alterum a. d. III Kalend. Augusti Aquigrani indictum profectus fuisset, ut habet chronicon Moifacense ad annum DCCCXXV. Nisi quis certioribus argumentis in sequentem annum *Hathumaro* vitam prorogaverit. Fuit autem primus hic Paderbornensis Episcopus gente Saxo, *Carolo Magno Imperatori* (legendum Regi) puer obses datum *Wirtzburgi* tonsuratus, ac literarum studijs traditus, ut scribit auctor Transl. S. Liborij cap. 2. n. 7. Non tamen id factum ætate S. Burchardi Episcopi, cum is jam tum anno DCCLI. mortuus fuerit, ut bene animad-

animadvertit Johannes Mabillon in notis ad vitam  
ejusdem sancti. n. XI, & anno demum DCCLXXII  
primos à Saxonibus obsides acceperit.

BADURADUS NOBILI SAXONUM PRO-  
SAPIA ORTUS.] Encomium istud delibavit Ano-  
nymus noster ex historia Translationis S. Liborij  
cap. 3. n. 8. Successit Hathumaro *Baduradus* anno  
DCCCXV, rexitque Ecclesiam Paderbornensem  
annis triginta sex summâ integritate prudentiâque.  
Anno DCCCXXII. IV. Nonas Aprilis, Indictio-  
ne XV, impetravit Aquisgrani à Ludovico Pio di-  
ploma, anno imperij ejus nono; quod extat inte-  
gram cum imagine Cæsaris in priori editione mo-  
numentorum Paderbornensium; inde acceptum  
Hermannus Conringius inseruit suæ Censuræ di-  
plomatis Ludoviciani cap. III, cum hoc elogio: *De-  
bet illud orbis inusitata industria FERDINANDI  
Episcopi & Principis Paderbornensis, Monasterien-  
sis, hodie Coadjutoris: literatissimi profecto sine exem-  
plo Principis, & summi tempestatis hujus, universæ  
præcipuè autem Germaniæ nostræ ornamentum.* Scribe-  
bat ista Conringius anno MDCLXXII. Eodem  
anno DCCCXXII. VIII. Kalendas Septembris Indi-  
ctione XV, feriâ secunda, Monachi, qui in loco, qui  
Hetha dicitur, per septem annos prius demorabantur,  
inde egressi cum Crucibus & Reliquiis in hunc locum  
pervenerunt: locoq; ab Episcopo BADURADO,  
qui tunc præsens aderat, CORBEIÆ nomen imposi-  
tum est: erectoq; tentorio, illatisq; Crucibus & Reli-  
quijs locum dedscaverunt in honore & nomine sancti



*Stephani protomartyris, infodientes crucem Christi  
 ubi nunc altare esse dignoscitur. ut habet vetus  
 annotatio, quam Meibomius Widikindi Cor-  
 beiensis historia à se editæ adjecit. Eundem annum  
 diemque migrationi huic assignat historia Transla-  
 tionis S. Viti in Saxoniam num. XI apud Johannem  
 Mabillon sæculi quarti parte prima, ad annum  
 DCCCXXXVI. Anno DCCCXXXIV mittit-  
 tur Baduradus Episcopus Saxonicus cum Gebehar-  
 do nobilissimo Duce & Berengario Cæsaris pro-  
 pinquo legatus à Ludovico Pio ad Lotharium, cui  
 præcepit sub edicto omnipotentis Dei & Sanctorum  
 eius, ut alienaret se à societate impiorum seductorum:  
 permovitque animosa hac oratione pertinacem Lo-  
 tharij animum, ut patri supplex & culpam deprecans  
 cum eodem rediret in gratiam. Theganus in vita Lu-  
 dovici Pij. Anno DCCCXXXV Baduradus in  
 Synodo ad Theodonisvillam coactâ cum Aisulfo &  
 Modoino deligitur. iudex ab Ebone Archiepisco  
 Remensi exauctorando. Flodoardus lib. 2. hist. Rem.  
 cap. 20. Anno DCCCXXXVI Baduradus impe-  
 trat Cenomanis corpus S. Liborij Ep. illudque per  
 legatos suos Paderbornam transferri curat, Histor.  
 Transl. Anno DCCCXXXIX. XVIII. Kal. Julij  
 indict. 1. Baduradus inter alios utriusque ordinis  
 principes adscriptus est testis in tabulis consecis  
 Neomagi quæ leguntur Antiquitatum Fuldensium  
 lib. 1. pag. 474. in editione Pistorij. Año DCCCXL  
 nominatur Baduradus cum alijs XX Episcopis in li-  
 teris Lotharij Imp. quibus Ebo Remensis pristinae  
 digni-*

dignitati VIII Kal. Julij Ingelhemij restituitur. *Flo-*  
*doardus lib. 2. c. 20.* Anno DCCCXLIV. *Baduradus*  
 obtinet à *Ludovico* Rege Germaniæ Pij filio, insi-  
 gne privilegium immunitatis, quod extat in prima  
*Monumentorum Paderbornensium* editione, & apud  
*Conringium in Censura diplom. Ludovic.* Sed resti-  
 tuendus est in diplomate annus regni *Ludovici* vige-  
 simus septimus, & Indictio septima; ducendumque  
 regni initium ab anno DCCCXVII, quo *Ludovi-*  
*cus Pius* anno imperij sui quarto *Aquisgrani* tres in-  
 ter filios divisit imperium. Chartam hujus divisionis  
 recitat *Baluazius tom. 1. Capitular. col. 573. & seqq.* in  
 quâ cap. II. hunc in modum decernit Imperator:  
*Item, Hludowicus volumus ut habeat Bajoariam &*  
*Carentanos & Bohemos & Avaros atq; Sclavos qui ab*  
*orientali parte Bajoaria sunt, & insuper duas villas*  
*dominicales ad suum servitium in pago Nortgaoe Lut-*  
*traof & Ingoldestat.* Meminit quoque hujus divisio-  
 nis chronicon *Moissiacense*, Auctor vitæ *Ludovici*  
*Pij* apud *Pithœum*, *Abbas Ursbergensis* ad an.  
 DCCCXVII. Anno DCCCXLVII, (typhotheta  
 per errorem posuit an. DCCCLVII. apud *Labbeum*  
 tom. VIII. concil.) circa Kalendas Octobris *Badu-*  
*radus* Episcopus cum alijs XII. Episcopis nomina-  
 tim expressis interfuit Synodo à *Rhabano Archie-*  
*pisco Moguntia* in æde *D. Albani* habitæ. Posthæc  
*anno DCCCLI. Baduradus Paderbrunnensis Episco-*  
*pus abiit, cui Liuthardus successit, ut scribit chroni-*  
*con Saxonicum MS. citatum à Johanne Mabillon in*  
*notis ad Translat. S. Viti, sæculi IV. parte prima, n. 9.*



Dies obitus *Baduradi* notatur in necrologijs *Abdinghoffensi* & *Herisiensi* a. d. XV. Kal. Octobris *Viginti septem annis post sepulturam ejus exactis, vestes, quæ cum eo sepulcrum subierant, ita integra & sana apparuerunt. ut nec una simbria ex eis lege patereint putredinis. Quares liquido exprimit, quod ipse vivens*

*Integer vitæ, scelerisque purus extiterit.*

*Sigevvardus in vita S. Mainulfii cap. 5. Ex literis Ludovici Pij, quæ in tabulario Corbeienfi adservantur liquet, Baduradum Cæsarei Missi munus gessisse. Diploma est hujusmodi: In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri JESU Christi. Hludouicus divina ordinante providentia Imperator Augustus Badurado Episcopo & Misso nostro. Nosse te non dubitamus qualiter nostra jussione Adalhardus quondam Abba quoddam monasterium in Saxonia à novo opere construxit. quod nos & aliqui boni homines de quibusdam rebus solemni donatione dotavimus. ac quibus omnibus rebus nostra auctoritatis præceptum circa idem monasterium fieri jussimus. ut perpetua salvatione in jure ejusdem monasterij eadem res consisterent. Sed ut relatione Warini venerabilis ejusdem monasterij Abbatis cognovimus. quidam Comites memoratum præceptum nostrum infringere & convellere volunt. in eo videlicet. quod homines tam liberos quàm & latos qui super terram ejusdem monasterij consistunt in hostem ire compellant. & distringere iudicario more velint. quod nolumus ut faciant. Et ideo per has litteras nostras tibi præcipimus. ut tu illud præceptum. quod sicut diximus eidem monasterio fecimus adsumas, & in presentia eorundem*

*Comi-*

*Comitum in quorum ministerijs res predicti monasterij esse noscuntur relegi facias. & ex nostra auctoritate eis precipias. ut ulterius nostra auctoritatis preceptum violare non presumant: sed potius sicut in eodem precepto continetur illud conservare studeant si gratiam nostram habere velint. Præceptum illud cuius frequens hic mentio, habetur integrum in editione altera Monumentorum Paderbornensium, pag. 130.*

LUTHARDUS.] Anno DCCCLXV. Sanctus Rimberrus jussu Ludovici Regis Germaniæ consecratur Moguntiaë Hamburgensis Archiepiscopus à Luidberto Archiepiscopo, assistentibus Luidbardo Paderbornensi Episcopo, & Thiadrico Mindensi. Vita S. Rimberti cap. xi. Anno DCCCLXVIII Indictione i. in synodo Wormatiensi Luitardus Ep. Paderbornensis confirmationem obtinet Parthenonis Herisifensis à Waldburga sorore sua prima loci Antistiti conditi, anno Ludovici Regis xxviii; qui suo diplomate eandem foundationem approbat anno regni sui xxxii, Triburia. Anno DCCCLXXII. Indictione V. in Kalendis Novembris dedicatum est principale Monasterium sanctæ Mariæ in Hildensheim ab Alfrido ejusdem Ecclesiæ Episcopo, & Reimberto Bremenfi, Luitbardo Patherbrunnensi, ac Theodorico (Mindensi) Episcopis, cum interventione Corbeiensis Abbatis Adalgary, sub titulo Cosmæ & Damiani, Tiburtij, & Valeriani Martyrum, & Cæciliæ virginis. Chronicon Saxonie MS. apud Johannem Mabillon sæculi iv. Benedictini parte II. in S. Alfrido Episcopo Hildinesheimensi ad an. DCCCLXXV. num. 8.



Anno DCCCLXXVII. Liuthardus Episcopus Paderbornensis obiit, cui Biso successit. Idem Chronicus MS. Saxoniz. Rexit igitur ecclesiam Paderbornensem Liuthardus annis viginti sex, ut rectè hic noster anonymus, obiit q̄ VI. Nonas Maji, ut necrologium Herisifense. Anno DCCCLXXIII. Luitbardus Episcopus Paderbornensis concilio Colonienfi a. d. V. Kalendas Octobr. celebrato subscripsit octavo loco. Tom. II. concilior. Labbei.

BISO PRÆFUIT XXIII ANNIS. ] *Præfatus Gregorius* appellatione insignitur ab anonymo scriptore qui vitam & translationem S. Liborij ejus jussione conscripsit. Anno DCCCLXXXVII. XI. Kal. Octobris, Indictione quinta, in curte regali *Lustinanna*, Biso venerabilis Paderbornensis ecclesie Episcopus, geminum diploma obtinet à Carolo Crasso Imperatore; unum, quo renovantur privilegia ab anterioribus principibus ecclesie Paderbornensi concessa, habetur pag. 207, in priori Monumentorum Paderbornensium editione; altero Herisifensis parthenonis fundatio denuo sancitur, continetque præter Imperatoris Caroli, etiam signum domni Arnulfi. Exhibent illud curioso lectori Monumenta Paderbornensia secunda edit pag. 263. Anno Christi DCCCXC, Arnulfi Regis tertio, indictione octava, in Forachheim palatio regio, Sunderoldus Moguntiacensis sedis Archiepiscopus, unà cum venerabili Colonienfi Archiepiscopo Herimanno, nec non et alijs Coepiscopis & Confessoribus, qui ad presentem Synodum convenere, petitionem, . . . Bisionis Paderbornensis Episcopi, quæ statum

*Herisensis Cœnobij . . . confirmari & corroborari postulabat, censet gratanter accipiendam.* Decreto synodali subscribere præter duos Archiepiscopos *Sunderoldum* & *Herimannum*, quatuordecim alij Episcopi, quos inter nono loco ipse *Biso*: qui anno DCCCXCV. *Triburiensi* quoque concilio interfuit, vitamque deinceps extendit ad annum usq; DCCCC, quo obiit teste vetusto chronico MS. Saxonie. Diem obitus consignat necrologium Abdinghoffense die quarta Januarij, Herisense verò die nona mensis Septembris.

THIEDERICUS ANNIS NOVEM.] Quinti hujus Paderbornensis Episcopi præter nomen & incertos regiminis annos, nulla prorsus ex omni retro antiquitate memoria est super. Incertos dixi: quia, ut mox liquebit, aut *Thiederico* plures anni aut certe *Unuvano* attribuendi sunt.

UNUVANUS FUIT NOVENDECIM ANNIS EPISCOPUS.] Totidem illi tribuit *Gobelinus* *Ætate VI. cap. L. I.* Ordinationis diem consignat necrologium Herisense a. d. viii. Kalend. Februarij. Anno CMXVI. *Unuvanus* septimo loco collocatur inter Episcopos, qui secundo *Altheimensi* in *Rhetia* concilio interfuisse memorantur à *Burchardo* lib. 7. Anno CMXXII. pridie Non. Novembris, *Hunuvanus* cum alijs aliquot *Saxonie* Episcopis, sponsor adfuit pacificationi *Bonnenfi*, inter *Henricum Aucupem*, & *Carolum Galliarum Reges* initæ. Tabulas recitat *Mirans in Notit. Ecclesiar. Belg. cap. 11.* Anno CMXXII, *Unuvanus* Paderbornensis Episco-



Episcopus postremo loco subscripsit concilio  
 Confluentes Rheni & Mosellæ habito, *Burchardus*  
*lib. 7. c. 30. Labbeus tom. IX. Concil. edit. ult. Anno*  
 CMXXXII. Indi&ct. V. *Unuuanus* synodum Erpsfor-  
 diensem in Thuringia sua præsentia cohonestavit.  
 Labbeus tom. 9. concil. gen. Anno CMXXXV. *V. A-*  
*udus Maji Indictione VIII*, Henricus Auceps anno  
 regni sui XVI, per interventum dilectæ conjugis suæ  
*Machildis*, & *Unuvani Paderburnensis Ecclesiæ*  
*Episcopi*, concedit sororibus in loco qui dicitur *Her-*  
*Deo famulantibus*, liberam electionem Abbatissæ  
 omnesque ecclesiæ illius colonos ac subditos eximè  
 à judicum publicorum potestate: uti docent literæ  
 Herifenses, quæ toram penè Anonymi nostri chro-  
 notaxin evertunt: si enim anno sæculi decimi trige-  
 simo quinto adhuc in humanis egit *Unuuanus*, ne-  
 mini dubium esse potest, quin plures illi assignandi  
 sint in episcopatu anni quàm novendecim. Similiter  
 hoc impulsa ariete corruiet series reliqua partitionis  
 annorum, quos tribus *Unuvani* successoribus attri-  
 buit Anonymus. Quæ si comperta habuisset olim  
*Broverus*, non scripsisset in Scholijs suis pag. 196.  
*Præclarum hoc membro chronologia & successuum*  
*Episcopalis jactum fundamentum, & seriem ipsius*  
*evolutu perfacilem in tam certis temporum spatij: sed*  
*in hac chronologia palastra omnes quos novisset col-*  
*culos attentè posuisset. Certior est emortualis Unu-*  
*vani dies, quem notat necrologium Herifense a. d.*  
 XIII. Kalendas Augusti.

DUDO ANNIS XXV.] Gobelinus scribit *Arate*

6. c. 51. xxxv. annis ecclesie Paderbornensi præfuisse. Anno CMLXI. quarto Idus Januarij, Otto I. in castello regio Dalabem, precibus præclari Paderbrunnensis Antistitis, nomine Dudonis inductus, iussit pro Sanctimonialibus ecclesie Herisensis præceptum conscribi, quo sancit potestate regia, easdem Sanctimonialibus licentiam habere cum consultu Episcopi sui eligendi Abbatissam, qualem voluerint: eximitque homines ipsius ecclesie ab omni iudiciaria potestate, præterquam Advocati, quem sibi ejusdem loci elegerint Sanctimonialibus. Anno CMLXVIII Dudo Paderburnensis Episcopus interfuit Synodo Ingelheimensi, in æde D. Remigij vii. Idus Junij coacta causâ maximarum dissensionum, que agitabantur inter Regem Ludovicum & Hugonem principem, Flodoardus in chronico apud Pithæum, pag. 234. Obijt Dudo vii. Kal. Augusti, ut habet necrologium Herisense; annum mortis incuriosa vetustas in incerto reliquit, nonne movult produxisse vitam usque ad an. 960.

FOLCMARUS VIGINTI SEPTEM ANNIS PRÆFUIT.] Is anno CMLXXIV. XV. Kal. Februarij, impetravit ecclesie suæ privilegiorum juriumque confirmationem ab Ottone II. Imp. teste Anonymo nostro Num. vii. pag. 10. Corbeienses alumni olim sui memoriam conservarunt in vetusta membrana, in qua hæc leguntur ad annum CMLXXXIII: *Folcmarus Monachus obiit episcopus Paderbrunnensis*. Ad eundem 983. annum chronicon MS. Saxonie: *Folcmarus Paderbrunnensis episcopus obiit*.

ANNIS



ANNIS XXVIII RETHARIUS.] Si *Folcmarus* episcopale munus & dignitatem non nisi cum vita posuit anno 983, non video qua ratione successor illius Rhetario viginti octo anni attribui possint quem constat anno millesimo nono, die sexta Martij vitam functum. Si esset hic conjecturæ locus, diceret fortasse aliquis *Folcmarum* senio aut laboribus fractum, aut desiderio solitariæ vitæ, postremam vitam annum abdicato episcopatu Corbejæ, quam *Lindulfus* vir religione & fama sanctitatis clarissimus Abbas ea tempestate regebat, in rerum divinarum meditatione transegisse. Memoratur *Retharius* à Tangmaro in vita S. Bernwardi cap. xi. Gandesheimij celebri interfuisse velationi *Sophiæ* Ottonis II. Imp. filia, quam *Osdago* Episcopo Hildenesheimensi, (ad cujus sacrum jus & inspectionem pertinebat Gandesheimium,) primùm invito, deinde connivente peregit *Willegisus* Moguntinus, præsentate *Theophano* Augusta matre, & *Ottone* III. Rege fratre *Sophiæ*, alijsque sacri ordinis viris. Ibidem cap. xv. refertur *Retharius* cum *Willegiso* Archiepiscopo Mogunt. invitatus ad dedicationem Gandesheimensis ecclesiæ peragendam, quam tamen *S. Bernwardus* Episc. Hildesheimensis per *Ekkhardum* Slesvicensem Episcopum Legatum suum impedierit. ut & indictam frustra Synodum ad quam anno millesimo, biduo ante ferias S. Andrea, à *Willegiso* evocatus accesserat *Rhetarius*, ut est apud eundem Tangmarum cap. xix.

IMED.] Browerus in Scholijs ad hunc locum pag.

pag. 98. paternum MeinwerCI genus refert ad *Immedium* Theodorici & S. Mathildis reginæ fratrem. *Widekindum* etiam Corbeiensem pro se adducit, qui libro Annalium tertio scribit, Ottonem I. bello civili, quod contra filium *Liudolfum* Sueviæ ducem (non verò Archiepiscopum Moguntinum, qui tunc erat *Fridericus*) sumplerat, post tres menses in *Bajoaria* exactos circa *Calendas Januarij* infecto negotio rediisse in *Saxoniam*, amissis duobus principalibus viris ac potestate claris, *IMMEDE & MAINVERCO*, quorum uterq; ictu sagittarum perierat, alter *Moguntia* alter in itinere *Bajoariam* pergentibus anno 953. Sed uter horum avus *Meinverci* nostri fuerit, quis divinabit? *Immedi* Comitis memoriam conservavit necrologium *Abdinghoffense*, IV. Kalend. Februar. Obijt *IMMETH* Comes pater *Meinverci* Episcopi.

*ATHELAM.*] Hujus emortualis dies notatur in citato necrologio a. d. VIII. Id. Augusti, obiit *ADALA* mater *Meinverci* Episcopi. Hujus *Adala* patrem *Wigmannum*, conditorem nobilissimi parthenonis *Eltenensis* haud procul *Embricâ* & *Herenbergâ*, eruit *Gelenius* è diplomate *Otonis III.* dato *Neomagi* anno 997, quod ille produxit primus in *Auctario* ad vitam *S. Engelberti* Archiep. Colon. & Martyris, pag. 360. ex quo etiam discimus alteram *Wigmanni* filiam *Ludgardam* primam fuisse *Eltenensem* antistitam, *Meinverci* nostri ejusque sororis *Azela* Sanctimonialis *Eltenensis* materteram, comitemq; *Baldericum*, *Immede* patre *Meinverci* dudum



didum mortuo, *Adela maritum* appellatum. De *Balderico Meinwercei* vitrico occasio erit alibi plura dicendi.

THIEDERICUS PATERNÆ DIGNITATIS ET FACULTATIS HÆRES. ] Hujus anniversariam, memoriam consignat necrologium Abdinghoffense ad diem VII. Idus Aprilis, (quo videlicet die *Balderici* vitrici consilio & matris *Athela* iulii interemptum scribit Anonymus noster infra num. XXXIV. pag. 79.) his verbis: *Theodoricus Comes frater domni Meinwercei Episcopi obiit.*

GLISMOD NOBILIS PRINCIPIS IN BAIUARIA MATRIMONIO COPULATUR ] Hanc cum *Gisela* sancti *Henrici* Imperatoris matre paternam confudit Gelenius in genealogia *Meinwercei* Auctario ad vitam S. Engelberti, & Pontanus Hist. *Gerlicæ* lib. 5. Nam *Gisela*, *Conradi Burgundiae* Regis filia, venerabilis matrona, mater *Regis* obiit XII Kalendas Augustæ & *Ratisbonæ* sepelitur ut habet chronicon MS. Saxonicum V. C. *Johannis Mabillon* amici mei ad annum MVII; *Nonis* vero *Februarii* obiit *Glismodis* soror *Meinwercei Episcopi* teste obituario *Abdinghoffensi*. Quis verò fuerit nobilis ille *Baiuariae* princeps, cujus matrimonio copulata hic dicitur *Glismodis*, nullus, quod sciam scriptor hactenus prodidit.

NUM. V. HENRICO DUCE BAIUARIAE QUI PRIORI ANNO MORTUO PATRE SUO OTTONE DUCATUM OBTINUERAT REGNUM INVADENTE.] Maximè miror, *Henrici*

cum hunc Bavarix Ducem, *Otonis* ducis anno 982  
 demortui filium regniq[ue] inuaforem, nulli veterum  
 scriptorum, præterquam huic anonymo nostro no-  
 tum aut nominatum. *Ditmarus Mersburgensis Epi-  
 scopus libro tertio chronici sui* meminit quidem *Otto-  
 nis Ducis Lindulfi filij*, cuius virtute *Otto Hanno 982  
 Tarontum urbem, quam Danai presidio munitam ob-  
 tinebant, viriliter paruo tempore oppugnatam devi-  
 cerit, & qui post prælium satis infeliciter cum Sarracenis* III. Idus Junij commissum cum eodem *Otone  
 Imperatore* fugam inierit: verum filij eius *Henrici*,  
 patris in ducatu Bavarix successoris, regniq[ue] post  
 excessum *Otonis* secundi an. 984 inuaforis, ne mi-  
 nima apud Mersburgensem exstat mentio. *Otonis  
 Lindulfi filij* anno 973 post mortem *Burghardi Sue-  
 viz* primùm, atque anno 976. vel 978 in locum exau-  
 ctorati ob rebellionem *Henrici*, suffeæti *Bavarix*  
 ducis morrem referunt chronologi veteres ad an-  
 num 982. Ex quibus auctor *Chronici Hildeneshei-  
 mensis* apud *Duchefnium tom. 3.* ad 982 annum: *Otto  
 dux Bajoariorum obiit. & ad eundem annum Ursper-  
 gensis*, aut quis alius *Monachus Schwarzacensis*:  
*Otto dux Suevorum obiit, Conradus successit.* *Chro-  
 nicon MS. Saxonix*: *Otto dux egregius, filius Lindulfi,  
 fratruelis Otonis imperatoris immaturâ morte obiit  
 reversus à prælio Sarracenorum.* Quod hic immatu-  
 râ sublatus morte *Otto* dicitur, omnino verum est:  
 vix enim annum ætatis vigesimum octavum exple-  
 verat cum excederet è vivis, utpote qui natus erat an-  
 no 954 teste *MS. chronico Saxon.* Sepultus porro est



*Aschaffenburgi*, prout in *Seligenstadensi codice* ad istos *HRosvitha* pœtria versus

*Ipsi legali per pulchram federe jungi*

*Idam jussit Herimanni natam ducis almi*

his verbis annotatum reperi : Iste *Liudolfus* genitrix ex *Ida OTTONE M* *Bajoariorum* & *Suevorum Ducem*, *Ecclesie Aschaffenburgensis* fundatore, qui cum *Oddone Imperatore* ac nepote suo *Italiã* intravit, ibidẽ morte præventus an. Dom. *DCCCCLXXXII* ad *Ecclesiam Aschaffenburgensem* delatus, in vicinia omnium *Sanctorum* ibidem *Idã* matre, *Mechtilde* sorore, *Villegiso Archiepiscopo Moguntino* presentibus sepultura commendatur. Porro hæc *Machtildis Abbatiſſa*, filia *Liudolfi*, filij *Otonis Mag. Imp.* nata 949, teste *Contin. Regin.* obiit anno 1011, ut *Chron. MS. Saxon.* Falluntur igitur qui *Otonem Ducem* 6. Idus Decembris extinctum volunt, successoremque illi in *Bavariæ ducatu* dant *Henricum* filium : inducti fortasse in hunc errorem ab *Hermanno Contracto* male intellecto, qui scripsit ad an. 982 : *Ipsò anno Oton dux Suevorum & Noricorum obiit, & post eum Conradus dux Alamanniæ factus est, Henricusq; ducatum Bajoariæ recepit, anno videlicet 984.* Atqui neque *Conradus* hic, neque *Henricus*, *Otonis* hujus filius à quoquam veterum agnitus fuit. Verisimilius igitur *chronicon MS. Saxonix* ad annum 983 : *Imperator Veronæ placitum habuit, & HENRICVS MINOR filius Bertholdi exilio solutus Dux Bavariæ constitutus est, patruele Imperatoris Henrico adhuc*  
in cu

*in custodia posito.* Paria scripsit Ditmarus Mersburgensis, libro chronici tertio in fine, sed describentium socordiâ aut typhotherarum incuriâ sententia mutila est, in *Maderi* editione annorum numerus etiam depravatus. Chronicon Hildesheimense ad eundem annum 983. Imperator Veronæ placitum habuit, ibique *Henricus Minor de exilio ductus, dux Bajorum constitutus est.* Habemus itaque certiore *Otonis* successorem in ducatu Baviaræ *Henricum, Bertholdi Marchionis & Eila Walbecensis filium.* Et verò, qui potuit *Otto* Ludolfi filius XXVIII annorum princeps, id ætatis habere filium, qui anno jam tum 977, ausus fuerit cum *Henrico* Bavao res novas moliri, Pataviam obsidere, rebellionem contra Cæsarem cœptare? quod tamen de *Henrico Minore*, ducis *Otonis* successore auctor chronici Hildesheimensis ad annum 978 his verbis scriptum reliquit: *Henricus quondam dux cum Henrico Minore, & Ekbertus comes, jussu Imperatoris comprehensi sunt & exilio deputati; donec in Veronensi conventu eo solutus Henricus Minor, ut jam vidimus, & ab Ottone II. Bavaris impositus ducatum illum ad annum usque 984 tenuit, quo exul Henricus & exdux Ottone III Cæsari reconciliatus, redintegratâq; Hermannii Comitis opera cum Henrico Minore amicitia, restituto Ottone tertio, paternum Baviaræ ducatum postliminio recepit, ut Ditmarus lib. 4. Regni proinde post Ottonis secundi Imperatoris mortem in-vasor, quem hoc loco insimulare voluit Meinwercci encomiastes, non fuit Ottonis ducis filius, sed Henri-*



cus Bajoaria dux, pat. r Henrici Imperatoris, ab Imperatore patruelē certē suo, (Ottone II) ante septennium ob infidelitatem & tyrannidē m. quam contra eum P. **ATERNO MORE** exercuit, ab honore summotus, qui tunc occasione iustitiæ in spem regnandi arrogantia furore incassum elatus, herilem filium, (Ottone III) diuinum Dei ordinatione regni heredem opprimeret, semetq; in monarchiam regni, suadente seductore conatus tuit erigere, teste Wolfherro in vita S. Godehardi Ep apud G Henschenium tom. I. Maji cap. I. num. 7. Ubi notanda sunt verba paterno more: scripserat enim num. 4. *Henricum, Ottonis I. Imp. fratrem, in prima regali ordinatione, in prasentia principum ac patris (Henrici I Regis) se nobiliorem jaetasse, & in eadem vana voluntate semper contra fratrem regem privatim, & subdole contra filium regis Ludolfum publicè perstuisse. Chronicon Hildesheimense totam hanc rem his verbis complectitur ad annum 984: Comperitanece Imperatoris, Heimicus quondam Dux de exilio egressus, cum sibi fauentibus Agrippinam civitatem intravit, ac Regem retinuit: regnumq; ejus invadendo plurimos sibi de Saxonibus associavit, qui eum in proximo pascha Quidilinsburg regem elegerunt. Sed alij principes Ottoni III fidi eundem Henrico extorserunt, & pace inter dissidentes firmata, Ducem Bajoariorum denuo effecerunt. His bene expensis, nemo dubitaverit aliam Bavariæ Ducum feriem necēendam esse, quā in suis scholijs Browerus ad hunc locum proposuit: nam Luitpoldo Duce anno 907, aut 908 ab Ungaris occiso, ejusque filio*

*Arnol-*

Arnolfo an. 937 ejusque fratre Bertholdo an. 947 defunctis, eodem anno Henrico fratri Regis ducatus committitur, Herm. Contract. & chron. MS. Saxon. Anno 955 Henricus frater Regis Otonis Bajoaria Dux moriens filium equivocum successorem reliquit. Herm. Contract. Reginonis continuator, Lomb. Schafnab. Widikin. Corb. Annal. 13. sepultus Ratisbonæ in templo S. Mariae a Duce ipso constructo, chron. MS. ad an. 955. Anno 995 Henricus potentissimus Dux Bajoariorum, cum germanam suam dominam Gerbergam diuturno languore probatam visiteret, Gandeshem V. Kal. Septembris cum magno dolore obiit, Chron. Hildesh. Henricus Dux Bajoariae obiit, & filius ejus ex Gisela Conradi Regis Burgundiae filia, itidem Henricus Imperator postea futurus, ducatum interim obtinuit, Herman. Contract. ad an. 995. Otto III. Rex in Magdeburg cum suis Principibus colloquium habuit, ad quod Henricus Bavarorum Dux inclitus venit, & cum inter hunc & Ratisbonensem Gebhardum longa haberetur contentio, cum bono ibidem finitur consilio. . . . . Inde pergens ad Gandeshem, ubi domina Gerberga suimet soror erat Abbatisa, agritudine premitur subitanea, & tunc vocans ad se equivocum ejus (suum) talibus instruit: Vade celeriter ad patriam, ac dispone regnum, ac nunquam Regi ac Domino resistas tuo: multum enim me poenitet hoc nunquam fecisse. patris memor sistus quem nunquam in hoc seculo videbis: filioq; mox ab unte, Dux praeclarus in infirmitate sua semper Kyrie eleison ex corde clamans, migravit ad Christum quinto Kalendas Septembris. sepultus



pultus ibidem ( Gandesheimij ) in medio ecclesie coram sancta crucis altari. Quod cum filius ejus ( Henricus ) comperiret , electione & auxilio Bavariorum patris bona apud Regem obtinuit, Ditmar. Mersburg. chron. lib. 4. pag. 74. edit. Mader. Tres ergo contra seriem Saxonici sanguinis Duces Bavaris præfuerunt, *Henricus I*, Henrici Aucupis filius, *Otonis I* Imp. frater, de cujus matre Regina Mechtilde afferunt nonnulli, hoc summopere diu nisam fuisse, quod junior filius suimet *HENRICVS* patris sedem possideret, Ditmar. lib. 1. pag. 14. edit. Mader. Hujus filius *HENRICVS II* apud sanctam Mechtildem aviam educatus, post obitum patris ab anno 955 Ducatum tenuit usque ad an. 995, 28 diem Augusti quo deceisset, filiumque *Henricum III* successorem reliquit virum sanctum, anno exinde *M II* regem, & an. *MXIV* imperatorem: qui proinde à *Ditmaro* lib. 1. pag. 14. tertius in numero ducum, & in ordine sceptriferorum secundus rectè appellatur. Eandem Ducum successionem veteres scriptores omnes adstruunt, immò illi ipsi, quos adducit patronos sententiæ suæ *Browerus*, *Wolfherrus* in *vita S. Godehardi* cap. 1. num. 4, 6. & 7. apud *Henschenium*, vel cap. 1. 3. & 4. apud *Surium*, & *Browerum*. *Hermannus Contractus* edit *Canis.* an. 955. & 995. Ea quæ dixi ex genealogico hoc schemate lucem accipient, quod heic subjecimus.

## GENEALOGIA

SANCTI HENRICI IMPERATORIS.

Ludol.

Ludolf. D. Sax. ux. Oda, an Egberti D. Sax. & S. Ida F. &

Otto Dux Sax. obiit an. 912, 30 Nov. Ux. Hathuvigis.

Henricus Rex obiit ann. 936, 2 Jul. Ux. B. Mathildis  
obiit an. 968, 14 Mart.

Otto I Imp. obiit an. 973, 7 Maij. Henricus I, Dux  
Ux. I Editha, mater Luidgarde a- Bavar. obiit 955,  
via Gregorij V PP, & Lindolfi D. Kal. Novemb. ux.  
Suevia. Ux. II. B. Adelheidis obiit Juditha, Arnulfi  
an. 1000, 16 Decemb. ex ea nati D. Bavar. F.

Hemma sive Emma. Otto II Imp. Henricus II Dux  
obiit an. 983, 7 Decembr. Bavar. obiit 995,  
28 Aug Ux. Gise-  
la Conr. Reg. Burg.  
Otto III Imp. obiit 1002, 24 Jan. F. ob 1007, 21 Jul.

Arnulfus. Bruno. S. Henricus è Duce  
Bavar. Imperator. ob. 1024, 13 Jul.  
Ux. S. Cunigundis.

Num. VI. MEINWERCUS REGIA STIRPE  
EDITUS. ] Meinwerci genus regium derivare pos-  
sif ex Adela matre, Comitiss Wigmanni Eltenensis  
ecclesiæ conditoris filiâ, cujus pater Wigmannus  
Comes, Hermanni Ducis Saxonie ex fratre nepos  
loco filij ab Ottone I Imp. habitus teste Widikindo  
lib. 3. pag. 30. seipse propinquum ejusdem Imperato-  
ris apud eundem scriptorem indigetat: cujus filij,  
scelere Balderici & Adela interfecti, atque in Fretbe-  
nensi



nensi templo tumulati funestam mortem describit *Ditmarus lib. 7*; quem vel hoc argumento *Billungiana* stirpi inferendum haud immeritò dixeris. quod *Ditmarus* ibidem referat, *Bernardum Ducem Saxonie, filij prafati Comitis adhuc parvuli, & totius hereditatis jure tutorem, & nefandi criminis ultorem extitisse. Paternam Meinverci stirpem si ad Immediat Theodorici filium, sanctæ Mechthildis Reginae fratrem referas, facile deprehendes, haud temerè ab Anonymo nostro dictum, Meinvercum regis stirpe editum. Vide notas Meibomij ad Wiedekind. annual. lib. 1. pag. 72.*

Ibidem. REGIUS CAPELLANUS EFFICITUR. ]  
 Adservatur in tabulario Hildesheimensis Ecclesie diploma *Ottonis III Imp. datum Palatioli an. M. XV Kal. Aprilis, Indictione XIII, anno regni XVII, imperij V, quo Imperator fidelium suorum Heinrichi Turziburgensis Episcopi, atque Meginnua: Capellani sui petitionibus assentiens, dilecto suo Dammoni Discosoro atque Comiti, quoddam sui juris predium tradit in proprium, quinque videlicet mansos regales in villa Luibicha, in territorio Kiribbergensi, comitatu verò Ekkharti jacentes. Idem Imp. Otto III in litteris, quarum in fine hujus incisi meminit auctor poster, hunc in modum loquitur: Fidelium nostrorum noverit universitas, quod nos interventu venerab. Geppæ Abbatis, Meinverco nostro amabili Capellano duos mansos in villa Lutterun in proprium tradidimus eo tenore, ut idem Meinvercus, qui nostram in propriam diligit vitam, de eadem proprietate quicquid voluerit faciat. Vide alia dipl. apud Lindebrog. Num.*

Num. VII. PRIVILEGIUM APOSTOLICÆ  
 CONFIRMATIONIS à JOANNE PP. XVIII  
 PETIIT. ] Illud est hujusmodi : **JOANNES**  
 Episcopus servus servorum **DEI**, dilecto filio **RATHARIO** Paterbrunnensi venerabili Episcopo suisq;  
 successoribus in perpetuum. Sacrosancta Apostolica  
 sedes dum materna pietatis & regiminis universaliter  
 in Ecclesijs Christi obtinet officium, corroborationis do-  
 ctrina & auctoritatis impendere incessanter eisdem de-  
 bet suffragium. Quocirca tua postulationi, Karissime  
 fili, in concedendo tibi tuaq; sedis Ecclesie, Apostolica  
 autoritatis privilegio, & libenti animo annuimus, &  
 gratissima animi indulgentia concedimus. Ita enim  
 capui gaudere poterit, si membra integra stabilior robore  
 se habere senserit. Igitur, ut antiquitus sancta Pater-  
 brunensis Ecclesia sedes, cui Deo autore prasides, fun-  
 data ac rebus diversi generis dotata est, ut que honorum  
 virorum ac fidelium Christi collatione hæctenus copiã  
 divitiarum possessionumq; accrevisse visa est: ita eam  
 perpetuo Apostolici juris precepto tibi tuisq; successori-  
 bus in perpetuum manere decernimus; sint que a pravo-  
 rum incurSIONE, dolo & direptione tuta, quæcumq; præ-  
 dicta Ecclesia, immo sedes Episcopalis possedisse hæcto-  
 nus videtur, vel quæcumque acquirere fidelium Christi  
 collatione poterit, id est, viros, possessiones, curtes, diocæ-  
 ses, diocesiumq; territoria sibi pertinentia; item domos,  
 castella, agros, vineta, flumina, lacus cum omnibus qua  
 in eis sunt instrumenta, servos etiam & ancillas, itemq;  
 colonos, census seu redditus, aut etiam pensiones. Ista  
 omnia, & sicut supradictum est, quæcumque possessiones  
 prædi-



prædicta Ecclesia habere visa est aut videbitur, auctoritate Apostolica eidem confirmamus & corroboramus, & in perpetuum valere decernimus, ut nulla violentia aut ingenio ab ea subripiantur aut alienentur. Item decrevimus beati Petri Apostoli auctoritate, ut nulla ordinatio ibi Episcopalis existat, id est, nullus conferatur Episcopus in prædicta Ecclesia, nisi electione filiorum ejusdem Ecclesie approbatus. Si quis autem insanus aut presumptor res ejusdem Ecclesie devastando aut diripiendo, itemq; imminuendo contra hoc nostræ auctoritatis privilegium venire tentaverit, aut observare despexerit, nisi condignâ emendatione resipuerit, excommunicationi subjaceat, anathematis vinculo innodetur, maledictione aternâ damnatus sit, & cum reprobris pœnis subjaceat perpetuis. **BENE VALETE.** Datum & scriptum per manus Petri Abbatis & Cancellarii sacri palatii, in mense decembrio, indictione quarta, anno Deo propitio Domini Joannis XVIII. Papa. tertio.

Ibidem. KAROLUS INTERVENTU BISONIS.] Vidi apographum diplomatis à Carolo Crasso Imper. anno Christi DCCCLXXXV, nono regni, imperij V, indict. 4, Franconofurti dati: verum in appellatione Episcopi minimè convenit cum hoc scriptore nostro, utpote qui hic discretè diploma istud, concessum BISONI affirmat, at contra inspectum à me exemplar Luthardi decessoris nomen exprimit, & diem VI Idus Septembris, qui apud nostrum est VI Id. Decembris: sed hæc aberrationes amanuensium indiligentiæ sunt forsitan imputandæ. *Bisonis* Ep. obitum pag. 283 retuli ad an. 900: alij extendunt ad an. 908, moti auctoritate Adami B. lib. I cap. 42.

Num. VIII. CIVITAS PATHERBRUNNENSIS INCENDIO VASTATUR.] *In Patherbrunnon Monasterium & omnes ejusdem apparatus flamma nostra iniquitatis ultrix consumens, multorum corda fidelium commovit, qua amor divina remuneratio- nis ad renovanda communiter accendit.* Ditmarus lib.

6. *Brovverus* contendit anno priori accidisse hoc incendium: sed omnino retinendus est annus millesimus ab auctore nostro expressus, cum quo etiam cetera temporum notæ conveniunt. Mensem quoque Junium, quo hæc calamitas accidit, observavit in codice Vaticano Celsus. Princeps noster *Ferdinandus*.

PLENARIIS.] *Plenarium est liber ecclesiasticus, in quo Evangelia & Epistolæ pleniter continentur, ut ex variis scriptoribus observavit Carolus du Fresne in Glossario, verbo Plenarium.*

Num. IX. IMPERATOR AD S. ATHELBERTUM SLAVIAM INTRAVIT.] *Otonis III iter in Poloniam prolixè describit Ditmarus Mersburg. lib. 4. Hildesheimense chronicon ad an. 1000. ubi tamen pro Praga legendum Gnesna. S. Adelbertus, alter à Thietmaro Pragensis Episcopus, binominis fuit: nam in sacri baptismatis lavacro nomen Woythiech accepit; cum verò Adelberto nostro primo Magdeburgensium Archiepiscopo literis erudiendus commendatus esset, is in Confirmationis sacramento suum illi nomen imposuit, sanctisque formavit moribus. Ad cathedram deinde Pragensem evehctus, ab Ottone II. Imp. pastorem virgam, à Willigiso Moguntino Archiepiscopo consecratio-*  
nem



nem A. C. DCCCCLXXXIII. die XXIX. Junij Veronæ accepit. Exactis aliquot in Episcopatu annis, Romam adit, Joannem XV. PP. de rebus animæ consulturus: is Adelberto monasticæ desiderium injicit, quam Cassino lustrato, Romæ in S. Alexij cœnobio cum fratre suo Gaudensio amplectitur. Sed à Gregorio V. PP. A. C. CMXCVI ad Bohemos redire cogitur, à quibus ferociter repudiatus, Dantiscaniæ & Prussis Christum prædicat, & ab iis prope oppidum Fischhausen, haud procul Regio-monte, morte afficitur A. C. CMXCVII. XXIII. Aprilis. Sancti Martyris corpus Bolislaus Polonorum Dux à barbaris redemptum Gnesnam transferri curavit, inde post aliquot sæcula Pragæ illatum est. Vide Acta ejus tom. 3. Aprilis à Godefrido Henschenio a. d. 23. Aprilis edita.

GAUDENTIUM MONACHUM. ] Hunc Diermarus lib. 4. Kadimum appellat, unde liquet binominem quoque fuisse. Fuit Gaudensius germani sui Adalberti martyris itinerum laborumque individui comes. Meminit Gaudensij vita prior apud Bollandi continuatores ad 23. Aprilis num. 9. 16. 28. & 29.

Eodem num. IX. RETHARIUS ERGO EPISCOPUS. ] Ipsæ Ottonis III litteras, quibus Ecclesie Paderbornensis privilegia, Retharij Episc. precibus motus, cæsareâ auctoritate renovavit, operę præteritum visum est legentiû oculis hic integras subjicere. *In nomine sanctæ & individue Trinitatis. Otto divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Si locum divino cultui mancipatum igne q̄ substantiam*

ram ornatu & corroboracionum paginis concrema-  
 tum restaurare, ornare & iterum sublimare videbi-  
 mur, scimus & certi sumus id non solum laude humana  
 predicandam, verum etiam divina mercede remune-  
 randum. Cunctis igitur Ecclesia Dei fidelibus nostrisq;  
 astantibus & succedentibus compertum fore volumus,  
 quod de incendio Paterbrunnensis Ecclesia nimium  
 condolentes, praecepta antecessorum nostrorum, & ea  
 qua nos ibidem obtulimus, memorata Sedi hac prae-  
 ceptali pagina renovamus iterumq; confirmamus. De  
 quibus unum est de Episcopatu statu, dehinc de iuri-  
 dictione & mundiburdio ejusdem Ecclesia, & de omni  
 proprietate ad eandem Ecclesia pertinenti, & de ele-  
 ctione Episcoporum inter Clericos ejusdem Ecclesia, &  
 de ejus hominibus tam liberis quam & servis nulla ju-  
 dicialiâ persona constringendus nisi coram Advocato  
 quem Episcopus elegerit. Insuper renovamus & con-  
 firmamus jam habita sidi comitatus super pagos Pater-  
 ga, Aga, Treveresga, Auga, Soretfelt dictos pro decimis  
 nova Corbeia ad Monasterium pertinentibus; & de  
 proprietate Clericorum, si quis sine herede illorum obi-  
 erit, eidem Ecclesia concessa; & de tribus mansis in  
 Tuispurg. & in Trutmannia; & de foresto quod inci-  
 pit de Delbna flumine & tendit per Ardennam & Si-  
 nediusq; in viam qua ducit ad Herisi. Hac igitur omnia  
 que supra scripta habentur, & qua illa die tenere &  
 possidere videbatur quando combusta fuit, saepe nomi-  
 nata Sedi Paterbrunnensi in jus proprietarium dona-  
 mus, ea scilicet serie, ut dominus Retharius memoratus  
 Sedi venerabilis Antistes, omnesq; sui successores, uni-  
 versa



versa qua ad Episcopum aliqua legali datione perti-  
nent, securiter obtineant, nostra omniumq; nostrorum  
successorum, & omnium mortalium contradictione ve-  
mota. Et ut hac renovatio & confirmatio stabilit  
cunctis permaneat temporibus, hanc paginam manu  
propria corroboravimus, & sigilli nostri impressione  
insigniri precepimus. Signum domni Ottonis Cas-  
aris invictissimi. Heribertus Cancellarius vice Willig-  
gisi Archiepiscopi recognovit. Data Kalendis Januarij  
anno Dominica incarnationis millesimo Indictione  
XIV. anno tertij Ottonis regnantis XVIII. imperij VI.  
Actum Roma feliciter. Amen.

Hoc diploma iisdem penè verbis repetit sanctus  
Henricus 4. Non. Aprilis anno MIII. Indict. 1. anno  
regni sui primo in Quidlingaburg, Egilberto Cancel-  
lario vice Willigisi Archicappellani recognoscente.  
Silvestri Pontif. Max. litteras, quas juxta aram Ro-  
manam anno millesimo primo à Retharij legatis ob-  
tentas in fine num. 9. memorat anonymus noster,  
temporum injuriâ intercidisse existimo. Substitu-  
endus etiam est in auctore pro anno quinto ex di-  
plomate hic descripto annus imperij sextus. reliqua  
sibi constant.

Num. X. BRUNONE PAPA DEFUNCTO. J  
Joannem hujus nominis XV, vel ut quibusdam placet  
XVII, ante adeptos supremi pontificatus honores  
Brunonem appellatum fuisse nusquam alibi legi, que  
proinde causa induxerit Browerum, ut expuncto  
Brunone in sua editione Joannem substituerit.

Ibid. BRUNONEM COGNOMINATUM  
GRE-

GREGORIUM OTTONIS DUCIS FILIUM. ] Quod  
*Annotatione proxima* scripsi, nusquam legisse me Jo-  
 annem PP, antea *Brunonem* appellatum: id de scripto-  
 ribus *Anonymo* hoc nostro antiquioribus intelli-  
 gelim: nam posterior illo *Gobelinus Persona, Cosmo-*  
*dromij* *etate* & *cap. 50* tradit Joannem PP, (qui in di-  
 plomate *pag. 297* recitato *XVIII* dicitur) *Brunonem*  
 fuisse nuncupatum, eiq; successisse *Otonis Ducis Ca-*  
*rinthie filium Brunonem, dictum Gregorium V.* De  
 cujus natalibus varia sunt scriptorum pugnaeque  
 sententia. *Germani* illustrisq; sanguinis Principem  
 agnoscunt omnes. *VV. Heda* *Otonis I Imp. filium;*  
*Jacobus Masenius, in Epit. Annal. Trev. Bavariae*  
*Regis filium adan. 998* nominat. Pleriq; patrem ei  
 dant *Otonem Sueviae & Bavariae Ducem, natum, uti*  
*Reginonis Continuator* est auctor, anno 954; defun-  
 ctumq; *Chronologo Hildesheimensi, Conrado Ursber-*  
*geni, Contracto, alijsq; testibus, anno 982.* Verum  
*VVippo* eorum temporum diligens scriptor, *Bruno-*  
*nem Romanae Ecclesiae Papam, mutatoq; nomine Gre-*  
*gorium appellatum, fratres habuisse, Hezelonem, Chu-*  
*nonem & VVilhelmum, ipsos vero ab Ottone Duce*  
*Francorum natos memorat; quibus numquam pra-*  
*fuit Otto Liudolfi filius, uti neque Carentanis: utpote*  
*qui, mortuo anno 973 Burchardo Duce, paternum*  
*Alemanniae Ducatum* quidem recepit; & anno 976,  
 vel 978 *Bavariae Ducatum* vice exulis *Henrici II, pa-*  
*tris S. Henrici Imper.* administrandum suscepit; sed  
*Francorum aut Carentanorum Dux* ab antiquis scrip-  
 toribus minime agnoscitur. Igitur *Gregorij V. Pont.*  
*Max. genealogiam* hoc modo concinno. *VVe-*



Werinherus, sive Wernherus.

Conradus Dux Lotharing. & Francorū, obiit an. 955.  
10. Aug. Uxor Luitgarda, Ottonis I. Imp. filia, obiit 955.

Otto Carentanorum & Francorum Dux & Veronen-  
sis Comes, ab Ottone III nepos & Dux, in diplom. Hil-  
deb. Vformat. Ep. an. 985 dato, appellatus Ux. Juditha.

Henricus obiit an. 1018, 8 Kal. Jun. ux. Adel- heida soror Co- mitū Gerhar- di et Adelberti.	Conradus Dux Carinth. obiit 1012, ux. Mat- hildis, Conradi Reg. Burgund. ex fil. neptis.	Bruno, seu Gre- gor. V. PP. obiit an. 999, 4 Febr.	Wilhelmus Ep. Stras- burgens. an. 1028. obiit ann. 1047. 7 Novembr.
---	---	---	--

Conradus II. Imp. obiit anno 1039, 4 Jun. Ux. Gisela Herm. Duc. Suev. fil. obiit ann. 1043, 14 Febr.	Conradus Dux Carentanorum & Vangionum. obiit an. 1039, 20 Julij.	Bruno, Ep. Wirzburg. obiit anno 1045, 26 Maij.
---	--	--

Henricus III. Imp.

Cernis hic amice Lector, Gregorij Pont. Max. pa-  
ternum genus duci à Wrinhero patre Conradi Du-  
cis, cujus memoriam ad nos transmisit Reginonis  
Continuator ad an. DCCCXLI. in his verbis: Otto  
Dux

Dux Lothariensis obiit, cui Conradus filius Werinheri  
 in ducatu succedit. (Flodoardus mortem Ottonis  
 Ducis Lotharingæ refert ad an. 944. in chron.) An-  
 no 943 Otto Rex Lotharingia ducatum defuncto Hen-  
 rico parvulo, & Ottone præfide concessit Conrado, cui  
 & unicam filiam Liutgardam desponsavit; & Lindul-  
 fus Regis filius dilectione nimia illi est astrictus: erat  
 enim acer, domi & militia optimus, & commilitoni-  
 bus suis carus, chron. MS. Saxon. & Widikindus  
 Annal. lib. 2. pag. 22. edit. Meibom. Anno 948, Con-  
 radus Dux Regi tunc temporis pene præ omnibus carus  
 Liutgardum filiam Regis in matrimonium sumpsit,  
 chron. MS. Anno 952 Otto Rex occupata Papia in  
 Germaniam rediturus, Conradum generum Lotha-  
 ringie Ducem, qui reliquias belli adversus Berenga-  
 rium persequeretur, reliquit, Sigon. Hist. de regno  
 Ital. l. 6. Widikind. lib. 3. Anno 955 Otto Rex infert  
 Ungaris bellum, castris positus in confinijs Augustana-  
 urbis, ibi cum valido quoq; equitatu venit in castra  
 Conradus Dux, cujus adventu erecti milites jam opta-  
 bant non differri certamen: nam erat natura audacis  
 animi, & quod rarum est audacibus, bono consilio; &  
 dum eques & dum pedes iret in hostem, bellator intole-  
 rabilis, domi militiaq; socijs carus. Sed Conradus dux  
 fortiter pugnans . . . . . dum auram captat, vulnere sa-  
 gitta adverso gutturis defixa cadit: cujus corpus iuxta  
 Regis imperium honorifice collectum transportatur  
 WORMATIAM ibiq; sepelitur, vir omni virtu-  
 te animi & corporis magnus atque famosus. Widikind.  
 lib. 3. Ditmar. lib. 2. Herm. Contract. Otto Frising.



l. 6. c. 20. Lambert. Schafnab. Chron. Hildesheim. & continuator Reginonis ad an. 955. qui etiam uxoris ejus *Luitgarda* obitum consignavit ad an. 953. Porro *Conradi Ducis & Luitgarda* filium *Ottonem*, *Gregorij V PP.* genitorem egregium Ducem celebrat chron. MS Saxon. ad an. MII, quo ab *Henrico* Rege contra *Hartwigum*. (*Arduinum* appellat Sigonius lib. 8.) cum valido exercitu in Italiam mittitur *Otto Carentinorum Dux & Veronensium Comes*, filius *Conradi Ducis*, qui ad fluvium *Lech* contra *Ungaros* pugnans sub *Otione Magno Imperatore* occisus est, habuitque ex *Luitgarda* filia ejusdem Imperatoris filium hunc, de quo loquimur *OTTONE M.*, qui morum gravitate & actuum probitate parentelam suam decorabat: & cum post mortem Imperatoris *Otonis III* prefatus *Otto* jure consanguinitatis & etatis, virtutumque maturitate ab *Henrico* tunc Duce in Regem eligeretur, imperij onus humiliter recusans, eundem prius per internuntios & per se ipsum, quasi ad hac apertorem sibi preposuit fideliterque semper adjuvit. Hunc cum *Heriberto* Comitis filio *Otone*, & *Ernesto* *Limpoldi* Marchionis filio in Italiam direxit. Hucusque chron. MS *Wipponem* etiam hic nunc audiamus. Erant duo *Chunones*, inquit, quorum unus, quod majoris etatis esset, *Major Chuno* vocabatur; alter *Junior Chuno* dicebatur. ambo in *FRANCIA* *Tentonia* nobilissimi, ex duobus fratribus nati, quorum alter *Herzelo*, & alter *Chuno* dictus est: ipsos vero ab *OTTONE DUCE FRANCORUM* natos accepimus cum duobus alijs, *BRUNONE* & *Wilhelmo*:

ex quibus Bruno Apostolicæ sedis Romanæ Ecclesiæ  
 Papa effectus, mutato nomine GREGORIUS appella-  
 tus est, Wilhelmus factus Argentin. Ecclesiæ Episc. miro  
 modo eam sublimavit. Quid his verbis clarius? Ad-  
 jiciam nihilominus testimonium Ottonis, sancti  
 Leopoldi Marchionis Aultrix & Agnetis filia Hen-  
 rici IV Imp. filij, Friderici Barbarossæ Imp. patris,  
 Conradi III. Imp. fratris uterini, ex Abbate Mori-  
 mudenti Frisingensis in Bavaria Episcopi, quod in  
 chron. lib. 6. cap. 28 extat hujusmodi: *Defuncto sine*  
*filij Henrico, Conradus natione Francus . . . regnum*  
*sortitur. Hic ex parte patris à Conrado Wormatiens-*  
*is Duce, (cap. 20 illustrem Ducem & generum Re-*  
*gis appellat,) qui in pralio cum Ungaris sub Ottone ha-*  
*bito occubuerat, pro sapiam duxit: per Ottonem vide-*  
*licet Conradi Ducis filium, ejusque nepotem Henri-*  
*cum, Conradi Ducis, Wilhelmi Episcopi Argenti-*  
*nenlis & Brunonis (Gregorij V huncupati) fratrem.*  
 Ex his Bruno ad summum Pontificatum evectus an,  
 996, & an. 999. vitâ functus est. Conradus verò Ca-  
 rentani Dux, filius Ottonis Ducis fraterq; Brunonis  
 dudum Papa obiit an. MXII, teste Herm. contracto.  
 Henrici Conradi II. Imp. pater, qui marcham inter  
 Ungaros & Bavaros positam tenuit, an. MXVIII,  
 VIII Kal. Junij fortis armatus obiit, Ditmar. lib. 8. pag.  
 244. Wilhelmus denique Regina Archicapellanus,  
 urbis Argentinæ præsul an. 1027. constitutus, an.  
 1047 autumnali tempore defunctus est, Herm. Con-  
 tract. Fallor, aut alium neminem quàm Ottonem  
 Wormatiensium Ducem horum quatuor fratrum



parentem designavit Ditmarus Mersb. ijs versibus,  
quibus librum chronici quintum clausit :

*Urbs Wormacensis gaudet temporibus istis  
Libertate sua, cujus manebat in umbra  
Hactenus, atque Ducum fuerat sub lege suorum.  
Burkard Antistes latatur, . . . . .*

*Aula Ducis Domini domus est, jã prædia Christi & 6  
Hoc Rex Henricus fecit pietate cornuscus.*

*Annuit ista pius OTTO Dux atq; benignus  
Munere regali concessit abunde teneri.*

Vide Bruschiuum in S. Burchardo XXVII Episc.  
Wormat.

Ibid. BRUNO, QUI ET GREGORIUS, VE-  
NENO PEREMTUS IV. IDUS MARTII MORI-  
TUR. ] Non minus variant in assignanda emortuali  
Gregorij PP. die scriptores, quàm in electionis die.  
Cherubinus in Bullario Romano Pontificem decla-  
ratum scribit an. 995 XVI Kal. Julij die Dominico;  
alii electum tradunt an. 996. 21. Junij. Godefridus  
Henschenius ad cap. 4. Vitæ prioris S. Adalberti 23.  
April. notat Gregorium V. electum an. 996, 13. Julij,  
& 26 ejusdem mensis consecratum. Sigonius lib. 7.  
de regno Italiæ ad an. 996 Joannem Piacentinum,  
auctore Crescente, Pontificem à Romanis ob hanc  
causam declaratum adversus Gregorium censet,  
quòd ab uno Othone sine populi suffragijs esset intrusus,  
nec liberis sanè comitibus designatus: sed Ditmarus  
Mersburgensis lib. 4 scribit, Ottonem Regem ne-  
potem suum Brunonem Ottonis filium Ducis, in loco  
Joannis Papa nuper defuncti, cum omnium laude præ-  
sentium

sentium constituisse. Auctor vitæ S. Adalberti cap. 4.  
n. 21. à majoribus electum, & à Romanis honorifice ac-  
ceptum tradit. Chronici Hildesheimensis verba ad  
an. 996 sunt ista: *Joannes PP. obiit, unde Imperator*  
*(Rex) in Italia positus, rumore incitatus, præmissis*  
*quibusdam Principibus, PUBLICO CONSENSU*  
*& ELECTIONE fecit in Apostolicam sedem ordina-*  
*ri suum nepotem domnum Brunonem Ottonis filium*  
*qui marcham Veronensem servabat, imposito nomine*  
*Gregorij. Hujus epitaphium Sigonius in Vaticana*  
*æde sua ætate extitisse memorat, quod à Wilhelmo*  
*Heda alijsque ad memoriam posterorum transmis-*  
*sum hic describere non piget:*

*Hic quem claudit humus, oculis vultuque decorus*

*Papa fuit Quintus nomine Gregorius,*

*Ante tamen Bruno, Francorum regia proles,*

*Filius Ottonis de genitrice Judith.*

*Lingua Teutonicus, Vangiâ doctus in urbe,*

*Sed juvenis cathedram sedit Apostolicam.*

*Pauperibus dives per singula sabbata vestes*

*Divisit numero cautus Apostolico.*

*Usus Franciscâ, vulgari, & voce Latinâ,*

*Instituit populos eloquio triplici.*

*Tertius Otto sibi Petri commisit ovile,*

*Cognatis manibus unctus in imperium.*

*Exiit hic postquam terrena vincula carnis,*

*Aquivoci dextro substituit lateri.*

*Papa Gregorius bene dispositis Roma omnibus secundo*

*Nonas Februarij obiit, Gerberto sibi mox succedente, ut*

*Ditmarus synchronus lib. 4. Herman. Contract. &*



Chron. MS. Saxon. ad an. 1000 scribunt: at Lambert. Schafnab. Marianus Scot. anno 999. Sigonius & Cherubinus volunt an. 998 duodecimo Kal. Martij extinctum; noster hic anonymus quarto Idus Martij *veneno peremptum* tradit, ut & Rupertus Abbas Tuitien. in vita S. Heriberti cap. 5. qui ibidem memorat cum S. Heriberto reluctantem sacerdotio initiatum Ottonis III jussu, quod cur Nic. Serario (in S. Baronio XX Archiep.) displiceat, non video. *Gregorius V* perperam etiam confunditur cum *Brunone* consanguineo Herimanni Ducis Saxonix, & è monacho Corbeiensis Episcopo Verdensi, qui vitâ excessit an. 975, 7 Idus Martij, teste Ditmaro lib. 2. & 3. ac Chron. MS. Saxon.

Ibid. GERBERTUS, QUI ET SILVESTER, SUCCESSOR ELIGITUR. ] Hunc *Gerbertum* è Floriacensi monacho Rhemensis primùm, ac Ravennatensium deinde Archiepiscopum, Otto III ob inusitatam illa tempestate viri eruditionem ad summum Pontificatus apicem suis studijs evehit, quem tenuit ad 12. Maji anni MIII. Non libet hic recensere portentosas de horrendo *Silvestri II* interitu fabulas à *Bennone* primùm proculas, à *Sigeberto* deinde, *Martino Polono*, aliisque propè innumeris, non sine novis identidem assutis mendaciorum lacinijs repetitas. Sed canoras hasce nugas omnes explodit in Laterano hodieque exstantis viri sua a tate ad miraculum docti tumulus ejusque inscriptio, atque his etiam perenniora immortalis ingenij monumenta. Chronicon MS. Saxon. hæc de *Silvestro* refert: *Hic fuit novus de*

tus de occidentis regionibus, à puero liberali arte nutritus, ..... optimè callebat astrorum cursus discernere, & contemporales suos varia artis notitia superare: Tandem à finibus suis expulsus Ottonem petiit Imperatorem, & cum eo diu conversatus, in Magdeburg horologium fecit, rectè illud constituens, considerata per fistulam quadam stellanantarum duce.

Ibid. PATERNUM INGRESSUS, IX KAL. FEBR. OBIIT. ] Non igitur Rome migravit è vita Otto III, ut Rupertus Tuitiensis scripsit in vita S. Heriberti cap. 10; neque in castro Palerna, ut est in Herm. Contracto ex edit. Canisianâ; neq; in paterna urbe, ut corrupte legitur apud Ditmarum lib. 4. pag. 86. Sed Paterni, quod est castellum Romania, pustellis interiora prementibus, & interdum erumpentibus infirmatus, facie clarus, ac fidè precipuus nono Kalendas Februarij exiit ab hoc sæculo, Chron. MS. Saxon. Ditmarus lib. 4. Herman Contract apud Canisium decimo Kal. Febr. Sigonius duodecimo, Marianus Scottus & Abbas Ursbergensis quimo Kal. Febr. decessisse Ottonem scribunt. Sepultum Aquisgrani, & quidem die Christo resurgenti sacrâ, Ditmarus lib. 4. & uno consensu omnes tradidere, & quidem an. 1002.

Num. XI. EKKIHARDUS MARCHIO. ] Hic, Ditmaro lib. 4. teste, è nobilissimis Turingia Australis natalibus ortum ducens, parentelam omnem tam morum quam actuum gravitate inclitus honoravit. Patrem habuit Guntherum, fratres Guncelinum & Brunonem. Uxorem duxit Suanehildam, Hermanni Ducis Saxonie filiam, Bernardi Ducis, Lindigeri Comitis,



mitis, & *Mathildis* sororem, *Ditlmari* Lusatiae mar-  
 chionis viduam, ex qua præter *Lindgardam* primo-  
 genitam, *Werinbario* marchionis *Lutharij* filio nu-  
 ptui collocatam, procreavit filios *Hermannum*, *Ek-  
 kihardum*, *Guntherum* & *Odam*. *Rigdagi* marchio-  
 nis in Turingia successor, *Otoni III* in primis acce-  
 ptus fuit, à quo maxima quoque fundorum clientele  
 antea obnoxiorum parte donatum mersburgensis  
 lib. 5. memorat. Sed illustria hæc decora obscuravit  
 ingens hominis ambitio. Dum enim post *Otonis*  
*III* mortem imperij fasces mavult usurpare, quàm  
 Principum suffragijs oblatos accipere, primùm *Fro-  
 se* Luthario marchione auctore, ac in *Werlensi* sub-  
 inde conventu in dicecesi *Hildesheimensi* à Saxoniæ  
 proceribus instituto, præcipites *Ekkihardi* conatus  
 eluduntur; inde igitur deducente *D. Bernwardo*  
*Hildesium* profectus, regijsque ibidem honoribus  
 cultus, *Paderbornam* porrò magnis itineribus con-  
 tendit, ubi à *Reihario* ejus urbis Antistite hospitio  
 cenâque exceptus, cum indictis *Duisburgi* comitijs  
 obrogatum intellexisset, converso postridie itinere  
*Northeimium* *Sigefridi* domicilium Comitis perve-  
 nit, istic ab *Ethelinda* de insidijs sibi structis admo-  
 nitus, *Poledam* nihilominus perrexit, ubi noctu à *Si-  
 gefrido* & *Bennone* *Sigefridi* *Northeimensis* filijs, at-  
 que ab *Henrico* & *Udone* fratribus *Catelenburgijs*,  
 aliisque conjuratis oppressus fortiterq; repugnans,  
 hastâ à *Sigefrido* cervici fortiter impactâ collabens,  
 capite crudeliter abscisso, vir domi militieque laudabi-  
 lis, pridæ Kal. Mæjæ miserabili nece occumbit.  
 Funus

Funus ab *Alfker*o Poledensi Abbate curatum, à conjugè *Suanehilde* filioque *Hermann*o *Jenam* propriae ditionis oppidum deductum tumuloque illatum est, uti hæc *Ditmarus* lib. 5. prolixius cum insigni *Ekkihardi* elogio commemorat : longè secus atque *Boicorum* *Annalium* auctor parte 1. lib. 15. num. 9. scripsit, *Ekkihardi* occisi caput ad contumeliam circumlatum, corpori verò, qua ne hosti quidem subrahatur, negatam fuisse sepulturam : cum tamen certiori *MSti* *Chron.* auctoritate constet, quòd *Ekkihardi* *Marchionis* corpus post plures annos *Lenâ* translatum sit cum multis alijs de eadem progenie in civitatem *Nuenburcb.* non procul à priori loco in descensu fluminis *Sala:* quam urbem devotio succedentium hæredum cum omni hereditate sua ad servitium *Dei* ejusque *Genitricis* & *S. Petri.* aliorumque *Sanctorum* tradiderit, carnali posteritate deficiente. Ex quo tempore *Episcopalis* *Sedes,* que fuerat in urbe *Cicensi,* translata sit in eandem urbem.

Ibid. *PALITHI.*] Iis, quæ de hoc loco eruditè annoravit *Browerus,* solùm addo locum, in quo *Ekkihardus* *Marchio* anno 1002, pridie *Kal. Maji* (non *XI Kal.* ut *Browerus*) interfectus est, à *Lamberto Polodi,* & alibi ad annos 1048 & 1052 *Poletham* appellari. *Divus Henricus Cæsar* teste *chronico Hildesheimensi* apud *Duchesium* tom. 3. *Christi* nativæ ferias celebravit in *Palidi* an. 1004, 1006, 1007, 1010, 1013, 1015, & postremum anno 1017, quo *curtis* *pars maxima imperialis* in *Palathi* combusta est, ceu *Ditmarus* tradit lib. 7. *Poleda* *curtis* regia ad cognominem



minem annem, qui Ruma deinde miscetur, sita olim fuit. Abbatiam Monachorum instituti nostri illic condidit *Otto Magnus* Imp anno 952 circiter, in honorem *S. Johannis Baptista sanctiq; Confessoris Seruarij*, consensu ac voluntate venerabilis *Hattonis Maguntinensis Ecclesia Archiepiscopi*; & adhujus *Abbatii augmentum*, tertiam partem curia sua *Palathi*, cum omnibus ad hanc ritè pertinentibus, 16. Kal. Maji donavit. Tabulas foundationis edidit *Joachim Maderus* in eo volumine cui titulum fecit. *Verstas, Sanctimoniam &c. Domus Brunsvicensis*, pag. 107. ubi etiam pag. 115. aliud diploma recitat, quo *Otto II Imp.* an. 981 9. Kal. Octobr. *Abbatiam S. Seruarij à suis olim parentibus in sua proprietate Palathi construetam, S. Mauritio & Magdeburgensis Ecclesie Archiepiscopis donat*, *Luceria Ind. 10.* Hodie *Poledani* palatij cœnobiq; vix ullum vestigium est super, locusq; accensetur nunc præfecturæ *Hertzbergensis Ducatus Brunsvico-Grubenhageniaci. Alsker Abbat*, qui *Ekkihardo Poledæ* occiso parentavit, & ætate *divi Henrici Imp. Poledano cœnobio præfuit*, insigne elogium legitur apud *Ditmarum Ep. Mersburg. lib. 8. pag. 239.*

*Ibid. CONRADUS UNUS DE PRIMORIBUS REGNO EXPULSUS.*] *Conradus* hic socius sui *Hermanni Alemanniæ Ducis* partes contra *Hericum Bavarum* amplexus, *Argentinam* cum eo cepit ac diripuit, ut scribit *Ditmarus Mersburgensis lib. 5. & Adelboldus de rebus gestis S. Henrici pag. 435.* Uxorem habuit *Mathildem, Hermanni Alemanniæ*

manniæ Ducis, & Gerbirgæ Burgundicæ filiam, *Conradi* Carentanorum & Vangionum Ducis ac *Brunonis* Wirzburgenfis Episcopi matrem, quæ post mortem *Conradi* Ducis, *Friderico* Lotharingorum Duci deinde nupsit, qui idcirco *Viricus* *Chunonis* *Wormatiensis* Ducis à Wippone appellatur. *Conradi* Carentanorum Ducis, *Hermanni* Ducis generi mortem *Herm.* Contract. ad annum 1012 his verbis consignavit: *Conradus* Dux Carentani, filius *Otonis* Ducis, frater q<sup>3</sup> *Brunonis* dudum Papæ obijt, & privato filio ejus puero *Conrado*, *Adelbero* ducarum accepit. Quem tamen beneficio *Conradi II* Imperatoris, patruelis sui, *Adelberone* majestatis reo in exilium cum liberis pulso, anno demum 1027. recuperavit, ceu *Wippo* & *Herm.* Contract. testantur.

Ibid. HERMANNUS QUOQUE DUX SUEVIÆ NON EXPERS FUIT TANTÆ DISCORDIÆ. ] Hic *Hermannus* anno 997. *Conrado* *Alemannorum* Duci defuncto ab *Ottone III* successor datus, filius fuit *Udonis* Ducis qui apud *Calabriam* cum multis occubuit, quando *Otto II* contra *Sarracenos* pugnavit, filiam q<sup>3</sup> *Conradi* Regis *Burgundie* *Gerbirgam* in matrimonio habuit. *Ottone III* Imp. *Aquisgrani* in æde sanctæ *Marie* tumulto, maxima pars procerum, qui his interfuerunt exequijs, *Hermannus* Duci auxilium promittunt ad regnum acquirendum & tuendum: *Henricum* mentientes ad hoc non esse idoneum, propter multas causarum qualitates. *Hermannus* igitur *Alemannia* & *Alsatie* Dux, timoratus & humilis homo, à multis quibus lenitas ejus placuit seductus,



*seductus, contra Regem se armavit.* Ditmar. lib. 4. & Herman. Contract. & MS. chron. Saxon. ad an. 997 & 1002. Moritur an. 1004 Hermannus, post Henrici Cęlaris gratiam anno 1002 Kal. Octobr. in Brunsfal recuperatam, relicto filio cognomine in ducatu successore, qui etiam anno 1012 nullis ex se relictis liberis decessit, atque *Ernustum sororis sue Gisela maritum successorem accepit.* Ditmar. lib. 4. 5. & 6. Herman. Contract. ad an. 997, 1004, & 1012. Chron. MS. Saxon. ad an. 1002. chron. August. Adelboldus in rebus gestis S. Henrici *Hermannum* Ducem Alemannię *virum potentissimum* nominat pag. 432.

Ibid. PRINCEPS BRUNO REGNI FASTIGIUM OBTINERE VOLUIT. ] Decerpit hæc anonymus noster ex vita S. Bernwardi Episc. Hildesheimensis cap. 32. ubi hunc in modum loquitur Tangmarus: *Interea vota principum in diversa rapimur, plerisq; regni fastigium sine respectu timoris Dei usurpare nitentibus. Unde Princeps quidam BRUNO nomine, sciens venerabilem Bernwardum Episcopum domino Henrico reverendissimo esse fidissimum, timens ne ceptis ejus adversaretur, si quid inciperet; quoscumq; in exitium illius, vel in damnum Hildesheimensis Ecclesie armare poterat, pro viribus institit: hinc prædis & rapinis passim bacchatus in loca & homines Episcopi. Ditmarus lib. 8. injurias sancto viro illatas non reticuit: Bernwardus sanctę Hildesheimensis Ecclesie venerabilis Pastor in tantum à Brunone est exosus Comite, ut militem suum Simri nomine videret crine & tergo depravatam, &*

Post eundem secum itinerantem ab Altmanno juvene  
interfectum jacere. Nonnulli Brunonis hujus natales  
referunt ad Henricum I Ducem Bavarie Ottonis  
Magni germanum. Uxorem habuit Giselam Herman-  
ni Ducis Alemannie filiam, quæ à morte Brunonis  
connupta deinde fuit jam ante an. 1012. cum Ernusto  
Duce Alemannie, Herimanni junioris Gisela fratris  
successore; quo etiam anno 1015 defuncto, tertijs  
nuptijs sociata est Conrado Duci, qui post Henricum  
sanctum ad imperium evehctus est. Porro Bruno pri-  
mus Gisela maritus obiit anno, ut quibusdam placet,  
1006. suscepitque ex ea filium Lindolfum Comitem  
de Brunswic, quem Henricus Quattus Cæsar in di-  
plomate anno MLVII, quinto Nonas Julij Merse-  
burgi dato, patrum suum appellat, cujus mortem  
habet Chron. Hildesheimense ad an. 1038: Lindolfus  
Comes, privignus Imperatoris (Conradi II) nono Kal.  
Maji immatur à morte obiit, relictis filijs Brunone &  
Ecberto, teste Chron. MS. Saxon. è quibus Bruno ab  
Otone fratre Wilhelmi marchionis, juxta villam  
Menthorp occiditur an. 1057, Ecberto quoque Bru-  
nonis fratre in eodem conflictu gravi vulnere saucia-  
to, quo paulò post fortasse decesserit: nam eum,  
quem Ecbertus post Ludolfum patrem tenuerat co-  
mitatum, Henricus Quattus eodem anno 5. Non. Julij  
Indict. 10. dono dedit Hexiloni Episcopo Hildeshei-  
mensi, ceu testantur tabulæ, quæ adhuc supersunt in  
chartophylacio Hildesheimensi.

Ibid. DOMINICA OCTAVA PENTECO-  
STES. ORDINATUR.] Tangmarus in vita S. Bern-  
wardi



wardi Ep. Hildesh. cap. 32. *Omnibus ergo pari voto in electione concordantibus, Willigisus Archiepiscopus & beatus Bernwardus cum ceteris regni Principibus dominum Henricum Mogontiam cum summo honore ducentes, Dominicâ Octavâ Pentecostes regimen, & regiam potestatem cum Dominica hasta illi tradiderunt.* Dissentiunt à Tangmaro Ditmarus lib. 5. edit. mader. & Adelboldus pag. 434. qui octava Idus Junij electionem atque inaugurationem S. Henrici peractam scribunt: at rectius MS. Chron. Saxon. septimâ Idus Junij, id est Dominicâ post Octavam Pentecostes proximâ coronatum à Willigiso ejusq; Suffraganeis Episcopis Henricum narrat, ut postea observavit etiam Ægidius Bucherius à Browero pag. 204 in scholijs hoc nomine laudatus.

Num. XII. EODEM ANNO NOVO REGE  
 NATIVITATEM LAURENTII IN CIVITATE  
 PATHERBRUNNENSI CELEBRANTE.]  
 Chron. Saxon. MS. ad an. 1002. *Post hæc Rex Corbeiam venit, ubi ei inclita conjunx sua Cunigundis occurru: ubi ambo à venerabili Abbate Thiemaro cum honore suscipiuntur, ibiq; in divinis honorati, Patherbrunnon lati proficiscuntur. Postera luce, qua festiva erat B. Laurentij martyris, domina Cunigundis & coronam à Willigiso Archiepiscopo suscepit, sed & Sophia Imperatoris Ottonis soror ad Gandersheimense regnum electa, licentiam Bernwardi Episcopi à palligero benedicendi obtentu Principum ibidem obtinuit. Interim publicum gaudium admodum turbavit insatiabilis avaritia Bavariorum. Hi namq; paucis domi semper contenti-*

contenti, exterius verò propemodum insatiabiles, cum vicinorum fruges vi diriperent, eosq; hoc prohibentes caderent, pugna gravissima inter eos exoritur. Domestici Regis superveniunt, indigena cum adventitijs praveniunt & subsequuntur. Fit magnus conflictus congregientium, devictumq; agmen Bavariorum in regalem curtem fugit. Hic Henricus frater Eilberti Cancellarij, qui ad mensam Regi jugiter serviebat, hastâ vulneratus occubuit. Quapropter, qui prius abierant collecti Saxones, iterum insequuntur: & nisi Dux Bernardus cum validiori manu medius interveniret, numerus Militum infinitus corruiisset. Castigati tamen sunt omnes quicumq; inveniri poterant hujus sceleris auctores. Mastitiam autem Regis placavit Boknevoor de ipsi tradita. Rex ergo recto itinere hinc ad Dinsburch perveniens Lotharios diu tardantes expellat. Adelboldus in rebus gestis S. Henrici paullum ab hac narratione abit, & Cunigundam Gruonæ occurrisset Henrico Regi scribit. Boicæ gentis Annalium scriptor parte 1. lib. 15. num. XI. addit, Cunigundem Paderbornæ solemnî ritu ad Regis thorum, diadema, ceterosq; honores fuisse admissam ipsi D. Laurentij ferijs. Ubi quid per admissionem ad Regis thorum intelligi velit hic auctor, non satis capio: cum S. Cunigundem D. Henrico ante adeptam dignitatem regiam constet connuptam fuisse, ejusque uxorem tum ab Adelboldo, tum à Chronologo Saxonico jam citato conjugis nomine ante coronationem Paderbornensem appellatam: cujus etiam hæc sunt verba ad an. 1002: *Hic (Henricus) domnam Cunigundam*

dam



dam felicitis memoria virginem, sororem Theodorici Metensis Episcopi, & Henrici postmodum Ducis Bavaria, consortem regni factam, quasi in matrimonium sibi copulavit, quam tamen voto castitatis quatenus placuerat, nunquam cognovit, sed ut sororem dilexit. Vide litteras Eugenij PP. de Canoniz. S. Henrici.

Ibid. WOTELOLFUS.] In diplomate S. Henrici, dato Merseburgi, anno regni primo, Christi vero 1002, 5. Kal. Augusti, Indict. 15. appellatur Wodilulfus, fuitque inter eos Principes, qui octavo Kal. Augusti in festivitate S. Jacobi, Regi Henrico occurrentes Merseburgi eundem acclamatum ibidem susceperunt, collaudarunt, collaudatio manus singuli per ordinem dederunt; redditisque manibus fidem suam per sacramenta promiserunt; fide promissa regem coronarunt, uti scribit Adelboldus, licet neque ab illo, neque à Ditmaro lib. 5. nominetur: nihilominus occurrit se Henrico cum ceteris Episcopis Saxoniae Wotelolfum, liquidò ex his laudati diplomatis verbis colligitur: *Vir venerabilis Wodilulfus, Osnabrugensis videlicet Ecclesie Episcopus nosterque fidelis, serenitatis nostrae clementiam adiens postulavit, ut eidem Ecclesie sue immunitatis & libertatis nostra præceptum fieri mandaremus. Cujus petitioni assensum præbet Henricus, decernitque, ut nullus Index publicus, neque aliqua judiciaria potestas, sive Missi Dominici, loca illius Episcopatus ad placita habenda, vel freda exigenda, aut paratas faciendas, vel fidei iussores tollendos, aut servos vel liberos, sive lidones, & eos qui censum persolvere debent, quod Wandschatt vocatur, ad pontem staurati*

staurandum aut corrigendum ullo unquam tempore  
 astringendos ingredi valeant. Permittit etiam Rex  
 Episcopo in eodem loco Osnabrugensi mercatum habere,  
 & monetam publicam instituere & telonem seu  
 vectigal inde accipere, ut prolixius in ipso diplomate  
 videre est, quod habetur integrum in Monumentis  
 Paderbornensibus postremæ editionis pag. 237. Ert-  
 mannus notat Wotelolfum decessisse an. 1002. 3 Non-  
 as Aprilis; alij ipsis Nonis April. anno 1003. Sed  
 hæc auctorum discrepantia erroris suspicione non  
 vacat. Anonymus noster hoc ipso anno 1002 defun-  
 ctum tradit: sed cum diem non exprimat, veri est si-  
 mile exeunte anno hominem exuisse. Ditmarus lib.  
 7. pag. 225. Nonionum & Othilulfum appellatum  
 scribit, si tamen locus non est ab amanuensis  
 corruptus.

Ibid. THETMARUS.] Venerabilis sancta Asne-  
 brugenſis Ecclesia Episcopus, servus sancti Mauricii in  
 Magdaburg, & prius utilis Moguntia & Aquisgrani  
 Præpositus, (Ditmar. l. 7.) Wotelolfi Episc. successor,  
 ordine XIII: cuius vitam & res gestas singulari vo-  
 lumine descriptas in ecclesia Collegiata S. Joannis  
 Baptistæ Osnaburgi ætate sua extitisse Erdmannus  
 testatur in MS. catalogo Episcoporum Osnabru-  
 genſium: ex qua vitæ historia refert Theymarum in pro-  
 vincia Orientalium Saxonum ortum, Magdeburgi  
 litteris moribusque bonis imbutum; Canonicorum  
 primariæ ædis numero adscriptum, sacrisque à Gisi-  
 lero initiatum, in Moguntina & Aquisgranensi deinde  
 Ecclesia Præpositi munere egregie perfunctum, à  
 Y divo



divo *Henrico* Augusto infulâ *Osnabrugensi* an. 1003 donatum fuisse; atque istic templam sancti *Johannis Baptistæ* honori anno 1011 construxisse, idque *Canonorum* sub *Preposito* ac *Decano* viventium collegio auctum, præ dijs ac vectigalibus liberaliter dotasse; vitam denique præclare sanctæque actam consimili exitu clausisse anno 1023, 17. Kal. Maji: cum annis ante obitum aliquot oculorum usu privatus, interiori oculo eò lucidius radiante, fontem totius lucis *Christum* indefesso labore contemplatus exinde fuisset, *Ditmaro* teste lib. 7. *Erdmannus* sepultum tradit in æde principe *Osnabrugæ* ante aram *SS. Crispini ac Crispiniani Martyrum*, ejusdemque *Ecclesiæ Patronorum*.

Num. XIII. Diploma *S. Henrici*, quod *Rethario* Episcopo datum hoc inciso tradit auctor, existat integrum in alterâ *Monumentorum Paderbornensium* editione pag. 236. De *Delchana* flumine consule eadem *Monumenta* pag. 49. ubi etiam *Delhina* & *Delhna* in diplomatis, ac vulgò *Dalcke* nominatum invenies.

Num. XIV. OBYIUS FUIT EPISCOPUS. ] *Diplomatis Henriciani* mentionem feci pag. 302. illud tibi integrum exhibent *Monumenta Paderbornensia* pag. 236.

Ibid. HERMANNUS DUX SUEVIÆ. ] *Hic consilia juvenum sequendo, & spem vacuam tenendo, extra se positus fuerat: plurimis interim cladibus fractus, tandem se in semetipsum recollegit, & in solennitate sancti Remigij Brusella, (oppidum est diœcesis Spi-*

Spirensis) Regi obviam venit, nudisq; pedibus cum  
 fidis intercessoribus Regi se representat, pro male com-  
 missis veniam petit, pro bonis suis per regium donum  
 possidendis gratiam querit, pro his impetrandis humo  
 tenus genua flectit. Eo tamen tenore in gratiam reci-  
 pitur, ut Argentinenſis Ecclesia ad pristinum statum ex  
 detrimentis suis per illum reformetur. Quod Herman-  
 nus non renuit, sed jussu & consultu Regis Abbatiam  
 sancti Stephani, in recompensationem detrimenti à se  
 illati, dicta Ecclesia tradidit. Hac conditione firmatâ,  
 per manus & sacramenta Regis efficitur, & sic se con-  
 tentionem male ceptam finisse letatur. Adelboldus ad  
 an. 1002. Chronicon tamen Hildesheimense ad an.  
 1003 refert, Hermannum Alemannorum Ducem Re-  
 gis potestati se subdidisse, & interventu Regina in suo  
 honore permanuisse. Sed Adelboldo fides hic potior  
 habenda, cujus etiam ad an. 1002 sunt ista: Rex à Ba-  
 varia in Franciam reversus, Frankensforti Nativita-  
 tem Domini celebrat, multorum legationes suscipit, le-  
 gatos cum muneribus & responsis dignis remittit. Her-  
 mannus etiam jam ante jugum pati nescius, eidem ce-  
 lebrationi interfuit, & ut oportuit, per omnia regia  
 majestati obediens fuit. Cetera de Hermanni Ducis  
 natalibus, conjugio, morte & successore, jam notavi  
 ad num. XI. pag. 315. & seq.

Ibid. DUCATUM BAIORIÆ DANS HEN-  
 RICO. ] Bajoariæ Ducatum cum hasta signifera  
 anno demum millesimo quarto Ratisbona adeptus  
 est Henricus Luxemburgicus 21 Martij D. Benedi-  
 cti festo, ceu Ditmarus l. 6. & Adelboldus pag. 446  
 restan-



restantur: cum jam antea rebelles fracti, *Ernestus* captus, *Bruno* Regis frater spe gratiæ recuperandæ ad *Gisela*m sororem regemq; affinem se contulisset; *Henricus* Marchio *Bertoldi* filius, rebellium antesignanus, captis everfisq; munimentis, à socijs desertus fortunisque omnibus exutus, an. 1004 *Merseburgi* more habituq; pœnitentis exeunte mense Februario Regis se arbitrio permisisset, sub militari custodia haberi iussus *Gibikensteny*, quod castrum erat in ditione *Tagmonis* Archiepiscopi *Magdeburgensis*, diversum à *Wigensteinio* quod scriptor *Annalium Boicorum* & alij inculcant. Primam igitur à fide obsequioq; Regis deficiendi occasionem causamq; hanc arripuit *Henricus* Marchio, quam *Ditmarus* & *Adelboldus* prodidere, quod sibi ducatus *Bavariæ*, quem jam olim anno 983 ab *Ottone III* Imp. administrandum acceperat, & anno sequenti *Henrico* Duci in gratiam recepto rursus cedere coactus fuerat, ab *Henrico* jam rege creatio contra pollicitationem sæpius factam negatus esset. Hinc arma in Regem an. 1003 sumpta, tractiq; in partes *Polonix* ac *Bohemix* Duces, *Ernestus* Marchio, *Sigefridus* Comes, & quod erat acerbissimum, ipse Regis frater *Bruno*, qui felicibus fratris actibus invidens, multas ei injurias inferebat: is tamen anno 1004 circa Kalend. Aprilis in oppido *Schanga* cum *Ungaricis* intercessoribus Regi presentatur, & ab eo sibi data gratia, misericorditer suscipitur: ut scribit (qui eousque cum *Tagmone* *Magdeburgensi* Regem in *Italiam* contra *Aratusnum* tendentem persecutus fuerat) *Ditmarus*

*marus* lib. 6. *Henricus* Marchio, *Godescalci* Frisingensis Episcopi intercessione è custodiâ *Gwikantemia* liber dimissus sub finem mensis Septembris eodem an. 1004, exinde *Henrico* Cæsari fidus fuit. Uxorem habuit *Gerbirgam*, *Buconem* & *Otonem* fratres. Mortem *Henrici* annotavit *Ditmarus* lib. 7. & ex eo chron. MS. Saxon. ad an. 1017. his verbis:

• *Marchio Henricus, amita meimet filius, longâ agrotatione vexatus, XIV Kal. Octobris, Orientalium decus Francorum obiit, & in septentrionali parte monasterij in Suinvorde civitate suâ positi, ab Episcopis tribus, Henrico (Wirtzburgensi,) Eberhardo (Bambergensi,) & venerabili Riculfo, extra ecclesiam, ut ipse petijt, juxta januam sepultus est. Hoc Cæsar in Misni comperiens multum doluit.* Chron. Saxon. MS. ad annum 1015: *Eila* filia *Lotharii* de *Waldbike*, mater *Henrici* Marchionis, uxor *Bertoldi* Comitis de *Bavaria*, 14 Kalend. Septembr. obiit, sepulta in monasterio, quod in *Suinvorde* ipsa construxerat. Anno 1021 *Brecislaius* *Boemia* Ducis *Odabrics* (ex *Bosena* concubina) filius, *Juditham* sororem *Otonis* de *Suinvorde*, filiam sæpe dicti Marchionis *Henrici*, de Monasterio ubi erudiebatur rapuit. *Bracislaus* Dux obiit an. 1055. 4. Idûs Januar. *Juditha* à *Spitigneo* filio expellitur, moriturq; an. 1058. 4. Non. Augusti. Chron. MS. Saxon. Idem ad an. 1047: *Otto* Dux *Suevorum* obiit: in cujus locum *Otto* Marchio de *Suinvorde*, Marchionis *Henrici* & *Gerberge* Marchionissa filius surrexit, Chron. Hildesh. eod. an. *Otto* de *Suinvorde* Dux *Suevorum* 4. Kal. Octobr. obiit, & cum parentibus suis sepelitur.



Ducatum ejus *Rudolfus de Rinvelden* obtinuit. Chron. Saxon. MS. & Ursbergens. ad an. 1057.

Ibid. BRUNO. J. Frater divi *Henrici* Caesaris, *Sigefrido* Augustano Episcopo defuncto successit anno 1006, & migravit è vitâ anno 1029 in profesto S. Georgij, ut testantur *Wippo*, Ursbergens. Chronicon Hildesheimense, Chronicon Stederburgense à *Meibomio* editum, & Auctor Annalium Boicorum parte 1. lib. 15. num. 29. & lib. 16. num. 15. ubi & epitaphium *Brunonis* descriptum invenies. Errat proinde *Bruschius*, qui anno 1009 *Brunonem* *Sigefrido* subrogatum, & anno 1031 defunctum scribit.

Num. XV. Synopsin diplomatis *Henriciani*, *Reithario* Episcopo *Corbeia* anno regni sui quarto dati, heic satis accuratam exhibet anonymus noster, ut non sit operæ pretium istas litteras denuo describere. Ceterum *Bökenvorda* pagus nunc est ditionis Colonienfis, Ducatus Westfaliz; ejus bona pars fundorum hodieque spectat ad Canonicos Ecclesiæ Paderbornensis; partem quoq; prædiorum aliquam cum vicina mola aquaria possident Comites *Retbergij*; sed in amne *Gisela* piscatus jure gaudent *Domini de Hörde* / qui in propinquo castro *Wambete* / sive *Schwarkenraben* domicilium habent: ijdem beneficio *Corbeiensis* ecclesiæ colonos aliquot istic loci obtinent; & judicio libero per constitutum à se judicem (*Vrigravium* vulgò appellant) *Bökenvorda* præsident: ijsdem annuæ ab ædituis & provisoribus redduntur rationes proventuum ecclesiæ, quæ *Ervegenslem* olim respiciebat, nunc sui juris est parochia.

Annq

Anno 1236 Ind. X. *Gerwinus de Bokenevorde* subscribitur testis in litteris *Godefridi Comitis Arnbergenfis*, quibus benefacit monasterio *Wedinghausano* Ord. Canon. Reg. S. *Norberti Arnbergæ*.

Ibid. ANNO MIX PRIDIE NON. MARTII.]  
 Ad eundem annum 1009 *Chronicon Stederburgense*: *Retharius Patherburnensis Episcopus obiit*.  
*Chronicon Hildesheimense* apud *Duchetium* tom. 3. Anno 1009 *Retharius Paderbrunnensis Episcopus secundo Nonas Martij obiit*. *Neerologium Herihense* eodem die obitum *Rethary* Episc. etiam adnotavit, ut & MS. chron. Saxoniz: in quo ad annum 992 etiam legitur *Retharius Ep. Patherburnensis*, cum undecimalis Episcopis *Halberstadensis* templi dedicationi interfuisse; velut etiam anno 1001, *Francovordensi concilio* in causa *Gandesheimensi*, auctore *Tangmaro* in vita S. *Bernwardi* cap. 25. apud *Surius*, pag 30. apud *Browerum*, Anno 1002. *Retharius Ep. Patherbrunnensis* accensetur lib 5 à *Ditmaro* & *Adelboldo* iis, qui *Henricum* recens regem electum 9. Kalend. Augusti *Mersburgi* exceperunt.  
 Anno 1005 *Posita est in loco qui dicitur Trotmummi magna Synodus, ubi Rex Episcopus & omnibus presentibus plurima questus est sanctæ Ecclesiæ inconvenientia, & communi eorum consilio hæc statuit deinceps prohiberi, & optima nova institutionis decreto gravem peccatorum sarcinam relevari. Actum est hoc decretum Nonis Julij in conspectu Regis Heinrichi, & conjugis ejus Cunigunde, & Archiepiscoporum Heriberti Colonienfis, Lieviq. nis Bremensis, Thagmonis Magdaburgens-*



burgensis; Episcoporum quoq; Suitgeri Mimigardensis, Theodorici Metensis, Bernhary Fardensis, Bernwardi Hildenesheimensis, Rethary Patherbrunnensis, Burchardi Wormatiensis, Notgeri Leodicensis, Ansfridi Traiectensis, Thietmari Asnebruggensis, Wieberti Mersburgensis: In obitu cuiusq; supra nominatorum, singuli Episcoporum infra viginti dies, nisi infirmitas impediatur, Missam pro defunctis celebrent, & unusquisq; Presbyterorum similiter faciat. Presbyteri vero forenses tres Missas peragant. Diaconi & ceteri inferioris Ordinis decem psalteria. Rex & Regina infra triginta dies, mille quingentos denarios pro anime redemptione erogent, & totidem pauperes pascant. Episcopi singuli trecentos pauperes pascant, & triginta denarios expendant, & totidem lumina accendant. Dux autem Bernhardus, quingentos pauperes pascat, & quindescim solidos expendat. Vigiliam S. Iohannis Baptiste, & Vigiliam Apostolorum Petri & Pauli, & Vigiliam sancti Laurentii, & omnium Sanctorum, in pane, sale, & aqua decernimus jejunare; Vigiliam Assumptionis sancte Mariæ, & omnes Vigilias Apostolorum, sicut in quadragesima; exceptâ sextâ feriâ ante natale Domini, quam in pane, sale, & aqua decernimus jejunare. Hucusque chron. MS. Saxon. Quæ synodalia decreta recenset etiam Carolus Stengelius noster, sed non leguntur in vulgatis Ditmari Mersburgensis editionibus libro sexto: habentur fortasse in manuscripto codice Ditmari, qui olim in Collegio S. J. Paderbornæ, nunc verò in Antverpiensi adseruatur, ceu annotavit Joan. Bollandus ad vitam

& Brunonis Archiep. & Martyris, quam ex illo chronico MS. edidit a. d. XIV. Februario, tom. 2. Anno 1007, circa Kal. Novembr. interfuit Retharius Ep. Paderborn. synodo *Francofurtensi*, & proximè post Willigisum Archiep. subscriptione sua ratam habuit institutionem Episcopatus Bambergensis, litterasque Joannis PP. hac de re datas, quas vide in vita S. Henrici cap. XI, & quæ Gretserus notavit ibidem ad cap. 12.

Ibid. SABBATO ANTE INVOCAVIT. ] Atqui prima dies sabbati post diem Cinerum incidit anno 1009 in quintam Martij: decesserit igitur Retharius primâ Dominicâ Quadragesimæ, si dies obitus rectè consignatus est prid. Non. Martij. Sed alius morosius calculos hosce subducit.

Num. XVI. SUMPTA CHIROTHERCA. ] Ivo Episcopus Carnotensis Epistolâ 35 Hugoni Lugdunensi Archiep. inscriptâ, in MSto Hardehusano: Post canonicam electionem, Reges ipsos autoritate Apostolicâ à concessione Episcopatum prohibitos minime videmus . . . . . Quæ concessio sive fiat manu, sive nutu, sive lingua, sive virga, quid refert? cum Reges nihil spirituale se dare intendant, sed tantum votis petentium annuere, aut villas ecclesiasticas & alia bona exteriora, quæ de munificentia Regum obtinent Ecclesie, ipsis electis concedere. Idem in Epist. I Joanni Lugdunensi Archiep. nomine Antistitum Senonensis provincie scriptâ: Si congrua volumus rebus nomina dare, possumus dicere; quod manualis illa investitura per laicos facta, alieni juris est invasio, & sacrilega præsumptio: quæ



que pro libertate Ecclesie & honestate, salvo pacis vinculo, si fieri potest funditus abscindenda est. In Anglia investitura Episcoporum & Abbatum anno 1107 in eunte mense Augusto *Lundonia* in palatio Regis Henrici, in Procerum conventu abrogatae sunt, ceu tradit *Eadmerus lib. 4. cap. 3. n. 36* in vita S. Anselmi nostri Cantuariensis Archiep. Verba Eadmeri sunt ista: *Dehinc, presente Anselmo, astante multitudo, annuit Rex & statuit, ut ab eo tempore in reliquum, numquam per dationem baculi Pastoralis vel annuli quavisquam Episcopatu vel Abbatia, per Regem vel quamlibet laicam manum, investiretur in Anglia. Quibus ita dispositis, penè omnibus Ecclesiis Angliae, quae suis erant Pastoribus diu viduata, per consilium Anselmi ac Procerum regni, sine omni virgae Pastoralis aut annuli investitura, Patres à Rege sunt instituti. Vide Matthaeum Westmonasteriensem, & Florentium Wigorniensem nostros, ad an. Christi 1107.* Imperatores nostri aliquanto serius investituris renuntiaverunt, anno nimirum MCXXII, nono Kalendas Octobris, frequentibus comitijs in *Lobovisen*, haud procul *Wormatiâ*. Tabulas cessionis non sic passim obvias ex A. Buchelij notis ad Wilhelmum Hedam p. 154 hic subijcio: *In nomine sanctae & individuae Trinitatis. Ego Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus. Pro amore Dei, & sanctae Rom. Ecclesiae, & Domini Papae Calixti, & pro remedio animae meae, dimitto Deo & sanctis Dei Apostolis Petro & Paulo, sanctaeq; Catholicae Ecclesiae omnem investituram per annulum & baculum; & concedo in omnibus Ecclesijs*

eleſijs qua in regno vel imperio meo ſunt, canonicam  
 fieri electionem, & liberam conſecrationem, poſſeſſiones  
 & regalia S. Petri, qua à principio huius diſcordia usq;  
 ad hodiernum diem, ſive tempore patris mei, ſive etiam  
 meo ablata ſunt, qua habeo, eidem & eccleſia reſtituo:  
 qua autem non habeo, ut reſtituantur fideliter curabo.  
 Poſſeſſiones etiam omnium aliarum Eccleſiarum &  
 Principum, & aliorum tam Clericorum quam Laico-  
 rum, qua in guerra iſta amiſſa ſunt, conſilio Princi-  
 pum vel iuſtitia, qua habeo, reddam; qua non habeo, ut  
 reddantur fideliter iuvabo. Et de veram pacem domi-  
 no Papa Calixto, ſanctæ Romane Eccleſie, & omni-  
 bus, qui in partibus eius ſunt, vel fuerunt. Et in quibus  
 S. R. Eccleſia auxilium poſtulaverit à me, fideliter ju-  
 vabo, & de quibus mihi fecerit querimoniam, debitam  
 ſibi faciam iuſtitiam. Hac omnia acta ſunt conſenſu &  
 conſilio Principum quorum nomina ſubſcripta ſunt:  
 Adelbertus Archiepiſcopus Moguntinus. Fredericus  
 Archiepiſcopus Coloniensis. Hartovicus Ratiſbonenſis  
 Epicoſus. Ono Babenbergensis Ep. Bruno Spirensis Ep.  
 Hermannus Auguſtenſis Ep. Godobaldus Traiectenſis  
 Epicoſ. Odaticus Conſtantiensis Epicoſ. H. Fuldenſis  
 Abbas. Henricus Dux Bavariae. Fredericus Dux Sue-  
 vie. Bruno Dux Saxonie. Dietboldus Marchio Cam-  
 brienſis à Vöchtburg, Godefridus Palatinus Comes Rhe-  
 ni. Otto Palatinus Comes à Wittelſbach. Engelbertus  
 Marchio Iſtrie. Berengarius Comes Habsburgi. Theo-  
 doricus Comes Montis Bellicardi, & aly quam plures.  
 Videſis etiam Chron. Ursbergen. & Hildeſheimenſe  
 ad an. 1122. Ipſe vidi Diploma Henrici Quarti Impe-  
 ratoris,



ratoris, datum anno 1123. Indiēt. 13. apud Lobvvisen, quando dominus Imperator annulum & baculum remisit durante adhuc eo anno. De loco Lobvvisen consule Gerohum in Syntagmate pro Gregorio VII. cap. 25. pag. 58. Rem hanc tractat Meibom. in opusculis, sed odio Rom. Pontificum, *cenfuris agitur Orestes.*

Ibid. DOMINICA QUADRAGESIMÆ SECUNDA.] Quæ anno 1009 incidit in decimam tertiam diem mensis Martij. Evangelium *de muliere Chananaea* hodieque pro concione explicatur apud nos Dominica secunda Quadragesimæ: tamen in officio Romano legatur feriâ quintâ antecedentis hebdomadæ.

Num. XVIII. Quæ toto hoc inciso referuntur ab Anonymo, ea sublecta sunt ex actis *S. Heimeradi*, quæ hic edita à me habes pag. 231. & seqq.

Num. XX. ANSFRIDUS TRAJECTENSIS EP. AD CÆLESTEM VITAM SUSTOLLITUR.] *Ansfridus* Comitis *Ansfridi* filius, sub *Rodberto* Trevirensi Archiepiscopo patruo suo optimis moribus, ac disciplinis institutus, militiæ primùm nomen dedit: deposito deinde militari cingulo, clericali ordini adscriptus est, ac defuncto anno 995 *Baldrico* Trajectensium Episcopo successit, obiitque an. 1010, ut habet Lamb. Schafnab. chronicon Hildesheimense apud Duchesnium, & chron. MS. Saxonix, in quo de morte *Ansfridi* hæc leguntur ad annum 1010: *Ansfridus Episcopus Trajectensis . . . à natali Domini usq; ad Inventionem sanctæ Crucis infirmabatur . . . . . sacrâ Viatici perceptione munitus . . . . . & multum.*

rum in sancta Dei genitricis intercessione, cui se suaq;  
 dederat, confisus, tamdiu signaculo crucis sese signavit,  
 quoadusq; dormiens in pace mente simul & manu quie-  
 vit. Alij tamen scribunt anno 994 Episcopum ele-  
 ctum, & anno 1008, die S. Crucis inventioni sacrâ,  
 V. Non. Maji decessisse. Uxor Ansfredi *Hilsundis*,  
 (aliis *Hilsuindis*, *Hilzondis* & *Hersuit* dicta,) cœno-  
 bium in alodio suo *Thorne* construxit eique *Benedi-*  
*ctam* filiam præfecit sub Regulâ S. *Benedicti*, (quam  
 hodieque Abbatissæ profitentur) tabulas fundatio-  
 nis recitat A. Miræus in Diplom. Belgicis lib. i. cap.  
 24. *Beatus* verò *Ansfridus* constructo cœnobio S. *Pauli*  
*Apostoli* prope *Amersfordiam* in monte sancto, sub pro-  
 fessione S. *Benedicti*, ubi & religionis *Monastica* habi-  
 tum suscepit, & usq; in finem vita in sancto proposito  
 perseveravit. *Wilh. Heda*. Diploma foundationis in-  
 tegrum exhibet *Arn. Buchelius* in notis ad eundem  
*Hedam* pag. 106 in *Anfrido* 18 Ep. *Traject.*

Ibid. *WILLIGISUS*. ] Obijt 1011. 23. Febr.  
 ejusque successor *Erkenbaldus Fuldensium Abbas* à  
 S. *Bernwardo Hildenesheimensi Episcopo* Kalendis  
 Aprilis est consecratus. *Lambert. Schafnab. Chron.*  
*Hildesheimense* & *Stederburgense*, &c.

Ibid. *BERNARDUS PIUS DUX*. ] *Rex* nata-  
 lem Christi *Frankonæ* vord celebravit, & in capite *Je-*  
*runy* (7. Febr.) *Corbeiam* venit. ibi *Bernhardus pius*  
*Dux* Vld. *February* obiit, in *Luniburch Cœnobio* beati  
*Michaelis* magno exequiarum planctu sepultus, quod  
 ipse à fundamento construxerat, & in quo *Monacho-*  
*rum congregationem* adunaverat: post quem filius ejus  
 Benno



*Benno Ducatum obtinuit. Chron. Hildesheim, ad an. 1011, & MS. Saxoniz, in quo hæc adduntur: Mortuo (9. Febr.) Duce Bernhardo, filius ejus Bernhardus in Ducatu successit. Hujus frater erat Thietmarus Comes, qui interfectus est postmodum in duello coram Heinrico Imperatore. Octavo decimo die mortis supradicti Ducis mortuus est Ludigerus frater ejus, & eodem anno Hildigardis Ductrix obiit: Machtildis quoq; Abbatissa filia Ludolfi, filij Ottonis Magni Imperatoris. Si octavo decimo die Ludigerus Comes moriendo secutus est Bernardum fratrem, satis negliger substituit anonymus nolter 4. Kal. April. pro 4. Kal. Martij.*

*Ibid. EMMA.] Adamus Bremensis lib. 2. c. 32. Benno Dux Saxonum obiit, & Ludgerus frater ejus, qui cum uxore sua venerabili Emma Bremensi Ecclesie plurima bona fecit. Quæ verba descripsit Albertus Stadenſis ad an. MX. Adamus Bremensis iterum lib. 2. cap. 49. Libentij junioris tempore Bernardus Dux & frater ejus Theotmarus, exhortante piissima Emma, quæ Ecclesiam valde dilexit, Bremensi Ecclesie multa bona fecerunt, suumq; thesaurum Deo & genitrici ejus sanctoq; Willehado Confessori, eadem Emma ferè totum obrulit. Eadem prorsus ad an. 1032. habet Alb. Stadenſis: neque tamen vel Adamo, vel Alberto in hac tautologia in mentem venit, Emmam sororem Meginoverki Ep. Paderb. fuisse. Demum igitur veniam anonymo quoque nostro, si Emmam semel nominans, sororem Meinverci eam fuisse non continuò meminit. Qui Archiepiscoporum Bremen-*

Bremenſium & Hamburgeniſium ſeriem digeſſit in ſine MS. codicis, (quem *S. Vicelinus* olim cum Reliquijs *SS. Willehadi, Anſgarij & Remberti*, dono dedit *Hamuconi* Abbati Abdinghoffenſi,) hæc in *Alebrando* adnotavit: *hujus anno quarto piſſima ſenatrix Emma obiit*. Adamus, in *Alebrando* lib. 2. cap. 60, & qui cum ſublegit *Stadenſis* ad an. 1042, iisdem verbis rurlum ſcribunt: *In diebus illis nobiliſſima ſenatrix Emma obiit, uxor quondam Lindgeri Comitis, & ſoror Meginwerki Episcopi Paderbornenſis, ſed vidua jam per annos quadraginta: qua ingentem theſaurum quem habuit, totum ferè pauperibus & Eccleſiis diſperſit, cujus corpus in Bremenſi quieſcit Eccleſia, anima vero gaudet in caeſti requie*. In *Necrologijs Paderbornenſibus*, quæ *Meinwerki* parentum, fratris ac ſororis *Glismodis* Comitiffæ nomina diligenter annotata conſervarunt, nulla *Emma* Episcopi *Meinwerki* ſororis memoria extat; ſed neque dies obitûs *Emma*, tam bene de Eccleſia Bremenſi meritæ matronæ, apud Adamum aut Alb. *Stadenſem* conſignatus reperitur: memini tamen alibi legiſſe 26 Februarij vita exceſſiſſe *Emmam*, & quidem anno 1041. Sed num hæc eadem ſit ſoror *Meinwerki*, quamque laudat *Krantzius* lib. 4. *Metropol.* cap. 26, & in prætermiſſis ad primam diem Aprilis *Continuatores Bollandi*, & in *Appendice* ad diem 19. Aprilis pag. 963 *Daniel Papebroehius*, affirmare ſine veteri teſte non audeo. Nam Adamo homini extero fidem in omnibus habere tutò ideo non poſſum, quod & cap. 51. *Brunonem* Archiepiſcopum *Colonienſem*



Ottonis I filium, & *Emmam* hanc lib. 2. cap. 60 quãdraginta annorum viduam facit: cùm tamen *Lindgerius* maritus ejus omnium consensu defunctus sit anno millesimo undecimo.

Num. XXI. Diploma Henrici anno MXI, IV. Id. April. *Tribura* datum, recognovit *Guntharius Can-cellarius*, ad vicem *Erkanbaldi*, ex Abbate Fuldensi Archiepiscopi Moguntini, Indict. IX. *Tribura* villa olim regia, (nunc *Ereber*) sita fuit inter Rhenum & *Mœnum* fluvios, haud longè à pagis *Langen* & *Gerau* in dicecesi Moguntinã: locus portæ vicinus hodieque dicitur *Hövestat* / at veteris palatij vestigiã non supersunt ulla. Pagus nunc est ditionis *Hassiacæ Darmstadt*. Vide M. Freherum notis ad cap. 3. *Lupoldi Bebenburgij*. Porro *Haoldum* hunc, cujus Comitatus *Meinverco* concessus hic memoratur, *Haoldi* illius filium esse opinor, qui *Ottonis Magni* ætate anno 952 illustre Virginum collegium *Geseke* se condidit. Comitatus *Haoldini* maximam partem, Episcoporum *Paderbornensium* beneficio, possident hodie Comites *Lippienses*, & sunt præcipui nominis in illorum ditione nunc oppida *Lemgo* via & *Dehmoldia*. Integrum Regis *Henrici* diploma, habes in Monumentis *Paderbornensibus* pag. 46. edit. postrem.

Ibid. HELMVVARDESHUSUN, ] Illustrè olim instituti nostri Monasterium, conditum infra confluentes *Visurgis* & *Dimelæ* ab *Ekkihardo* Comite & *Machtilda* ejus conjugè, anno Christi millesimo, ceu tradit chron. MS. Saxoniz. Conditorum nomina

Domina conservavit Dyptycha Corbejensia, ut & primorum ejus loci Abbatum *Hausfi, Winonis, Alberici, Thietmari, Berthgeri, Thietmari II, Reinboldi, Atholfi, Vulgeri, Conradi, Reinhardi, Wirini, Arnoldi, Henrici*. Dedicatum est templum *Helmwardeshusanum* à *Meinwerco* Episc. an. MXI die quintâ Junij, non verò anno MX, ut notat *Godefr. Henschenius* ad *Translat. S. Modoaldi* 12. Maij tom. 3 lit. f. Oppidum *Helmershusen*, ut contractius vulgò exprimitur, cum Imperiali Cœnobio est hodie in ditio-  
ne *Landgravorum Hassiæ*: at nunquã fuit in territorio *Brunsvicensi*, ut in *Scholijs* p. 207. *Browerus*. adeo verum est, quod de *Trithemio* ipse alibi scripsit:

*Non semper feriet quodcumq; minabuntur arcus.*

Anno 1085 *Reinhardus Mindensis* Episc. *Helmwardense* monasterium regulari professione ingreditur, & *emulus* ejus *Volcmarus* Episcopatum obrinnit: sed idem *Reinhardus* non multo post in Episcopatum suũ regressus est. *Chron. MS. Saxonix* D. *Johan. Mabillon. Rupertus* Abbas *Tuitiensis* prologo in VI. posteriores Prophetas laudat *Reginhardum Priorem Helmwardeshusensis cœnobij* velut scribam doctum, & sacrarum scripturarum fidelem alumnũ. Ubi in vulgatis *Rupertus* editionibus perperã legitur *Helmwardes. Busensis*. Quo typothetæ errore deceptus *Dn. Gabriel Gerberon* noster part. I. *Apologia* pro *Ruperto* p. 29. *Egmhardum Priorem Busensis Cœnobij* appellat. Cetera de hoc Cœnobio dicentur in notis ad num. XLII.

Num. XXII. *LUBENTIUS*] *Ditmaro* dictus *Lievi-*  
20; in MS. *Abdinghofensi* appellatur *Liuvin* 20 se-



mor, est in Bremensium Archipræsulum serie undecimus, obiit anno 1013 *pridie Non. Januarij*, ut Anonymus noster & Albertus Stadenfis. In Ditmaro lib. 6. mendosè legitur decessisse *secundo Non. Februarij*. cum Ditmarus ibidem scribat Henricum Regè *Lievizonis Antistitis obitum Mersburgi comperisse*, posthac *Magdeburgum profectum*, ibique secunda die Februarij rejecto *Oddone* successore destinato, *Unvvanum* Capellanum suum atq; Canonicum Paderbornensem *clarissimo Immedingorum genere oriundum*, in Cathedrâ Bremensi subiogasse, quam tenuit annis 16. & diebus 24. dimisitque eum vitâ an. 1029. 27 Januarij. *Lubentius* Archiep. laudatur hoc nomine ab Adamo & Alberto Stadenfi ad an. 988. quod *distriçtissima regula omnes congregationes suas custodierit*, & *in claustro sicut unus fratrum vixerit*; *Unvvanus* contrâ memoratur ab iisdè *primus omnium congregationes ad canonicam traxisse regulam, quæ antea quidem mixtâ ex Monachis & Canonicis conversatione debebant*.

IBID ALTARE IN HONORE S. LIBORII PATRONI SUI CONSTRUXIT.] Nempe erat *de choro Paderburnensi assumptus*, eamq; ob caussam veteris *Patroni sui* cultum Brema propagavit. Fuit autè *S. Liborius* non *Paderbornensis*, (ut falsò *Krantzius* scripsit in Saxonia sua lib. 2. c. 16.) sed quartus *Cenomanensium* in Gallia Pontifex, obiitq; sanctissimè divo *Martino* Turonensi præsentè sub annum Christi 383 die 23 Julij, tametsi in die obitus designâda varient scriptores. Sacrum ejus corpus an. 836 com-

B. MEINWERCI. 339

commendatione Ludovici Py Imp. à Baduradi Ep.  
legatis ab Aldrico Cenomanensium Ep. impetratum,  
28 Maij Paderborne illatum est, urbisq; illius ac dice-  
cesis præcipuus exinde Patronus habitus cultus que  
in hodiernum diem. Divi hujus patrocinium cum  
in varijs morbis, tum in arenarum & calculi præser-  
tim doloribus medendis mirificè inclaruit. Liceat  
mihi hoc loco inserere versus planè aureos, quos ta-  
bula argentea incisos, cum ingentis pretij supellecti-  
li sacra, ipsiusque Sancti statuâ ex argento affabrè fa-  
ctâ in Cathedrali suo templo Paderbornensi an 1681  
die 15. Febr. ex voto obtulit Reverendiss. & Celliss.  
Princeps Ferdinandus Episc. Paderborn ac Monast.

S. LIBORIO

EPISC. ET. CONF.

ARENARVM. ET. CALCULI. DOLORIBVS  
CONFLICTANTIVM. PRÆCIPVO. APVD  
DEVM. ADVOCATO

FERDINANDVS

DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA  
EPISC. PADERBORN. AC. MONAST. BVRGGRAV  
STROMBERG. S. R. I. PRINC. COMES. PYRMONT  
DOMINVS. IN. BORCKELO. ET. LIB. BARO  
DE. FVRSTENBERG  
VOT. SOL. AN. MDCLXXXI

SALVETE. O. SACRI. CINERES. SAL-  
VETE. LIBORI  
PRODIGIIS. CELEBRES. GRANDIBUS  
EXUVIÆ

Z 2

GALLIÆ



GALLIA. VOS. OLIM. CENOMANIS  
 MISIT. AB. ORIS  
 NVNC. COLVMEN. PADERÆ. PRÆSI  
 DIVMQVE. MEÆ  
 VOS. EGO. VOS. SVPPLEX. VENEROR  
 TV. QVÆ. DAMVS. ARÆ  
 MVNERA. \* TV. NOSTRAS. ACCIPE  
 DIVE. PRECES  
 NE. FESSVM. MORBO. POSTHAC. ME  
 TENTET. ACVTO  
 CALCVLVS. AVT. RENES. URAT  
 ARENA. MEOS  
 HIS. TE. NAMQUE. MALIS. MIRA  
 VIRTUTE. MEDERI  
 MVLTA. DOCET. SACRIS. FIXA  
 TABELLA. THOLIS  
 TVNC. MEA. MVSA. TVOS. LATE  
 CELEBRABIT. HONORES  
 SVPLICIBVS. FACILEM. SÆPE  
 FERENTIS. OPEM  
 TVNC. MIHI. LÆTA. FLVENT. NIVEIS  
 SIGNANDA. LAPILLIS  
 TEMPORA. TVNC. CVLTVS. CRE  
 SCET. VBIQUE. TVVS

\* Ea sunt prima magnitudinis candelabra sex, cum Christi crucifixi effigie & statua S. Liborij, ex solido argento omnia; quæ pretium octo millium Imperialium nummum facile excedunt. Sunt & alia id genus munera argentea Hamburgi sub artificis manu tantumdem ferè valitura. Anno 1267 (non verò 1277, quem J. Bollandus exprimit in Comment. historico actis S. Liborij præmisso § 5 num. 32.) *Wernerus Archiep. Maguntinus visitans Reliquias S. Liborij in Paderborne, meritis ejusdem Sancti, ibidem à calculo liberatus est.* Gobel. Perlon. et 6. cap. 67. Anno 1646, die 9 Junij S. Liborij cultus propagatus est in Umbria per *Peregrinum Carlenum Amerinum* Abbatem illatis Ameriam S. Liborij Reliquijs. Anno 1651, exeunte Junio, Illustriss. & Reverendiss. D. *Theodorus Adolphus* Episc. Paderborn. per R. Mum. & Illustr. D. *Hermannum Wernerum Baronem Wolff Metternich ex Gracht, Cathedr. Eccles. Paderborn, tunc Canonicum, nunc Decanum*, transmisit Sereniss. Electori *Maximiliano* utriusq; Bavariæ Duci diu expetitam de cranio S. Liborij particulam, adeo salutari effectu, ut desperatam à medicis sanitam cessante illico calculi dolore quo conflabat acutissimo, recuperaret, ac rem hanc prodigiosam in acta juberet referri. Anno MDCLXXIX Kalendis Aug. *Illustriss. Bonvisius Archiep. Thessalonicensis & Nunnus Apostol. Vienna*, impetravit à Celsiss. Princ. & Ep. Paderborn, & Monaster. *Ferdinando* S. Liborij Reliquias in templo S. Caroli Neapoli reponendas, co fructu, ut plures gravissimis morbis affecti illic pristina restituti sint.



fanitati: ut *Joan. Matthæus Paravicinus Collegii S. Caroli Congr. Regni S. Pauli Neapoli Præpositus* litteris suis an. 1681. 7. Kal. Febr. ad Celsiss. Princ. *Ferdinandum* datis luculenter attestatur. Circa idem tempus missis quoque Reliquiis ad Ill. Com. Michælem Casoni in æde *S. Mariae de Vineis Genuensi* in urbe locandis, idem Princeps cultum *S. Liborii* latius amplificavit.

Num. XXIII. EVERHARDVS. *JS Henricus Imperator tria Bambergæ templa construxisse legitur; primum Cathedrale SS. Apostolis Petro & Paulo ac S. Georgii M. dicatum, consecratumq; anno MXI, ut ex Hoffmanni Annalibus Bambergensibus asserit Gretferus in notis ad cap. 23. vitæ S. Henrici; vel anno MXII, ut Chron. MS. Saxonæ, Gobelinus & plerique alij recentiores; vel an. 1013 pridie Non. Maij, ut Anonymus noster. De hac dedicatione Ditmarus hunc in modum scribit lib. Chron. 6: *Peraclâ in civitate Bavenbergensi Ecclesia majore, cum natalitius Regis dies esset, & trigesimum quintum jam inciperet, secundo Nonas Maij. omnis primatus ad dedicationem istius aulae ibidem congregatur: & sponsa hac Christi per manus Joannis Patriarchæ de Aquileia, & aliorum plus quam triginta Episcoporum dedicatur. His ego peccator interfui.* Marianus quadraginta sex Pontifices, Chron. MS. Saxon. triginta sex, Gobelinus triginta huic celebritati adfuisse refert. Fallitur autem Agnallium Boicorum scriptor, dum lib. 15. num. 36. ad an. MXII scribit, eadem occasione templum *D. Benedicto* sacrum in monte *Monachorum* fuisse consecratum: cum illud anno demum 1015 post reditum ex Italia*

Italia

Italia, recuperatamq, Divi Benedicti ope sanitatem, Imperator sanctus exstruere cœperit. Errat quoque Leo Ostiensis in Chron. Casinensi lib. 2. cap. 46. templum *S. Georgij* à Benedicto P. M. consecratum scribens: nam anno MXX, ut Hermannus Contractus, sive ut Lambertus Schafnab. & Conradus Ursbergens. an. 1019, *Benedictus Papa Babenberg veniens Ecclesiam sancti Stephani dedicavit, in meridiana parte civitatis, sub ordine Canonico.* Denique an. 1021. *Eberhardus* Episc. Babenbergens. dedicavit tertium templum in monte, in honorem *S. Michaëlis & S. Benedicti*, præsentibus Archiepiscopis *Aribone* Moguntino, & *Piligrino* Colontensi, pluribusque alijs Episcopis. *Urspergen* ad an. 1021. *Vita S. Henrici* c. 6. Num. XXIV. *SUITGERUS*] *Adi Dittmarum Merf-burgen.* lib. 8. pag. 248. edit. Mader. ubi etiam *Suitgerum* rebus humanis exemptum scribit decimo anno regni S. Henrici, 13. Kal. Decembr. Acta beati hujus Antilitis edidit *Albertus Bötchorst* Monast. Westph. Agunt de eodem *Ertmannus* in Chron. MS. Osnabrug. *Bernardus Wutius* in MS. Chron. Westphaliae, *Crantzius* Metrop. lib. 3. cap. 35. *Cratopolius*, *Cleinsorgius*, *Fabritius* in Origin. lib. 2. De B. *Suitgero* leguntur hi versus:

*Gaudet Svedevi meritis devotio Cleri,*

*Regnas in calis pastor Svedere fidelis.*

Sepultus est *Monasterij* in veteri æde *S. Pauli*, ubi in ara majori visitur ejusdem statua, lævo humero par gestans turturum: imagini ejus subscripti sunt hi versus:



*Omni pollebat virtute, bonisq; virebat  
Sanctus Suederus, in mundo providus herus;  
Præmia virtutis tenet hic modo regna salutis.*

Obijt, teste Boi. horstio, anno 1013, alij tamen defun-  
ctum volunt an. 1012. Chron. MS. Saxon an. 1011.

Ibid. THIEDRICUS ] Hunc *Ditmarus* lib. 7. pag. 213. & lib 8 pag 248 *matertera sua filium* appellat: diversusque videtur à *Thiedrico* illo, quem *Ditmarus* lib. 6 pag. 165. 169 & lib. 7 pag. 189. *nepotem suum* nominat, communiq; electione memorat designatum Archiepiscopum Magdeburgensem post *Waltherdum* an. 1012 prid. Id. Augusti mortuum: cujus tamen electionem *Henricus* Rex noluit habere ratam, sed *Geronem Capellanum* suum Magdeburgensæ Ecclesiæ, præviâ Cleri electione, 22. Sept. præfecit: *Thiedrico* *Geronis* vice deinceps habito, ceu tradit cit. lib. 6. pag. 169 *Ditmarus*. *Theodorico* Monasteriensi Episc. cognomen fuit *Bonus Are*: quam ob causam non desunt, qui materteram *Ditmari* nuptam velint *Comiti Arensi*. Situm verò fuit castrum & comitatus *Are* ad cognominem fluvium, qui infra *Sinciacum* oppidum, ex adverso urbis *Lintz*, se *Rheno* jungit. Vetus castrum *Are*, in confinio *Ubiorum*, ruderebus dudum suis sepultum, Comitum olim illustrium *Coloniensi* Ecclesiæ obnoxiorum sedes fuit: quorum posteri *Nuenara* Comites se dixerunt. Ex hac familia, præter *Thiedricum* hunc XII. Episc. Monasteriensem, originem traxerunt *Robertus de Are*, 19. *Abbas Prumiensis*, d. functus an. 1068; *Theodoricus de Are*, militaris & reip. utilis celebratus in Chron. MS. Saxon.

Saxon. ad an. 1115; *Gerhardus Comes de Are* in litteris *Philippi Colon. Archiep.* datis an. 1169, & *Otonis IV.* diplomate an. 1204. *Adolpho Colon. Archiep.* concessio nominatus, cit. Apolog. parte 2. pag. 6. & 9. *Theodericus de Are* 32. Episc. *Ulirajectensis*, qui obiit an. 1212 Nonis Decembris; *Theodericus de Are filius Gerhardi Comitis* in litteris adductis à Buchelio pag. 189. & 190. *Ludovicus de Are Monachus Heisterbac.* apud Cæsar. Heisterbacen. qui obiit anno 1220. 31 Martij. Et *Gerhardus Comes de Neuvvenare* an. 1257. 26. Maji in diplom. *Richardus Regis Romanorum* cit. Apol. pag. 16. Caterum *Theodricus Monasteriensis Ep.* obiit an. 1022. 10. Kal. Februarij. Hostilia passus est ab *Herrimanno Comite Gerbergæ filio*, Ditmar. lib. 7. & ab *Henrico Comite Hermannis filio*, Ditm. lib. 8. *Kersbrochius Theodoricum Ep.* Liesbornensis Comitibus filium; *Tympius* verò Monachum Liesbornensem, nullo veri colore fuisse fingunt.

Num. XXV. CASTELLUM GRUONA ] Regiam olim & Palatini sedem frustra quæras in *Thuringia*, vel ad ripam *Visurgis*, sed in diocesi Hildesheimensi ad fluvium *Loinam* sive *Leinam*, olim in pago *Loinga* sive *Logingaba*. Vide S. Godehardi Acta 4. Maji tom. I. apud God. Henschenium & Dan. Papebrochium cap. 4. num. 24.

Ibid. POSTERITAS ] Hos versus à Browero omisso rex autographo restitui.

Num. XXVI. ISMAELEM DUCEM. ] Nonnosius in Actis S. *Heinrici Imp.* cap. 22. scribit *Ismaelem Ducem Bambergæ* mortuum, & in capitulo majoris monasterii



*nasterij sepulchrum.* Eodem cap. leges prodigiosam calculiurationem: & apud Leonem Ostiensem lib. 2. cap. 43. in edit. Angeli de Nuce.

Num. XXVII. ALBUM AMBULATOREM. ] Asturconem, toltarium equum, cujusmodi Itali *Chineam* appellant, qualis hodieque in pervigilio SS. Apostolorum Petri & Pauli, Pontifici Maximo à Rege Hispaniæ, velut S. R. Ecclesiæ vasallo respectu utriusque Siciliæ, cum aureorum aliquot millium canone quotannis offertur. Hoc incisum lucem quoque accipiet à Leone Ostiensi in Chron. Casinen. lib. 2. cap. 46. cui tamen refragatur Ditmarus principio lib. 7. scribenti in Chron. cit. lib. 2. cap. 31. S. Henricum imperij insignia accepisse à Benedicto PP. die S. Marci, in quem eo anno inciderit Pascha: cum Ditmarus id factum velit 6. Kal. martij die Dominica: quod ipsum tamen non probatur alijs, qui feriam 4. Kalendis istis attribuunt: cum an. 1014 littera Dominicalis fuerit c.

Ibid. S. MINIATIS ] Militis ac Martyris, cujus Acta Surius refert a. d. 25. Octobris, in quibus sub *Deio Imp.* passus legitur *Florentia*, ut Browerus jam observavit.

Num. XXIX & XLVIII, S. ALEXI. ] *Meinwvercus* votum istud anno 1014 *Romæ* concepit, verum quandonam exsolverit, nusquam annotatum reperi. facellum S. Alexij dedicavit *Meinwvercus* 13. Kal. *Februarij*. Huic adjunctum olim fuit angustum habitaculum sive cellula, in qua inclusus fuit more illius ætatis haud infrequenti *Paternus Monachus & Sacerdos Abdinghoffensis*, gente Scotus: is annis aliquot  
rigi-

rigidam istic vitam sanctamque duxit, donec anno 1058 Cœnobium moderante *Egilberto* Abbate tertio, tota urbs *Paderbornensis* & cellula una cum habitatore suo *Paterno* tristi incendio consumeretur. Rei historiam *Celsiff. Princeps Ferdinandus* ex autographo *Mariani Scoti* Chronico, quod in Vaticana Bibliotheca nunc adservatur, olim descripsit in hunc modum: Anno *MLVIII* *Podelbrunna* civitas cum duobus Monasterijs, idest, *Episcopatus* & *Monachorum* feria sexta ante *Palmas* igne consumitur. In Monasterio autem *Monachorum* erat *Paternus* nomine *Monachus* *Scotus*, multiq; annis inclusus, qui etiam combustionem pronuntiabat. Hic ambiens martyrrium, pro nullo foris exiit, sed in sua clausula combustus, per ignem pertransiit in refrigerium: de cuius etiam sepulcro quædam bona narrantur. Ipsi vero statim diebus feria secunda post *Octavas Pasche*, exiens de *Colonia*, causa claudendi cum *Abbate Fuldensi* ad *Fuldam*, super matam in clausula ipsius, ubi supra eandem matam combustus & passus est, ego oravi. Hæc *Evliobius Marianus*. In *Necrologio Abdinghoffensi* ad diem *XIII Aprilis* hæc leguntur: *Obijt Paternus* inclusus *Monachus* nostræ congregationis anno 1058. reputatur *sanctus*. Agit de *B. Paterno* *Daniel Papebrochius* decima die *Aprilis* tom. 1. *Sacellum S. Alexij* è rudibus denuo excitavit *Henricus VI.* in ferie *Abbatum Abdinghoff*, 39. is anno 1670. 14. *Julij*, primum lapidem pro novi sacelli structurâ posuit, elegantique opere absolutum, an. 1673 die *S. Alexio* sacro 17 *Julij* dedicavit *Reverendiss. & Celsiff. Ep. & Princ. Paderborn*



born, *Ferdinandus*: qua de re idem *Henricus* Abbas commentariolum typis vulgavit, cum hocce titulo *Monumentum S. Alexii Conf. sacrum.*

Num. XXX. *CLUNIACUM*] Abbatia est illustris in Ducatu Burgundiæ, ad amnem *Grosne*, 4 leucis à *Matiscone* Episcopali civitate in occatum distans, caput *Ordinis Cluniacensis*, exemptum à jurisdictione Episcopi *Matisconen.* vid. *Concil. Trident. Sess. 25. de Regular. cap. XI.* Hoc cœnobium religione celeberrimum an. 1014 moderabatur *S. Odilo*, cui *D. Henricus* Imp. obtulit insigne illud imperiale, quod præceperat *Benedictus PP.* fabricari quasi aureum pomum atq; circumdari per quadrum pretiosissimis quibusq; gemmis ac auream desuper crucem inseri, instar speciei hujus mundanae molis, qua in quadam rotunditate consistere prohibetur: ceu testatur *Glaber Rodulfus* histor. lib. 1. cap. 5. non vero lib. 2. in fine, ut citatur ab Auctore *Annal. Boicorum* parte 1. lib. 15. num. 36. *S. Odilo* dum famas valida *Aquitania* fines vehementer affligeret, exhaustus jam in pauperum usus araxis & horreis, mox etiam plurima sacrarij vasa confregit, insignia Ecclesie ornamenta distraxit, *CORONAE* quoque, quam sibi Imp. *Henricus* ob sui memoriam destinaverat, non pepercit. *Petrus Damiani* in vita *S. Odilonis* apud *Surius* tom. 1. cap. 3. *Nonnosius* quoq; in vita *S. Henrici* c. 26. donum *Oasloni* oblatum appellat *coronam auream pretiosissimis gemmis adornatam*: non aliam utique quam à *Benedicto PP.* acceperat: nam priorem regiam coronam super *Altare Principis Apostolorum* suspendi præceperat *S. Imperator*, ut habet *chron. MS. Saxo.* ad an. 1014. Ibid.

Ibid. MEINWERCUS XIII. FRATRES PETIIT ]  
 Vide Gobel. Cosinodr. atar. 6. c. 52 p. 210. Brower-  
 us in scholijs pag. 208 & seq. castigat Crantzium,  
 quod *S. Henrico* hanc Monachorum deductionem  
 attribuerit: idem meretur Annalium Boicorum au-  
 ctor, qui ita scribit parte I. lib. 15. num. 41 ad an. 1015:  
*Imperator Valonem Abbatem Corbejensem loco movit,*  
*& virorum quos integriores noverat, ex eo sanctuarii*  
*domicilio secum Paderbornam deduxit, ubi ponerent*  
*religiosa novi canobij fundamenta.* Ibidem fugillat  
 idem scriptor *Hermannum* Marchionem Mitnia,  
*Ekkhardi* filium, *Bolislai* Ducis Polonia generum  
 ceu *mentiri solitum*, quod tamen citatus ab eo *Ditmar-*  
*us* lib. 7. non de *Hermanno*, sed de legato *Bolislai*  
*Ducis Sbigneo*, sententiâ satis perspicuâ, scripsit,  
 quem chron. MS. Saxon. *Stoinevum* appellat. Ob-  
 serva hoc num. 30 pag. 35 l. 9. *S. Henricum Imp.* Ec-  
 clesie Paderbornen. diploma dedisse *aureo sigillo bul-*  
*latum*: cujusmodi etiam ab *Oitone III.* Hildeshei-  
 men. Ecclesie datum fuisse, compertum habeo. Le-  
 ge *Bernardi Mallinckrotij* lib. de Archicancell. in  
*Ferdinando III. Imp.* pag. 116, vel in alia edit. 118. ubi  
 hujus loci meminit.

Num. XXXI. Expeditionem *S. Henrici* in Po-  
 lontiam, sumtumque adversus *Bolislaum* bellum, de-  
 scribit *Ditmarus* lib. 7. & *Hildesheim Chron.* apud  
*Du Chesne* ad an. 1015. Expeditione Polonicâ satis  
 infeliciter confectâ Imperator, qui 17 Kal. Octobr.  
 dedicationi Paderbornensis templi interesse non po-  
 tuerat, *natalem Dominicum in Patherbrunno festiva*  
*peregiz*



peregit gaudijs, Ditm. lib. 7. & Chron. Hildesh. De  
 primaria ædis dedicatione legendus etiam *Gobeli-*  
*rus* ætat. 6. cap. 52. sed corrigendus pag. 210. lin. 27.  
 annus MCXV. à typhothetâ malè expressus, substitu-

endusque an. MXV.  
 Num. XXXII. DE BONIS HEREDITARIIS IN SA-  
 XONIA URBEM PLESSE. J Magnificum profecto do-  
 num! quod longo exinde tempore mansit in ditio-  
 ne Episcoporum Paderbornensium. Exstant de ca-  
 stro & dynastia Plesse tabulæ. quas abs re non erit hoc  
 loco proferre: *Henricus Dei gratia Romanorum Im-*  
*perator, & semper Augustus, & Rex Sicilia Fidelibus*  
*suis Clero, hominibus, & universis Ministerialibus Pá-*  
*derbrunnensis Ecclesia gratiam suam & omne bonum.*  
*Universitati vestra duximus intimandum, quod nos ad*  
*instructiõnem fidelis nostri Bernhardi Paderbrunnen-*  
*sis Episcopi cognoscentes Paderbrunnensem Ecclesiam*  
*damnum & gravamen sustinere ex concambio, quod*  
*idem Episcopus de castro Plesse & ejus pertinentiis ex*  
*parte Ecclesia sua nobiscum fecerat, pro dilectione ipsius*  
*Episcopi idem concambium auctoritate Imperiali dis-*  
*solvimus, & omnimodis cassamus. Mandamus igitur*  
*& districtè precipimus, quatenus jam dictus Episcopus*  
*& Ecclesia Paderbornensis castrum Plesse, & universa*  
*ejus pertinentia cum omni jure & plenitudine sicut pri-*  
*us habuerunt, deinceps teneant, & in pace possideant: &*  
*in nullo unquam in iisdem bonis & castro molestantur.*  
*Volentes, ut pradium Comitum Sifridi in Episcopatu Pa-*  
*derbornensi situm, quod ipsi Episcopo, & Ecclesia sua in*  
*concambium dederamus, nostra deinceps vacet pote-*  
*stati.*

*stati, Datum apud Lateram. Anno Domini MCXCV.*  
*Indict. XIII. secundo Kal. Augusti.* Post aliquot de-  
 inde annos *Plessensis* dynastia ab Episcopo Paderbor-  
 nensi, ut ea ferebant tempora, feudi titulo concessa  
 est familia nobili, à quâ *Plessenses* exin dynastæ orti  
 dictique: ex his *Helmoldus de Plesse* inter viros illu-  
 stres ceu testis legitur in litteris *Otonis IV. Imp.* da-  
 tis an. 1209, nono Kal. Januarij in Chron. Walken-  
 reden. pag 78. & pag 81. Nobiles item viri *Ludolfus*  
*Godescalcus* & *Helmoldus de Plesse* nominantur in lit-  
 teris *Bernardi III. Ep. Paderbornensis* an. 1210. Et  
 anno 1300 *Joannes nobilis de Plesse* præticit Bernar-  
 do Episcopo & Ecclesiæ Paderbornensi *homagium*,  
 ut vocant, ratione castri *Plesse* & villæ *Hammenstede*  
 circa festum *SS. Simonis & Judæ Apostol.* Anno 1303  
*Gotschalco nobilis de Plesse in favorem cœnobij Wal-*  
*kenredensis* roborat contractum *vendita decime, quam*  
*Albertus Miles, & Hermannus famulus dicti Gouvi-*  
*sche dicto Gotschalco resignaverant.* cit. Chron. Wal-  
 kenreden. in quo etiam insignia illustris familia *Ples-*  
*sensis* describuntur pag 313. Anno 1571. 22 Maji de-  
 functo *Theodorico* ultimo dynastâ *Plessensi* dynasti-  
 am illam cum Cœnobio *Hökelemio* occupavit *Wil-*  
*helmus Landgr. Hassiæ,* invito & absente *Erico Duce*  
*Brunsvicensi,* ut scribit *Buntingius* in Chron. Brun-  
 svicensi pag. 538. Idcirco *Henr. Eckstormius* in cit.  
 Chron. Walkenredensi pag 313, castrum *Plessense* in  
 territorio *Gotingensi* situm scripsit. Qui *Immadum*  
 Episcopum Paderbornensem XII è dynastis *Plessen-*  
*sibus* genus duxisse scribunt, haud scio quâ opinio-  
 nem



nem suam auctoritate veteri tueantur. Quæ hæc num. XXXII sequuntur donationes à pagina 38. usque ad pag. 76. numeris 99 distinctæ; ex omnes in editione Browerianâ omisæ, ex autographo restitutæ sunt.

Num. XXXIII. SIGEHARDUM. ] Qui *Cluniac* cum alijs XII, an. 1014. deductus Paderbornam, non præfuit Cænobio Abdinghoffensi annis 33. usque ad an. 1048, ut habet tom. 2. Bucelinus in catalogo Abbatum: cum *Wolfgangus* secundus Abbas præfuerit an. jam tum 1043. ceu aperte liquet ex num. XLVIII. Superfuit tamen *Sigehardus* an. 1036.

Num. XXXIV. BALDRICUS COMES. ] Hunc *Petrus Streithagen Canon. Heinsbergensis* in *Tetrastichis Dusseldorpij* an. 1629 in *Comites ac Duces Clivenses* editis, pag. 13. *Baldricum* hujus nominis alterum XIII Clivæ Comitem his versibus celebrat:

*Mitis, & ad supernatus consortia regni,  
Eximia junxit se pietate DEO.*

*Hanc etenim semper studuit templisq; dicatis  
Testatam ad seros usq; reliquit avos.*

Fatetur deinde in notis, gesta hujus Comitis omnia penè intercidisse: pium tamen & religiosum, ex fundatione Collegij quod modò *Craneburgi* est ostendit fuisse. Collegium illud virorum *Craneburgensium* scribit *Theodorus Rhay S. J.* in *Animabus illustribus Julia Clivæ redivivis*, ad diem 1. Augusti, ab *Arthelæ B. Meinweri Ep. Paderborn.* matre ejusque *marito Balderico A. C. 1000 circiter conditum Zepflichij* (antiquus *Salliggi*) decimasque in *Germonsfell* Ecclesie

*Wesix Zephlicensi* attributas ab *Arnoldo II Clivia* Co-  
 mitæ 17. ejus loci *Patrono* anno 1117 legitimè electo,  
 ut cit. Th. Rhay ad 30 diem Decembr. in *Arnoldo II*  
 scribit. *Zephlicensem* verò *Collegiatam Eugenij IV.*  
*PP. Romani consensu A. C. 1436 ad Cranenburgen-*  
*sem, thavmaturgâ Cruce celebrem Ecclesiam transla-*  
*tam* ab *Adolfo I Clivia, Duce*, annotat idem auctor  
 ad 19 Septembr. in *Adolfo I. Cliv. Duce* pag. 167.  
 Porrò *Baldrici Comitis & Adela* conjugis eius me-  
 moriam illustrat monumentum quod in tabulario  
 nostro *Werthmensi* adservatur, & est hujusmodi:  
*Quoties aliqua à venerabilibus & Deum timentibus*  
*personis sanctæ Dei Ecclesie aut in prædijs, vel in alijs*  
*rebus pro animarum suarum salute conferuntur, ra-*  
*tum ducimus schedule veracis ad stipulatione confirma-*  
*ri: quatenus illorum memoria nobiscum sit frequentior,*  
*nostraq; pro illis oratio Deo fiat acceptior. Unde notum*  
*fieri cupimus omnibus præsentibus scilicet ac futuris,*  
*qualiter Baldricus Comes egrotavit penè usq; ad vita*  
*sua desperationem. Nos quoque propter amicitiam &*  
*familiaritatem, quam illi adhibuimus, Reliquias sancti*  
*Lindgeri patroni nostri usq; Saffiggi ad visitandum*  
*illum transmisisimus: & ut credimus ipso narrante, sus-*  
*fragantibus ipsis sanctis, ab infirmitate convaluit sta-*  
*tim ex parte: & ad ipsas Reliquias tradidit octo man-*  
*sus, seque ipsum sancto Lindgero mancipavit debitorem*  
*in cerâ annis singulis unius sicti: promisitq; cum pri-*  
*mitus illi possibilitas aliquo pergendi daretur, se Mona-*  
*sterium sancti Lindgeri adiurum, & hanc piam dona-*  
*tionem ibi coram testibus stabiliturum. Dehinc non*



post multos dies veniens, sicut promisit, pro plena sua  
 suaq; coniecta is Adela memoriã aeterna, tradidit illos  
 prefatos mansus octo in Widohouwe, quatenus plena  
 fraternitatis gratia, sicut unus fratrum nostrorum, no-  
 biscum potuatur. Anonymus noster num. 34 pag. 78  
 Baldricum Comitem hominem fortem, divitem & po-  
 tentem appellat: sed isthac fortunæ animique dona  
 plurimum deinceps corrumpit Baldricus: primùm ne-  
 ce innocentis privigni sui Thiederici Comitis, ger-  
 mani Meinverci Episcopi, ab Athelã matre consi-  
 lio illius an. 1014, 7 Idus Aprilis patratã; deinde an.  
 1016 2. Non Octobr. (teste Chron. Hildesheim.) cæde  
 Wigmanni Comitis patriã in omnibus utilis, ejusque  
 Militis, ut prolixè scribit Ditmarus lib. 7. pag. 212 &  
 seq. in edit. Maderi, ubi Athelam Comitissam modò  
 secundam Herodiadem, modò venenosam aspidem ap-  
 pellant, cujus sibilo Ecclesia tanti careat defensoris auxi-  
 lio, queriturq; eam everã licet urbe Upplan, cum  
 omnibus quæ habebat servatam. Et lib. 8. pag. 237 tra-  
 dit idem Ditmarus S. Henricum Imp. anno 1018 in  
Niumagen Palmas & sanctum Pascha celebrasse, quia  
 Baldricum de nece Wigmanni Comitis nil excusantem  
 legitime, cum suis conspiratoribus recalcitrantem com-  
 perit. Deniq; lib. 8 pag. 244 scribit Baldricum re-  
 conciliatum, & promissione divinam oblivioni traditã.  
 Ex his liquet Baldricum Comitem anno 1004 non  
 migrasse è vitã, ut Petrus à Streithagen loco antea ci-  
 tato, aliq; memorant. E mortualis Baldrici Comitis  
 die in necrologio Abdinghoffensi notatur die 22 Ja-  
 nuarij.

Num. XLI. ANNO MXVII MEINGOZ.] Altera igitur hæc tragœdia est, quam *Athelberonis* excitavit ambitio: de primâ legendi ad an. 1008 *Herm. Contractus*, *Chronographus Hildesheimensis* apud *Duchessin. Ditmarus* lib 6 pag. 142, & *Chron. MS. Saxonia: Mortuo post Pascha Trevirensis Ecclesia Archiepiscopo venerabili Luidolfo, capellanus ejusdem Athelbero, frater Regina. immaturus juvenis, plus timore Regis quam amore religionis, communiter eligitur. Rex autem ut hoc audivit, non inmemor prioris in germano ejusdem Theodorico (metensi Episcopo) non præmeditata constitutionis uxorem dilectam, ceterosq; suos et familiares, de Archiepiscopatu eidem impetrando sollicitos sprevit, & Meingando, Willigisi Archiepresulis Camerario, nobili secundum carnem viro, eundem dedit. Propter hoc subdola generationis furor accenditur, Palas à Trevirensibus contra Regem firmatur, ac terra hæc hæctenus pacifica, crebris concremationibus quatitur. Locus qui à Ditmaro hic appellatur Palas, in chronico Herm. Contracti ad an. 1008 palatium nominatur: apud quem etiam conjurati adjuutoresq; Athelberonis exprimuntur isti, Theodoricus Metensis Episcopus, Henricus Bajoaria Dux, Fridericus Comes, omnes Cunegunda Augusta fratres, & Gerhardus Comes. Ex rebellibus Henricus Bajoaria Dux anno 1009 circa Kalendaras maij Ransbona ab Henrico Rege exautoratus proscribitur. (ut tradit, qui tunc istic aderat, Ditmar lib. 6 pag. 145) Athalbero sacrorum communionem summovertur. De hac altera, idem Ditmarus lib. 7 pag. 199 ad an. 1015: in vigilia natalis Do-*



mini Meingaudus Treverica civitatis Archiepiscopus obiit in urbe sua Cophelenci dictâ, sedens octo annos & septem menses, indeq; corpus ejus ad sedem propriam delatum, honorificè ad antecessores suos locatur. Imperator . . . . natalem Dominicum in Patherbrunna festivis peregit gaudijs, & Popponem Luipoldi Marchionis filium, & tunc Bavenbergensis Ecclesiæ Præpositum Trevirensi præfecit urbi, jussitque eundem ab Erkinbaldo Moguntino Archiepiscopo, licentiâ Verdunensis Episcopi, Thiederico Metensi Antistite nequicquam obnitante, consecrari anno 1016 ineunte. Porro Imperator Bavenberga mense Decembri Henricum quondam Bavariorum Ducem, & tunc octo annos & pentot menses suâ depositum culpâ, pristinis restituit honoribus die Dominicâ, sicut ei firmatû erat priùs à Poppone Trevirensi Archiepiscopo, idem lib. 7 pag. 225. Imperatrix verò anno 1018 post Pentecosten Bavariam petijt, fratremq; suum Ducem Henricum Ratisbona inthronizavit, Dittm. lib. 8. pag. 244. Chron. Hildesheim. Meingozi sive Meingaudi obitum cum Anonymo nostro refert ad an. 1017, eumque ad an. 1008 *Primscriinium Henrici Regis* appellat. Archiepiscopus Poppo 16 Kal. Julij anno 1047, teste Herm. Contracto moriens, successorem accepit Eberhardum Wormatia Præpositum. De everfis à Poppone Archiepiscopo castris, & latronum spoliarijs legenda Acta ipsius Popponis Archiepisc. Trevir.

Ibid. MONACHUM SIMEONEM. ] Simeon reclusus Treviris, præfente Eberuino Abbate Tolegiensivi-  
æ illius scriptore, sanctissimè defunctus est an. 1034

Kalen-

Kalendis Junij, non verò anno 1037, uti notatur in margine ad cap. 12 Vitæ apud Surium. Ex iisdem actis hæc de *S. Simeone* delibavit Anonymus noster, potissimum cap. 9: sed graviter hallucinatur, dum *Popponem Archiepiscopum Trevirensis*, hic cum *Poppone Slesvicensi Episcopo* confundit, eumque sub nomine *Anscharij* à Danis coli, sepulchrumq; ejus *Treviris* frequentari narrat. Chron. MS. Saxonix Johannis Mabillon ad annū 952 historiam *Popponis Slesvic. Ep.* his verbis refert: *Dani erant antiquitus Christiani, sed nihilominus idolis ritu gentili servientes. Contigit autem altercationem super cultura deorum fieri in quodam convivio Rege præente: Danis affirmantibus Christum quidem esse Deum, sed alios eo majores esse deos: quippe qui potiora mortalibus signa & prodigia per se ostenderent. Contra hæc Clericus quidam, nunc vero religiosam vitam ducens Episcopus nomine Poppo, unum verum Deum Patrem cum Filio unigenito Domino nostro & Spiritu sancto; simulacra verò dæmonia esse testatus est. Haroldus autem Rex, utpote qui velox traditur ad audiendum, tardus ad loquendum, interrogat, si hæc fidem per semetipsum declarare velit? Ille incunctanter, velle, respondit. Rex verò custodiri Clericum usque in crastinum jubet. Mane factò ingentis ponderis ferrum igne succendi jubet, Clericumque ob fidem Catholicam candens portare jussit. Confessor Christi indubitanter ferrum rapit, tamq; diu portat, quo ipse Rex decernit. Manum incolumem cunctis ostendit, fidem Catholicam cunctis probabilem reddidit. Ad hæc Rex conversus, Christum solum Deum colendum decrevit,*



idola respuenda subiectis gentibus imperat: Dei sacerdotibus & ministris honorem debitum ac inde præstitit. Rex Otto ut hoc audivit, vocavit ad se venerabilem virum Popponem, si pugil Christi esset? interrogat, & sacerdotali honore sublimat. Hæc chronologus decerpfit ex narratione Widikindi Corbejenfis lib. 3. & Dittm. Mersburg. chron. lib. 2. Agunt etiam de Poppone Slesvicensi Ep. Adamus Brem. lib. 2, cap. 26. 32, 34. & cap. 44: Ipso tempore an. 1029, Indiçt. 12. migravit Poppo celeberrimus Danorum Apostolus, inquit, cui mox subrogatus Esico, cum ad Egdoram fluvium pervenisset, ibidem ægritudine correptus obiit. Eadem habet Albertus Abb. Stadenfis ad an. 1029 sepultuq; tradit in æde D. Petri Bræn æ: vide eundem Stadenf. ad an. 974. Saxon. Grammat. l. 10; chron. Magn. Belgij pag. 79. Krantz l. 4. Danic. c. 24. Joan. Adolpum Cypræ Annal. Slesvic. lib. 1. cap. 13, ubi orditur Popponis Episcopatum ab an. 984, producitq; ad an. 1029; Vellejus verò initium ducit ab an. 966, quo Sigebertus Gemblacens. & Matthæus Westmonaster. Popponē celebrant. Diem obitus S. Popponis Ep. nemo, quem legerim, adnotavit. In codice MS. Vicelini Ep. qui in Abdinghoffensi Cœnobio adservatur Paderbornæ, hujusmodi textitur series Episcoporum Slesvicensium Horedus Eps XI Kal. Maij, sedit an. XXIV. Adalagus Eps IV Non. Maij, sedit an. XII. Folcbertus Ep. XIX Kal. Januarij, sedit an. VII. Marco Eps III Idus Novemb. sedit an. XX. Poppo Episcopus XIV Kal. Augusti, sedit an. V. Esico Episcopus II Id. Februarij, sedit an. XI. Rodulfus Episcopus II Non. Novembr. obiit, se-

dit an. XIX. Sed ut se hæc habeant, Adami Bremensis & Stadenſis calculo nulla prorsus hæc fides haberi potest, dum anno 1029, Indiæ. 12. vitâ functum nar- rant S. Popponem Slesvic. eidemque *max subrogatum* Esiconem. cum ad *Eggoram fluvium* pervenisset; agri- tudine correptum obuisse: constat enim auctoritate Tangmarz viri gravissimi, Eccl. Hildenesb. Decani. in actis S. Bernwardi Ep. Hildenesheimensis cap. XV, Ekkehardum sive *EXiconem* jam tum anno millesimo Episcopum fuisse; cujus sunt etiam hæc querelæ à Tangmaro cap. 18. relatæ apud Surium die 20. No- vembr. *Peccatis agentibus, termini Episcopatus mei barbarica sunt feritate depopulati. civitas deserta, Ec- clesia desolata; sedem non habeo. servum me sanctæ Ma- ria Hildenesheimensis recognosco.* An. Ml Ekkehardus Slesvicensis Episcopus in synodo Franconovorden- si vices absentis S. Bernwardi Ep. obiit, Tangm. cap. 26. An. 1007 subscribit inter alios Episcopos Ekke- hardus Selesuigen. apud Gretſer. notis ad cap. 12. vitæ S. Henrici. An. MXV, cum S. Bernwardo cryptam S. Michaëlis Hildesij; & cum alijs Episcopis basilicâ S. Michaëlis dedicat an. 1022. 3. Kal. Octobr. Mori- tur deniq; Ekkehardus Ep. an. 1026, teste chrono- grapho veteri Hildesheim. apud Duchesne tom. 3. ei- que succedit in cathedra Slesvicensi Rodulfus è clero Coloniensi, qui anno 1027 interest concilio Fran- cofurtenſi sub Aribone Archiep. Moguntino, ut ha- bet Wolfherus in vita S. Godehardi apud continua- tores Bollandi tom. I Maij, cap. 4 num. 30.



Num. XLII. IN LOCO LIEZGO. ] Browerus contra fidem autographi pro Liezgo expressit Laerge, locatque in diœcesi Bremensi: sed in ipsis tabulis Lietzgo appellatur locus, ubi prædium in villa Nedere situm cœnobio Paderbornæ à Meinverco condito VI. Idus Julij. MXVII Indiēt. XV dono dedit S. Henricus, qui mente Julio conventum illum celebrem non instituit in diœcesi Bremensi, ut loci hujus depravatione deceptus Henr. Meibomius opinatus est in Commentariolo de utriusq; Saxonie Pagis: sed trans fluvium Albim ad Liesca curtem quondam Wigonis Episcopi (Brandenburgensis,) & tunc feris innumerabilibus inhabitatam: ubi duas noctes in castris sedens, tardantem turbam expectavit, velut scribit, qui huic Principum conventui utiq; interfuerit Ditmarus Ep. Mersburg. lib. 7 pag. 219 edit. Mader.

Ibid. SEQUENTIDIE. ] V. Idus Julij, velut ex hoc diplomate liquet: In nomine sanctæ & individue Trinitatis. Heinricus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus. Canonum statuta non ore hominum, sed Spiritu Dei condita precipiunt, ut Episcopi frequenter claustra Monachorum visitent, & si qua extra Regulam illic invenerint, abscendant & corrigant. Hac vigilantiter interius contemplantes, & in hujus vita itinere onera nostra Episcopis imponendo levigantes, caritatis causa sine quâ dives pauper est, cum intervenitu amantissima conjugis nostræ Cunigunda videlicet Imperatricis Augustæ. cum Archiepiscoporum Erchanbaldi Magontini, Popponis Trevirensis, Geronis Magatburgensis, Unwani Bremensis; & Episcoporum Arnoldi

*voldi Halverstadensis, Epponis Bavenbergensis, Thiederic Metensis, Heinrici Uuirciburgensis, Thiederic Mimigardevordensis, Thiemmonis Mersburgensis, Erici Havelbergensis; Laicorum quoque, Bernardi Ducis, Sigifrudi atq; EZziconis Communi, Abbatiam nomine Helmwardeshusun cum omnibus suis appendicijs, mobilibus & immobilibus, sedi Patherbrunnensi, in honore sancte Mariae, sanctorumque Kilians atq; Liborij constructa, cui insignis acquisitionis Praesul Meinverchus in presentiarum praestitit, in proprium dedimus, de q; nostro jure & dominio, in jus & dominium ipsius a modo potestativè, & juxta Regulam S. Benedicti episcopaliter disponendam atq; possidendam tradidimus. Et ut hac nostrae traditionis pagina firma & inconversa permaneat, manu propria corroborantes atq; confirmantes, sigilli nostri impressione subiecimus, eam sigillari iussimus. Signum domni Heinrici invictissimi Romanorum Imperatoris Augusti. Guntherini Cancellarius vice Erchanbaldi Archicapellani recognovit. Data V. Idus Julij, Indiēt. XL. An. Dominicae incarnationis MXVII. Anno vero domni Heinrici secundae regnantis XVI, imperij IV. Actum Lietzgo feliciter. Amen. Constat ex historia Translationis S. Modaldi à Thietmaro sexto Helinwardeshusensi Abbate sub an. 1107, aut 1108 scripta, quae extat tom. 2. Majr apud continuatores Bollandi, cap. 1. num. 4. pag. 63. Ekkihardum Comitem, amisso unico filio ultimo, nobilissima conjugis suae Machildis voluntate Romam profectum, consilioq; & auctoritate venerabilis memoriae Silvestri Papae, quidquid sui juris possessionum*



nonum erat, B. Petro Apostolo tradidisse. construendiq;  
 cœnobij licentiam obtinuisse: adeptumque Apostolice  
 privilegij sanctione, ut nullus ibi construere vel ordi-  
 nare presumat Abbatem, nisi secundum Regulam &  
 SS. Patrum institutionem canonicè electum: similiter  
 Advocatum non ex suis natalibus, sed quemcumque  
 Abbas & Congregatio exposceret constituendum: res  
 etiam sui juris acquisitas vel acquirendas perpetuâ li-  
 bertate possidendas. & ab omni servitute Imperatorum,  
 Regum, vel quorumlibet potentum immunes. Quæ  
 omnia Otto III Imp. tabulis suis rara habuit, ut ibid.  
 num. 5 referitur. Sed cœnobij fabricâ ad medietatem  
 nondum perductâ interque constructor immaturâ præ-  
 ventus est morte: defunctorumque propinqui, magna  
 potentia viri, funebres exuvias, variaque suppellectilis  
 reliquias, plurima ex parte suis usibus vendicaverunt:  
 nonnullas etiam prædiorum curtes invadentes subtra-  
 xerunt ecclesie. Hanc primo loci Abbate hanc violen-  
 tiam æquo animo ferente, ibid. num. 6. Regij itaq; ju-  
 ris initio fuit Abbatia Helmvardeshusana, ac divi  
 Henrici concessione exin transijt in potestatem & gu-  
 bernationem Meinverci, ejusq; successorum Pa-  
 derbornensium Episcoporum, ut ex recitato diploma-  
 te, Actisque Translat. S. Modoaldi num. 6 & 7. liquet;  
 mansitq; sub Episcopis usq; ad annum MCC XXIII.  
 quo Henricus VII Rom. Rex, ob petitionem Karissimi  
 ac fidelissimi domini Engelberti, sancte Colonienfis ec-  
 clesie venerabilis Archiepiscopi, Ducis Westvalia &  
 Angaria, concessit in perpetuum omnem libertatem &  
 immunitatem, qua ab Otzone, Henrico, Conrado, item  
 Henric

*Henrico Imperatoribus, & Conrado Rege concessa*, olim fuerat, Diploma datum est apud *Northusen* anno *MCCXXIII*, Ind. XI, prid. Idus Septemb. anno secundo Regis *Henrici*. *Conradus* quoq; *Helmvwardensis* Abbas quorundam Antistitum intercessione privilegiorum sui cœnobij confirmationem ab *Eugenio III PP.* dudum obtinuerat in generali concilio *Rhemensia* añ. 1148. 3. Kal. Aprilis, Indict. XI. *Dilichius Chron. Hassia* part. 1 pag. 176. refert initia Cœnobij *Helmershusen* ad an. *MCCVII*, turpi sanè errore: additque an. 1465 oppidum *Helmershusum* ab *Hassis* occupatum, vicinumq; Abbatis castrum *Krukenborg* obsidione pressum bello contra *Paderbornenses*. Scripsi p. 336 lin 5. à fine, *Helmvwardeshusen* constructum infra confluentes *Dimelæ* & *Visurgis*, sed explorato accuratius situ loci, deprehendi ad *Dimelā supra* confluentes collocandum esse. De cœnobij hujus exemptione vide cap. *Cum venerabilis 7. de Consuetud.* ubi perperam appellatur *Hermionenſe*.

Num. XLIII. CORBEIAM TRANSIVIT. ] Præter ea quæ hic notavit *Browerus* pag. 211. habes *Corbejæ* novæ origines, in altera *Monumentorum Paderbornensium* editione pag. 127 & in *Johannis Mabillon* Observationibus prævijs ad *Translationem S. Viti Martyris* in Actis SS. Ord. S. *Benedicti* parte 1 *Sæculi IV*, pag. 523 & seqq. ubi inter alia advertit num. 4. *Browerum* in Scholijs suis pag. 212 perperam existimasse *Geroldum Comitem Hildegardis Imperatricis fratrem*, *Signiferum Caroli M.* anno 799 in *Pannonia* æsum, eundem esse cum *Geroldo Levita*, cujus epitaphium



phium extat Corbeje. *Geroldi Comitis* meminit Anonymus noster num. 48. Legitur etiam apud Eginhardum ad an. 826 *Geroldus Comes Pannonici Limitis Praefectus*, qui in causa S. Ansharij cum *Episcopis Bernoldo, & Ratoldo*, mittitur an. 832. Romam ad *Gregorium IV. P. M. Legatus*, ut est in *Actis S. Ansgarij* num. 20. & *Chron. MS. Saxon. ad an. 832.*

Ibid. UT SECUNDUM CANONICAM AUCTORITATEM CORRIGERET. ] Aliter hæc narrat *Chron. MS. Saxon.* & *Mabillon.* ad an. MXIV. Namq; Imperator hoc anno Corbejam venit ad visitandos fratres, quorum sibi vita displicuit, & eam imperialis auctoritate corrigere voluit. Unde plures illorum instituta Patrum defendentes, & plus justo contra jus imperij se viuentes, eheu! miserè desipiunt, cum percussi in maxillam, non præbent alteram: sed sine consilio rebelles male parant pugnam. Anno deinde MXV, ut idem *chron. MS.* habet, Imperator à Mersburh discessit, & proximos Rogationum dies in Capungun fuit, quo ipse curtem suam de civitate sua Cassulan dictâ, transtulit: ubi cû consilio *Henriberti Colonienfis Archipraefulis Heithenrico Wirdu-nense cœnobium commendavit*, & tractatis ibi rebus necessarijs, in vigilia Pentecostes ad Immedeshus venit. Illic cum Antistite *Meinoverco* hanc sanctam solemnitate festivè peregit: ibi *Wal Corbejenfis Abbas* prius ab cura sua suspensus deponitur, & cœnobij privilegia & consuetudines, quas *Ludovico Pio* dante habuerant, potestativè ab Imperatore mutantur: & ex *Lauresheimensi cœnobio Druchtmarus* sine fratrum consensu *Abbas* assignatur. Quo ad sedem suam in hac hebdo-

hebdo-

*hebdomada veniente, illi vitam suam, quæ cunctis panè  
 Monachis exemplo claruerat, vilescere gementes, omnis  
 Congregatio, exceptis novem, flens abiit: sic enim Lui-  
 dolfus venerabilis Abbas futurum prædixerat. Sed  
 multis, iterum Dei gratia conversis, placuit se subdere  
 Regula, quam miserabiliter in seculo vagari. Hucusq;  
 MS. Quæ ferè eadem habet Ditmar. lib. 7. pag. 190  
 & 191. edit. Mad. sed mendosè in omnibus editionibus  
 legitur *Walcorbensis Abbas*, quo typi errore inductus  
 G *Bucelinus*, Germaniæ suæ sacrae & prophanae parte  
 altera Ulmæ edita an. 1662, pag. 301, *Walcorbensis  
 Cœnobij Abbatem Ludolfum* prophetico spiritu cla-  
 rum tempore *Dihmari & Henrici I*, indignè exaucto-  
 ratum fuisse tradit. *Browerus* ante *Vitam S. Gregorij  
 Ultrajectensis* monet hæc addenda Scholijs suis in *B.  
 Meinvercum*: Hæc reparatio fuit *Corbejenfis Mo-  
 nasterij* ab *Henrico I Imperatore* inducta, cuius te-  
 Stam narrationem sæpe à me citatum MS. chronicon  
*Francosaxonicum* sic exequitur ad eundè an. *MXV*:  
*Imperator Monachorum Corbejenfium privilegia &  
 consuetudines aliquas priorum, quas CCXXX & IX  
 annis (fallit hic calculus) Ludovico Pio dante habue-  
 rant, potestativè mutavit: amoto Monasterij Patre, ig-  
 notum & fori asse bonum illis præfecit, qui quasi doctior  
 errata corrigeret, & devios sanctæ Regule tramitem  
 cautius doceret. Ex hoc illi nimium mœrentes, vitam  
 suam, qua cunctis panè Monachis exemplo claruerat,  
 vilescere ingemiscunt, seq; mutuo hortantur potius di-  
 scedere quam tanta injuria subjacere: sicq; factum est,  
 ut cum sedecim rebelles custodia traderentur, pauci ad-  
 modum**



modum superasse viderentur, ceteris seculo miserabiliter occupatis. Sed postea, Dei gratiâ, decenter conversi, civis se rursus mancipaverunt obsequijs. Parem fortunam experta est eadem ferè tempestate illustris Fulda: de qua re legendus Dittmarus lib. 6, & Christophorus Browerus *Antiquit. Fulden-sium* lib. 4 in Branthoo 18 Abbate. De Augiensis Cœnobio lege *Hermannum Contractum* ad annum *MVI*. Apud Nicôlaum Zyllesium in *Defensione Abbatia S. Maximini* parte 3, num. 20 p. 29. *S. Henricus Imp.* ex opimioribus S. Maximini prædijs 6650 mansos ab *Harichone Abbate* in beneficium acceptos, fidelibus suis *Elzoni Palatino Comiti, Henrico Duci, & Ottoni Comiti* rursus feudi titulo concessit an. 1022. Lege etiam diploma *Conradi II. Regis* datum anno 1026, num. 21 *ibid.* pag. 32. Ceterum, qui exauctorato *Waloni* subrogatus est *Corbejensi* in præfectura *Druthmarus*, vitâ functus est, teste *Lamberto*, anno 1046, 15 Kal. Martij, successoremq; accepit *Rothardum* electum præsentem Rege *Henrico*, 7 Kal. Martij, & 7 Idus ejusdem mensis ab *Episcopo Paderbrunnensi Roth* nomine, qui legatus tunc Regis fuerat, *Corbejam* deducitur in sede ponitur, & *Abbas per bened. Etionem* constituuntur. *Fragm. Annal. Corbejen. MS.* ad an. 1046. & ad an. *MC* *Indict. 8: Lindolfus & Druthmarus Abbates* translati sunt, & miraculis claruerunt. Translatio hæc facta est regente *Corbejam Marcwardo Abbate XXII*. Extâ huj<sup>9</sup> rei testes verius istius

*Istis translatis Patres gaudete beatos  
Istius ecclesiæ, quam congrue rexit uterque*

*Tempore distincto, dictis & cum benefueto:*

*Druthmarus dextrâ, lector non negligat ista,*

*Abbas præclarus jacet hac in parte Ludolfus.*

*Et sic in Sanctis Deus aspice cor venerantis*

*Patris Marcvardi simul artificis Godefridi,*

*Quorum devota prece complaceant tibi vota.*

Anno 1062. mense Octobri reperta sunt horum  
Abbatum corpora integrâ ossium serie pannis se-  
ricis involuta, in tumbis seu arcibus ligneis deauratis,  
ante altare S. Crucis, sub ingenti lapide cui insertus  
erat annulus, quo vete attolli posset, in medio vete-  
ris templi, quod deinde dejectum est eodem anno,  
sublatis prius sacris ossibus, sed incuriâ cujusdam,  
cujus nomini nunc parco, permittis confusisque.  
*Wal Corbejenfis Abbas obiit an. 1026, Id. Februarij, se-  
dit annis quatuor. Chron. MS. Saxon.*

Num. XLIV. LITONUM JUSTITIAM.] De litoni-  
bus, litis vel lidis, vide Glossar. F. Pithœi tit. 14. Legis  
Salicæ & Glossarium Caroli du Fresne, verbo Litus. Al-  
bertus Stadenfis ad an. 917. Plures, ait, se eis dedide-  
runt proprios: qui ab eis vivere sunt permitti, litones  
sunt ab eodem vocabulo nuncupati. Inde litones in pro-  
vincia Saxonum sunt exorti.

Ibidem. VILICORUM SUPER VELVE IN TE-  
STEBANT.] Ita autographum. Browerus conjun-  
ctione legit interjectâ, *Velve & in Testebant*, forte-  
an rectius. Utrobiq. Meinwercus prædia colonosq;  
habuit. Comitatum de *Velue* Henricus VI Rom. Imp.  
an 1196. Ind. 14. prid. Non. Martij apud *Geilenbusen*  
per sententiam adjudicat *Baldevvino* 29 Ep. Traje-  
stensi,



ctensi, quam *Henricus* Dux Lotharingiæ seu Brabantia beneficio episcopi iterum recipit. Diploma videtur apud *Wilhelm. Hedam* pag. 177. & seq. sed mendose legitur illic an. 1190. *Comitatum in Teisterbant situm* *Conradus II. Rex* anno 1026, 18 Kal. Julij, Ind. 9. regni secundo, *Cremona*, interyentu *Gisele* Reginae, & *Aribonis* Archiep. Maguntini, donat *Adelboldo* Ep. & Ecclesie Traiectensi cum omni utilitate. Diploma recitat *Wilhelmus Heda* pag. 114. & seq. Traiectensis Ecclesia jam ab anno 950 dono *Otonis Magni* possidebat *Tielam*; & omnem juris sui hereditatem *Frethebaldus* nobili prosapia genitus Miles anno 997 donaverat Ecclesie Traiectensi, quam habuit infra *Comitatum Teisterbantie*; habebat præterea omnem districtum super villam *Bomele* in Comitatu *Unrochi* Comitis in pago *Teisterbantie*; & ministerium *Popponis* ibidem, & Villam *Arclo*, dono *Otonis III. Imp.* anno 998, & *S. Henrici Regis* an. 1003 (malè ponitur 1013) Indict. 1. Ut distincta prorsus fuerint jura Comitatus & privatorum prædiorum. Vide ipsas donationum tabulas apud *W. Hedam* pag. 86, 94, 95, 100, & notas *A. Buchelij* pag. 117, lit. bb.

Num. XLV. ECCLESIA GENERALI SYNODO MONACHIS ADIPEM INDULSIT.] Hunc locum citat *Hugo Menardus* in Notis ad *Concordiam Regularum* cap. 48 pag. 709, sed opinatur hic agi de Monasterio *Helmwardeshusen*; cum tamen *Meinwercus* officinas Monasterij sui novi more solito hic num. 45 scribatur circumvisse; quod non de alio, quàm à se Paderbornæ condito Cœnobio potest intelligi. Cate

Cæterum ad illam *Synodum* hic respexisse existimo Meinwercum, quæ A. C. DCCCXVII, VI. Idus Julias in domo *Aquisgranensis palatii* habita est: in qua inter alia Regularibus præscripta, cap. 22 hæc leguntur: *Pinguedinem ad esum; excepto sexta feria, & viginti diebus ante natiuitatem Domini, & septimanâ illâ quæ ante quadragesimam vocatur quinquagesima.* Nicolaus de Sigen Erfordix ad S. Petrum Prior in excerptis Chronicis MSS, synodi hujus decretum his verbis refert: *Ut fratres aliquid pinguedinis in victu quotidiano habeant, excepto sexta feria, &c.* Adi Meinardum loc. cit.

Num. XLVII. MINOR.] Quæ hic distincto caractere expressa sunt, habentur in singulari membrana descripta, tametsi eadem, ut opinor, manu.

Num. XLVIII. S. ALEXI.] De hoc sacello jure asyli donato, vide quæ notavi ad num. 29. Broweri ætate illius vix erant vestigia super, ut excidisse etiam crederetur, ceu notat ipse ad num. 48, pag. 214.

Ibid. CAPELLÆ IN HONORE.] Retinui verba autographi: Browerus addit *extracta*. Gobelin, ætat. & cap. 52, pag. 211 videtur huic loco lucem afferre hisce verbis: *Meinwercus quandam capellam propè majorem ecclesiam Paderbornensem, quondam per Geroldum consanguineum & signiferum Caroli Magni, per Græcos operarios constructam in honore B. Mariæ, desolatam reformauit, & eam in honore S. Bartholomæi consecrauit.* Sed Anonymi nostri alia est sententia: scribit enim capellam S. Barth. à Meinwercico per Græcos operarios constructam, contiguam

BB

fuisse



fuisse ædiculæ B. Mariæ à Geroldo olim conditæ, quæ  
Browerus in Scholijis pag. 214 scribit vetustate col-  
lapsam, superstite etiamnum S. Bartholomæi oratorio.

Ibid. BEATÆ MEMORIÆ WOLFGANGO. ] Mo-  
nui num. 33 *Wolfgangum* hunc Browero, & quod  
mirère, Gobelino ignoratum, fuisse secundum Ab-  
batem Cœnobij SS. Petri & Pauli Paderbornæ vulgò  
*Abdinghoff* / & Abbatis munus gessisse anno 1043  
quo *Rocho* successor *Meinverci* templum S. Gallo  
Conf. 17 Kal. Novembr. die eidem sacro dedicavit,  
ut hoc num. 48 tradit noster Scriptor. An. MXLVI  
Ind. 14, 7 Kal. Jun. *Henricus III* Rex, an. ordinationis  
sue 18, regni vero 3, *Aquisgran* donat ecclesie S. Petri  
omniumq; Sanctorum Bodarbrunno constructæ, ejus-  
demq; ecclesie Abbati *Wolfgango*, unum curtile in vil-  
la *Pobarto* (vulgò *Poppart* / olim *Bodobriga*, ditionis  
*Trevirensis* oppidum, inter *Confluentes* & *Fannum*  
*S. Goarjs* : ubi visuntur hodieq; ruinæ palatij regij )  
in Comitatu *Bertoldi* Comititis, & in pago *Tre-*  
*chira* in proprium tradidit. Anno 1048 Indiēt. 15 Id.  
Aprilis *Rocho* Episc. Patherbrunnensis, pro remedio  
anime sue, prædecessorisq; sui venerabilis domini  
*Meinverci* Episcopi, donat Monasterio ab ipso in  
suburbio sue Sedis in honore Dei Genitricis Mariae &  
SS. Apostol. Petri & Pauli constructo cui *Wolfgangus*  
venerabilis Abbas præst. territorium quoddam in *Fole-*  
*bettinghuson* ad adminiculum præbende Fratrum. cum  
omnibus appendicijs, XX marcis à quodam libero ho-  
mine *Bernardo* proprietario jure acquisitum; & præ-  
ter hoc locum salis in *Uflon*, vas argenteum, & triginta  
solis.

Solidos de decimis Episcopij sui in Wilgdesun singulis in posterum annis : de quibus continuum lumen ad sepulchrum prædicti domni Meinverci Episcopi provideatur ; & in anniversario depositionis ejus & suo Fratribus in refectorio caritas in lux commemorationis memoriam administraretur. Anno MLII Indi. V (al. VI. inchoatâ) III Non. Decembr. anno Heinrichi III ordinat. 24, regni 13, imperij 5, Immadus Ep. Paderbornen. episcopatus sui anno primo, prædium in Sturbroke, quod Wolfgangus venerabilis lux civitatis Abbas, (jugi vigilantia sic subduorum profectibus prospiciens ut interiorum curam in exteriorum occupatione non minuat ; exteriorumq; providentiâ interiorum sollicitudinem non relinquat) fraternâ unanimittatis consensu & consilio à Ricberto legali jure XXX marcis acquisivit, ejus suorunq; Fratrum supplicii rogatu, tum etiâ dilecti avunculi sui domni Meinverci venerabilis Episcopi, ipsius Ecclesiæ fundatoris intuitu, pontificali auctoritate confirmat : testibus Erpone Comite, Herimanno Tribuno, Godica. Actum Paderbrunnon. Non diu post hæc in humanis egit Wolfgangus Abbas: nam anno proximo 1053, 10 Kal. Aprilis idem Imperator Henricus III tabulis suis ratas habet donationes Cœnobio Paderbornensi factas, exorante Egilberto Abbate tertio, Goslarie Indi. 6. Ex his emendandus in catalogo Abdinghofensium Abbatum tom. 2. pag. 132 Bucelinus.

Ibid. ROTHO SUCCESSOR MEINWERCI] Aliâs etiâ dictus Ruodo & Rudolfus, Meinverci successor, Paderbornensem Cathedralam tenuit ab an. 1036, usque



usque ad an. 1051, quo obiit 6, Novembr. (Lambertus ordinatus an. 1035, defunctusq; scribit an. 1052.)  
 Nic. Zyllecius, qui fortè apud *Everhelmum Abbatem Alimontensem* in Hannonia, in actis *S. Popponis* Abbatis *Stabulensis* cap. 18 legerat, constitutum à *S. Poppone* apud *Herfeldiam* Abbatem *Rudonem*, *Patribus labornensem* postea *Antistiti* m, in defensione Abbatiæ Imp. *S. Maximini* pag. 76 censet *Rudonem* fuisse monachum primum *S. Maximini*: sed fallitur, tametsi enim *S. Poppo* *S. Maximini* Cœnobium, præter plurima alia, regendum formandumque suscepit, non tamen *Rothonem* è *Trevirensi* Cœnobio ad *Herfeldensis* Abbatiæ regimen provexit, verùm de *Monasterio*, quod dicitur *Stabulam*, velut scribit *Egbertus* in *vita S. Heimeradi* num. XI, pag. 245. *Chronographi Hildesheimensis* etiam verba hæc sunt ad an. 1031:  
*Aribo* pia & venerabilis memoria *Romam* orationis causa profectus, inde digrediens, Cumis VIII Idibus Aprilis ex hac vita migravit: cuius honoris principatum obtinuit *Bardo* tunc nuper præiatus *Abbas Herfeldensis Monasterio*, sed huic quoq; mox successit ad Abbatiæ dignitatem *Rudolfus*, *Popponis* Monachus, cœnobij *Stabulon* Præpositus: à quo Imperatoris decreto inibi mutata est *Monachica* consuetudo. Eadem habet *Chron. MS. Saxon.* ad an. 1031. *Natales Rothonis*, non peræquæ ut virtutes, clari compertique sunt: *Monachus Hamerslebiensis* in *Excerptis* libelli de *Institutione Herfeldensis* Cœnobij, (cujus auctorem *Joachim. Maderus* editor conjecit esse *Lambertum Schafnaburgensem*) pag. 157 hunc in modum scribit: *Apud Conradum*

radum

radum Casarem accusatus Abbas Arnoldus deponitur, (an. 1031.) Rudolfus Abbas instituitur, Italus genere, mitis pater & benivolus, in Dei servitio vigilantissimus: sed paulo post ab eod. m. Conrado in Episcopum Paderburnensem instituitur. Wilhelmus Dilichius Chron. Hassie parte I, in catalogo Abbatum Hersfeldensium, *Rudolfum XIX* Abbatem Italum quoq; appellat. In Cathedrali templo Paderbornensi visitur monumentum Rothonis lapideum, in quo leguntur hi versus incisi:

*Est hic translatus signis primo templo locatus,*

*De Buren natus Presul, qui Rotho vocatus,*

*Nos annis xxxii ter quinis, bene protexit;*

*MLI decessit, quem M. Meinverc sancte precessit.*

Hermannus à Kerffenbroch Rothonem quoque *Baronem de Buren* vocat: sed non legi à vetustiore aliquo scriptore *Burana* stirpi insertum *Rothonem*. Si Gobelinus domesticus historicus genus hujus Antistitis exploratū habuisset, vel monumentum Rothonis Gobelini ætate Paderborna jam extitisset, verbo saltem uno illustri familiæ tantum decus assertum ivisset. Solùm hæc nunc apud eum leguntur ætate 6, cap. 53: *Meinvercus . . . . defunctus est & successit ei Rotho Abbas Hersfeldensis.* & cap 54: *Anno XII Henrici, Rotho Ep. Paderbornensis moritur, & successit ei Imadus.* Necrologium Abdinghoffense a. d. VIII Id. Novembr. sic habet: *Obijt Rotho Eps frater noster.*

Num. XLIX. IN HERVORDIA. ] Hujus Monasterij origines refert *Meibomius*. Appendice ad Gob. Personæ Cosmodrom. ætat. 6. cap. 47 ad ætatem Car-



roli M. annuq̄ue Christi 790. Verū certior est  
 graviorq̄ auctoritas *Conradi Imp Aug.* qui an. 1147  
 Ind. 10. rogante *Wibaldo Abbate Corbejenſi, Pri-  
 vilegia Herivordeniſis Monafterij, cui tunc venerabilis  
 Abbatiffa Judith præerat, innovans & confirmandis, re-  
 cenciet inter alia, quomodo ab Imperatore Ludovico  
 duo Monafteria conſtructa ſint, & à ſuis prædeceſſoribus  
 aucta honoribus & divitijs; unum videlicet Monachorum,  
 quod nova Corbeja dicitur, ad normam anti-  
 qua Corbejæ, Herivordeniſe verò Sæculimonialium ad  
 ſimilitudinem Sueſſioneniſis Monafterij. Porro Heri-  
 vordeniſe monafterium principio monacharum fuit,  
 quæ *S. Benedicti* Regulæ, uti & *Sueſſionenſes*, additæ  
 fuerunt. Ad *Johan. Mabillon* Actorum SS. Ord. S.  
 Bened. Sæculi I V part. 1, ad *Translat. S. Viti* Obser-  
 vat. 8, 9, & 10, pag 526. & ſeq. Et Sæcul. 2 ad *Vitam S.  
 Leodegarij* Observat. 7, pag 708. *Sammarthanos* *Fræ-  
 tres Galliæ Chriſtianiæ* tom. 4, de monaſt. *S. Mariæ  
 Sueſſionen.* *S. Paſchaſium Rathbertum* in *Expoſitio-  
 Pfalm 44.* lib. 1. Veri eſt ſimile, *Monasticam diſciplinam*  
 labefactari cœptam poſt barbarorum incurſio-  
 nem Cœnobijq; vaſtationem.*

Ibid. UNGARIORUM VASTATIONE.] Hujus pa-  
 ganorum incurſionis meminit *Henricus Auceps* in  
 diplomate Parthenoni Herivordieniſi conſeſſo an.  
 927 Ind. 15 quod tibi integrum exhibent monumenta  
 Paderbornenſia ſecondæ editionis pag. 224. Ubi  
 etiam habes, pag. 225 *Thietmari* ſacrilegam Heri-  
 vordia direptionem, relatam quoque hic pag. 60  
 num. 70. De morte *Thietmari* vide notas ad n. 57.

NUM.

Num. L. Prolixior hujus apparitionis narratio, cujus hęc synopsis habes, extat in veteri codice MS. Bōdecensi, cum hac inscriptione: *De revelatione construendi oratorij S. Maria in monte juxta Hervordiam. Si quis hominum desiderio sciendi &c.* Adde Gobelini Cosmodrom. ætat. 6, cap. 52, pag. 211. Verum adverte, Gobelinum mores suæ ætatis, statumq; Hervordia attendisse cū scripsit, *Monasterium Canonicarum seu Monialium secularium per Ludeovicum Imp. Caroli M. filium Hervordix fundatum*: nam *Adrianus PP. IV.* an. 1155, 16. Kal. Junij, Indiēt. 3. hoc modo alloquitur Vestales Hervordientes: *Dilectis in Christo filiabus Juditha Abbatisse Hervordiensis Monasterij, ejusq; sororibus tam presentibus quam futuris, Canonicam vitam professis in perpetuum.* Primus vero Hervordientes hoc modo salutatur in litteris suis *Clemens PP. V. Dilectis in Christo filiabus Abbatisse & conventui secularis ecclesie Hervordensis, Paderburnensis diocesis,* an. Pontif. sui 7. Et deinceps *Bonifacius IX, Johannes XXIII, Julius II* Pontifices Maximi, hac compellatione usi sunt. In colle Hervordix vicino ubi se Dei Mater pauperi pastori veneranda specie videndam obtulit, templum deinde constructum est cum parthenone, quę heterodoxæ hodie puellæ, nobili omnes genere natæ occupant. Inscriptio quæ in æde illa extat, annum præfert MXI, quo hæc apparitio facta sit; aliaq; ibidem visuntur hujus rei gestæ indicia. Primarij Collegij patrona est *S. Puzinna*, cujus vitam & translationem habent Bollandi Continuatores die 23 April.



Num. LII. SUB IPSIUS SORORIO IMMADO  
 EPISC.] *Immadus* in litteris alibi citatis, anno Episcopatus sui primo, Christi vero 1052. 3 Non. Decembris, *Domnum Meinvercum* Episcop. dilectum avunculum suum appellat. An. 1059. 7 Idus Aprilis. Indiēt. 12. *Henricus IV* Traje & i ob fidele servitium *Immadus* Episcopi liberè restituit Ecclesia Paderbornensi forestum *Reginberishuson*, quod *Henricus III* à *Rodulfo* Episcopo olim acceperat pro quodam prædio in pagi *W. Stfalon* & *Treine* sito, in Comitibus *Bernardi Ducis*, & *Rotgeri* atque *Bernardi* Comitum, quod ipsum quoque donat Ecclesia Paderbornensi. Anno 1075. 15 Kal. Septembr. Indiēt. 13, *Immadus* Episcopatus sui an. 24 pro anima sua suorumq. prædecessorum *Meinverchi* & *Ruodonis* Episcoporum remedio . . . . . cortem *Moranga* in pago *Moranga* sitam, & ab *Heinrico Imp. Paderbrunnensi* Ecclesia ad vestitum fratrum traditam (vide num. XXV pag. 29) à *Meinverco* Episcopo retentam, à *Ruodone* vero Ep. Fratibus redatam, ab ipso (*Immodo*) hucusq. iniuste possessam, . . . . salubri pœnientiâ ductus, Canonice ad vestitum reddidit eâ conditione, ut unus Fratrum præter Episcopum & Prepositum eligatur, cui cum fraternâ electione & episcopali consensu hujus obedientia cura ingeratur. Actum coram omni Cleri & populi conventu & præsentia, in crypta *Paderbrunnensis Monasterij*, juxta sepulchrum Episcoporum. Hoc sepulchrum primorum Episcoporum Paderbornensium restauratum est in crypta ædis Cathedralis à *Celsiff.* & *Reverendiss. Episcopo* & *Principe Paderbornensi*

Fer-

*Ferdinando* An. MDCLXVI, velut habet in scriptio  
in *Mozumentis Paderbornensibus* secundæ edit. pag.  
307. *Inmadus* rexijt Ecclesiam Paderbornensem an-  
nis XXV, obiitq; an. 1076, ut *Gobelin. Ætate* 6. cap.  
55. sive an. 1077, ut *Herm. à Kerffenbroch*, 3. Non.  
Februar. ceu notatur in necrologio *Abdinghoffensi*.

Ibidem. ANNO ARCHIEP. ] S. Anno Colon. Ar-  
chiep. obiit an. 1075, 4. *Decembris*, sepultus in *Cæno-  
bio Sigebergensi* quod construxerat. *Vita apud Suri-  
um* 4. *Decembr.* At *Lambertus Schafnab. & Chro-  
nologus Hildesheim.* obitum S. *Annonis* perperam  
referunt ad an. 1077; *Bucelinus* graviori errore ad  
an. 1064 part. 1. *Germ. sacr.* pag. 25. *Fridericum Episc.  
Monast.* tradunt Ecclesie sue præfuisse ab an. 1062  
usque ad an. 1085. Vide *Boichorstium in vita Erponis*  
cap. 4. pag. 27.

Num. LIV. S. BONIFACII. ] S. *Bonifacius* è Mo-  
nacho *Archiepiscopus Moguntinus*, mortem pro  
Christo oppetit in pago *Frisie Ostracha*, loco *Dokin-  
kirka* dicto, an. 754 die 5 Junij, qui huic *Germanie*  
*Apostolo* exinde sacer mansit. Acta ejus habes apud  
*Surius & Johan. Mabillon Saculi III Benedicini*  
parte 2. Reliquias S. Martyris adservat *Archisterium*  
*Fuldense*. Mirum est nondum erectam in *Germania*  
Congregationem à magni illius Sancti nomine ap-  
pellatam.

Num. LIV. SYNODUM IN GOSLARIA. ] Ea-  
dem habet *Chron. MS. Saxon.* ad an. 1019; *Chronicon*  
verò *Hildesheimense* hanc Synodum refert cum *Au-  
gore nostro* ad an. 1018, ubi *Godescalcus Eggibardi*



*Præsidis filius; Gertrudis Egberti Comitis filia appellatur, quam Brovverus contra autographi fidem Egkhardtii F. heic nominat.*

Num. LVII. BERNARDUM DUCEM. ] Ita Chron. Hildesheim. ad an. 1019. Verùm Chron. MS. Saxon. ad an. 1020. hæc habet: Bernardus junior, Dux Saxonie frater Thietmari, Imperatori rebellaturus Scalkenburg (hodie Luneburg) intravit, quem statim Imperator obsedit: sed Bernardus justitiæ cedens, interpellante Imperatrice, gratiam Imperatoris pariter cum beneficio patris obtinuit. Quæ Adamus Bremen lib. 2 cap. 33 de Bernardi Ducis; ejusq; avi Hermannii obscuris natalibus lib. 2 cap. 4. commentus est, eam in Vindiciis Bilinganis diluit Meibomius. Thietmarus Bernardi Ducis frater anno 1048 ab Arnolodo milite suo occisus est. Lamb. Schafnab.

Num. L VIII. ABBATIAM LISBERNENSEM. ] Diploma donationis, quo S. Henricus Imp. Ecclesie Mimigarde vordensi an. 1019. 13 Kal. April. Goslarie concedit & confirmat Abbatiam Lisborn, quam antea videbatur habere, etsi sine scripto, sitam in pago Dreni in Comitatu Herimanni Comitis, mutilum extat in Chron. MS. Westfalia Bernardi Wittij Asceta Lisbornensis: nullaq; in eo fit mentio mutationis Regulæ seu instituti veteris; at solum datur Episcopo Thiedero ejusq; successoribus facultas, in præscripto loco Lisborn imperiali auctoritate servitium Dei ordinandi: quod factum demum ab Egberto XX Episcopo Monasteriensi, qui post exultum Cœnobium, circa an. 1130, Monachos Ordinis nostri introduxit. Abba.

Abbatia *Lisbornensis*, viris religione doctrinaq; præstantibus hodieq; florens, sita est in *Burggraviatu*, ut vocant, seu præfectura *Strombergensi*, ad *Lisam* amnem, dicta velut *Lisa-fons*. Abest à Lippiensi oppido primo milliari. *Wittius* in chronico suo conditorem celebrat *Carolus M.*, qui sub invocatione SS. *Cosmæ & Damiani MM.* Parthenonem illic instituerit, eidemq; præfecerit 1 Antistitam sororem suam *Rotsvindam*: sed hæc neq; tabularum fide, neq; vetustiore aliqua auctoritate fortasse nituntur; quæ etiam destituuntur illi, qui *Canonicarum collegium Liesborne* à *Corolo M.* principiò institutum comminiscuntur.

LIX. ABBATIAM *SCELDIZE*.] Tabulæ donationis sic habent: *In nomine sanctæ & individue Trinitatis. Henricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Quomodo prædecessores nostros Reges vel Imperatores operatos esse in summo capite, quod est Christus, non ignoramus; quos scimus in ejus membris per fidem operatos haberi, augmentando Ecclesias Deo vel Sanctis sacratas, & pro ea ipsa æterna recompensationis præmia adeptos fore: non secus, si sanctam Dei Ecclesiam ad honorẽ Sanctorum suorum crescere & multiplicare donis vel augmentis studuerimus, perpetuæ remunerationis exultationem nos nancisci speramus. Quapropter universali Ecclesie, præsentis scilicet & futuræ manifestum esse optando desideramus, qualiter Meinvercus Paderbrunnensis Episcopus, nostre imperiali excellentiæ dilectissimus, sublimitatem nostram convenit, postulans Ecclesie suæ nram Abbatiam*

*riana*



tiam Sceldice vocatam dari. Cujus continuis petitionibus non immerito faventes, interventu Cunigunde Imperatricis, nostra videlicet dilectissima conjugis, Episcoporum quoque Geronis, Unrvani, Arnoldi, Dietrici, Hiltivardi & Erici; optimatumq; nostri regni Bernhardi Ducis, Sigfridi Comitis, Hermannii & Egghardi consilij ventilatione. supradictam Abbatiam sitam in pago Wessaga, & in Comitatu Friderici Comitis, sibi nec non sue Ecclesie Paderbrunnensi suisq; successoribus omni concedimus jure deinceps possidendam. Ut vero hac precepti pagina stabilis & incorvulsa futuris vel presentibus permanere valeat, propria manus cautione firmamus. & nostri sigilli impressione ratum docentes signari jussimus. Signum domni Henrici invictissimi Romanorum Imperatoris Augusti. Guillelmi Cancellarii ad vicem Erkanbaldi Archicappellani recognovit. Data XIII Kal. Aprilis, Anno Domini incarnationis MXVIII, Indict. II. Anno vero domni Henrici secundi regnantis XVII, Imperij VI. Actum Goslarie, feliciter. Amen. Hujus Cœnobij conditores nullus, quod sciam, litteris consignavit. Cobelinus Persona Cosmodr atar. 6. cap 48 hæc de eo habet: Anno quinto regni Ottonis Monasterium Schilde in diocesi Paderbornensi fundatur. Cleinsorgius in MSS. Annalib. refert initia hujus Cœnobij ad an. 942. Advocatiæ, ut vocant, jus & exercitium, quod à S. Henrici ætate erat Episcoporum Paderbornensium, beneficio eorumdem postmodum transijt ad Ravensburgi Comites: cujus rei testes sunt hæc litteræ: Bernardus Dei gratia Paderburnensis Episcopus omnibus  
hanc

Hanc litteram inspecturis aeternam in Domino salutem.  
 Presentibus consistemus, quod nos nobili viro socero no-  
 stro Comiti Loderwico de Ravensberg Advocatum  
 Ecclesie Schilddecensis, communicato Ecclesie nostra con-  
 silio, jure nostro & Ecclesie Schilddecensis contulimus.  
 Insuper recognoscimus et omnia bona, quae à nobis & ab  
 Ecclesia nostra jure possidet feudali. Dat. anno Domini  
 MCCXLIV, & Dominica qua cantatur, In excelsis  
 throno, Pontificatus nostri anno XVII. Sacra tamen ju-  
 risdictio mansit semper apud Ecclesiam Paderbor-  
 nensem, ejusq; Antistites. Eapropter Innocentius V.  
 PP. Romae an. 1276. 21 Aprilis ratam habuit senten-  
 tiam ab Episcopo Paderbornensi latam, quae exaucto-  
 rato iustas ob causas Henrico Praeposito Schilddecensi,  
 collegio illi Praepositum novum dederat Ottonem  
 Comitem Retbergium, quem Paderbornensis Eccle-  
 sia prius etiam Praepositum, deinde & Pontificem  
 habuit. Anno 1032 alium item Ottonem Schilddecensis  
 Praepositi munere functum reperi. Anno 1542. 2 Ju-  
 lii, convenit inter Decanam ceterasq; collegij Schil-  
 decensis Vestales, ac Wihelimum Julia, Clivia, ac  
 Montium Ducem, Marcha & Ravensburgi Comi-  
 tem, ut post mortem Georgij ab Hantzfeld Praepositi,  
 nullus deinceps huic successor daretur: sed domici-  
 lium Schilddecensis Praepositi cum eâ proventuum ve-  
 stigaliumq; parte, quam coloni Ducis pendere olim  
 soliti fuerant Praeposito, exinde cederent Duci ve-  
 lut hereditario Schilddecensis collegij Patrono sive Ad-  
 vocato, reliquos Praepositi redditus in se partiren-  
 tur ex aequo Vestales: quarum hodie potior pars Ro-  
 manos



manos ritus & sacra colit, pars Lutheri Calvinique placita sectatur. *Schildece* (vulgò *Schildse*) intra primum lapidem abelt ab oppido *Bilefeldia* in Comitatu *Ravensbergico*. Ab aliquot seculis Abbatia esse desijt, regiturque hodie collegium à Præposita & Decana.

LX. S. STEPHANI.] Confer cap. 23 vitæ *S. Heirici* Imp. & *Greiseri* notas ibid. *Chron. Ursbergen & Hildesheim ad an. 1019*, *Herman. Contract. ad an. 1020*.

Num. LXI. QUARTO KAL. JULII.] Fragmentum MS. ANNAL. *Corbejensium an. 1019: Hemerodus Monachus in vigilia S. Petri obiit, & statim multas virtutes Dominus per eum operatus est. Vide Acta S. Heimeradi hic num 22.*

Numeri sequentes 62, 63, 94, & 67, delibati sunt ex histor. Vitæ *S. Heriberti Archiep. Colon. capitibus 26, 27, 28 & 34*, quam *Marcwardo*, è Monacho *Sigeburgensi, Tuitiensi* Abbati IX inscripsit *Rupertus* ejusdem successor. *D. Gabriel Gerberon in Apologia pro Ruperto pag 45.* collocat vitam *S. Heriberti* inter *Ruperti* jam Abbatis opera, facitque pag 81 *Marcwardum olim Abbatem, Ecclesia*, nescio cujus. *Archiepiscopalem*. Ceterum de *Otone Comite* hæc scribit *Dumarus Mersb. lib. 8 pag 236* & sequenti ad an. 1018: *XVII Kal April. magna fit in Neumagen synodus, & nepos meus Otto & uxor ejus Irmingard consanguinitate proximâ injustè diu conjuncti, ob inobedientiam continua vocationis excommunicati sunt: cooperatores verò eorum ab Episcopis vocantur ad satisfactionem.* Eodem anno post Pentecosten, *Otto Comes præ-*  
diectus

dictus in presentiam Imperatoris & Erkenbaldi Archiepiscopi supplex veniens, injustam uxorem tribus sacramentis amisit. Anno deinde 1020 Otto predictus, qui uxori injusta adhaeserat, quam tribus sacramentis amiserat, (verba sunt Chron. MS. Saxon.) felle comotus contra Erkenbaldum Moguntinum Archiepiscopum, eo quod sapius ab illo correptus esset pro jam dicto incestu, dispositis insidijs Christo Domini manum paravit inferre: sed cum Archiepiscopus Dei se protegente gratia illaesus evasisset, socios qui navali eum dens sequebantur itinere comprehendit & custodia tradidit, multisq; injurijs traltavit. Quod cum Imperatori nuntiatum fuisset, habita cum Episcopis & Principibus deliberatione, eum ab hac immani tentavit revocare vesania, Qui rebellis & incorrigibilis perseverans, ab Episcopis vinculo anathematis innodatus est, ut vel sic timore poenali victus, dignis poenitentia lamentis reddere se studeret: quam ille omnino despectus habens, copias suas cum conjugē in quamdam munitiōnem Hamerstein vocatam contraxit. Imperator justitia fidens Hamerstein firma obsidione circumdedit, ibiq; Dominici natalis diem egit. Tandem famis inopia coacti, instante celebri per Orbem Stephani protomartyris festo, se suaq; omnia Imperatori dedunt. Quid exinde in concilio Moguntino an. 1023 de Ottone & Frimungardā actum sit, habes Num. LXXV pag. 117, ex Actis S. Godehardi ad 4 Maji cap. 6. pro quo Phil. Labbens, & Gabr. Cossartus tom. 9 Concilior. col. 254 citant cap. 22, ubi Hanstein & Limingardam mendosè expressit typhotheta.

Num.



Num. LXVI. B. HERIBERTUS. ] *Lambertus in Actis ejusdem 16 Martij apud Henschenium cap. 5. num. 30, scribit S. Archiepiscopum obiisse an. 1021, velut etiam Chron. MS. Saxoniæ: at Lambertus Schafnab. Chron. Ursbergen. & Chron. Wirzburgense apud Steph. Baluzium lib. 1. Miscell. & si qui præter hos S. Heriberti mortem referunt anno 1020, ærâ Gallicâ veteri usi sunt, quibus die 16 Martij adhuc currebat annus 1020. Piligrinus S. Heriberti successor anno 1022, (æra Romanâ) Indiçt 5, 4 Non. Febr. cum Aribone Mog. Archiep. interfuit dedicationi basilicæ S. Michaelis Bambergæ, teste Ursbergensi, obiitq; anno 1036, ante mensem Junium; non verò mense Aug. ut perperâ Gelenius: nam 8 Kal. Junij Herimannus ejus successor cum S. Bardone Mog. Archiep. & Brunone Wirzburgensi Ep. Paderbornæ dedicavit templum Buxtorffense, ut ex authenticis tabulis tradit auctor noster Num. 1022, pag. 156. Annum obitus Piligrini adstruunt Lamb. Schafnaburgensis & Urspergensis, diem omittunt; quem exprimunt Chron. Hildesheim. & MS. Saxon. videlicet IX Kal. Septembris, sed mendosè, nam potior fides tabulis Collegij Buxtorffensis, & huic auctori hinc habenda.*

Num. LXVIII. SAB. PASCH. FEBDOMADÆ, IX  
KAL. MAII ] Igitur diploma S. *Heinrici*, quo cur-  
tem *Hammonstede* Meinwerco Ep. dono dedit, *Ba-*  
venbergæ datum est an. 1020, quo sabbatum Pascha-  
lis hebdomada incidit in 9. Kal. Maij, sive 23. Aprilis, qui S. Georgio est sacer.

B. MEINWERCI.

385

Nem. LXIX. KALENDIS JUNII.] apographa  
hujus donationis exprimunt an. 1020 *Indict. 3 XI*  
*Kalend. Junij, id est, 21. Aprilis.*

Num. LXX. IPSO QUOQUE ANNO ERCHAN-  
BALDO MORTUO ] Videlicet an. 1020, 15 *Kal. Sep-*  
*tembris*, ut habent *Lambert. Schafnaburgensis, Chron.*  
*Hildesheimense & Stederburgense, Godefr. Henscheni-*  
*us in annotatis ad Vitam S. Godehardi cap. 3. lit. e. ex*  
*Nic. Serarj libro 5. Rerum. Mogunt. pag. 729. & seq.*  
ubi tamen diem obitus non consignat. At verò *Herman.*  
*Contractus, Marian. Scotus, Chron. MS. Saxon.*  
mortem Erkanbaldi referunt ad an. 1021; & in *Mo-*  
*nument. Paderbornensib. pag. 161 Gunterius Cancell. ad*  
*vicem Hrcumbaldi recognovit anno 1021, 14. Kalend.*  
*Martij, Indict. 4 diploma S. Heinrici Imp. quo an-*  
regni sui 19, imperij 8, *Paderbrunna* donat *Mein-*  
*vergo Ep. Comitatum Dodiconis*; de qua donatio-  
ne agit Auctor noster numero sequenti. In Actis  
*S. Bernwardi Ep. Hildesheimensis* dicitur c. 38. apud  
*Surium 20 Novembr. Erkenbaldus ex Abbate Ful-*  
*densis factus Archiepisc. Moguntinus, & S. Bernwardi*  
consanguineus, quinto regiminis anno mortuus, 15  
*Kal. Septembr. Wolferus in Actis S. Godehardi ead-*  
dem repetit *cap. 3 num. 22*, sed novem annis præse-  
disse Ecclesiæ *Moguntinæ* rectius tradit.

Num. LXXII. DODICO ET FRATER EIUS CO-  
MES SIGEBODO.] Horum fratrum donationes, quas  
*Berno* eorum propinquus irritas reddere conabatur,  
habet hic *pag. 47, num. 20; & pag. 49. num. 21, & in*  
*Monumentis Paderborn, integras Dodiconis tabulas*  
*pag. 159.*

CC

Num.



Num. LXXIII. EODEM ANNO] Milleſimo vigēſimo ſecundo, 10 Kal. Februarij, ut habet Chron. Hildeſheimenſe, & MS. Saxon. Succellit Thiederico *Sigifridus* è *Walbecenſi Comite* Monachus & Abbas Cœnobij *S. Ioannis Bapt.* propè *Magdeburgum*, frater *Dumari Episc.* *Mersburgenſis*, qui *Sigifridus* meminit in Chron. lib. 6. pag. 157 in fine; & lib. 7 pag. 205. in edit. *Maderi*. Anno 1031. 2 die Novembr. inter fuit *Sigifridus* dedicationi basilicæ *Abdinghoffenſis*, ut videre eſt pag. 147. num. CX. Obijt, teſte Chron. *Hildeſheimenſi*, anno 1031. 5 Kal. Decembr. Idem annus 1022 fatalis quoque fuit *Theoderico Mindenſi Ep.* qui deceſſit 19 Februarij, ut eſt in Chron. *Hildeſh.* & *MS. Saxon.* *Mindenſe* Chron. mendosè exprimit 9 Februar. quo die nullus colitur *Julianus*. *Gero* *Magdeburgenſis* Archiep. vitâ functus eſt an. 1023. undecimo Kal. Novembr. Chron. *Hildeſh.* & *MS. Saxon.* *Ditmar*, lib. 6, pag. 170 electum tradit an. 1012, 22 Septembr. *Thietmarus Ep.* *Oſnabrugenſis* obiit an. 1023, 17 Kal. Septembr. Vide quæ notavi pag. 322.

Num. LXXIV. ARNOLDUS, ] quem *Ditmarus* lib 6 pag. 162 & 178; iterumq; lib. 7 pag. 216 *Arnulfum* nominat, fuit *Halverſtadenſis Ep.* obiitq; an. 1023 7 Idus Septemb. ut habent *Chronica Hildeſheimenſe* & *MS. Saxon.* *Bernardus Aldenburgenſis Episc.* (non *Havelbergenſis*, ut *Browerus* expreſſit) defunctus eſt, teſte Chron. *Hildeſheimenſi*, (in quo *Berno* nuncupatur) an 1023. *Ditmarus* lib 7 pag. 185 ad an. 1014 *Antiquæ civitatis Episcopum*, *Chronicon MS. Saxon.* *Bernbardum Mikilemburgenſem Episc.* appel-

appellat ad an. 1023. *Diemar. lib. 8 Chron. pag. 235*  
 scribit ab hoc Bernardo nuntiatam D. Heinricho Imp.  
 defectionem Aboiriuorum ac Wagrorum, quorum  
 erat Episcopus. Incertus Auctor *h. stor. Slavica* apud  
*Lindebrogium cap. XII*, narrat Bennonem Episc. Al-  
 denburgensem hac rebellium ferocia coactum fuisse  
 solum mutare, atq; à S. Bernvardo Ep. hospitio beni-  
 gnè exceptum *Heldeshemij*, in ipsa templi S. Mi-  
 chaelis dedicatione ab affluentis populi turbâ elisum:  
 Sed hujus rei non meminerunt *Acta S. Bernvardi*,  
 tamen in ijs memoretur *cap. 41* anno 1022, 3 Kal.  
 Octobr. Indiēt. 5, Benno Aldenburgensis Ecclesia reve-  
 rentissimus Antistes prædictæ dedicationi interfuisse.  
 Successit Bernardo Aldenburgi Reginoldus, sive Re-  
 noldus, quem Wolfherus in *Actis S. Godehardi cap. 4*  
*num. 30* accenset Patribus ijs, qui anno 1027 in Franco-  
 furtensî Concilio fréquentes comparuerunt.

Num LXXVI. PROXIMA DIE ] Totum hoc  
 incisum seorsum habetur in autographo post Vitam  
 B. Meinwerici: Brovverus in textum recepit, sed po-  
 tiori parte truncatum. Synodum Seligenstadiensem  
 post alios ediderunt Labbens & Cossartius *tomo IX*  
*Conciliarum postrema editio, col. 844*, habitamq; no-  
 tant anno 1022, 2 Id. Augusti, Indiēt. 5. At verò noster  
 cum Wolfhero in *Vita S. Godehardi cap. 4, num. 24*  
 apertè indicat, duas Synodos anno *millesimo vigesi-*  
*mo tertio* ab Aribone coactas: priorem ineunte Ju-  
 nio *Moguntia*, ad quam vocatus venit S. Godehardus,  
 (anno 1022. 28 *Novembris* consecratus) & de hac  
 agit noster *num. 75*; Alteram eodem an. 1023 *Seligen-*  
*stadij*



*stadij ad Moxnum 3 Id. Augusti, cuius decreta hoc inciso habes. In citata edit. Labbei cap. 1 legitur sanguinis, hinc sagiminis. Apud Labbeum caput V est huiusmodi: Item decretum est, ut unusquisq; Presbyter in die non amplius quàm tres Missas celebrare presumat: quod in nostro exemplari omissum est. Variantes alias lectiones, cui commodum fuerit, ex collatione editionum observare licebit.*

Num. LXXIX. ERVETE.] Hanc curtem regalem hoc numero tradit Anonymus *sitam in pago Westfalon; at infra num. XCVII Curtem ad jus Imperiale pertinentem, Ervete dictam, collocat in pago Engere, in Comitatu Marcvvardi: quam à Conrado Imp obtinuit Meinovercus, ceu testantur tabulæ donationis, data Roma VII Id. Aprilis. (in quem diem an. 1027 non incidit sabbatum Paschalis hebdomadæ, ut de iuo heic addidit Auctor) Indiët. X, anno Domini carnat. MXXVII, anno autem Domini Conradis secundi regnantis III, Imperij verò primo. Fueruntne igitur duæ ejusdem nominis curtes regia, una in pago Westfalon, altera in pago Engere sitæ? Ervete frequens est hodieq; in Ducatu Westfaliæ municipium, egregij operis templo ac turre, nec non domiciliis aliquot Nobilium conspicuum. Plura vide in Annal. Cleinsorgij.*

Num. LXXX. THIETMELLE.] de hoc oppido, modò ditiois Lippiensis, consule *Monumenta Paderbornensia secunde edit. pag. 40, 44, 46 & seq.*

Num. LXXXV IMPERIALIS EDICTI.] Illud sic habet: *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis.*  
Hein-

Henricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Quoniam divina dignationis clementia ad regendum totius reipublice statum nos provexit sua immensa pietatis magnificentia: ante omnia ad hoc laborare debemus, ut qui corona terrene imperij gloriamur, illa inestimabilis gaudij gloria non privemur: quod certissime posse fieri creditur, si loca Ecclesiasticis obsequiis à Christianis viris deputata, nostra auctoritate confirmentur & corroborentur: ut omni exteriori inquietudine remota, divinis laudibus in eis mancipati, in pace & quiete Domino servire delectentur; & qui curis & negotiis secularibus gravamur, eorum qui in lege ejus die ac nocte meditantur precibus à peccatorum nostrorum nexibus liberemur. Quapropter omnium fidelium Christi nostrorumq; noverit universitas, qualiter dilectus nobis venerabilisq; Meginwercus Potherbrunnensis Ecclesie Antistes Celsitudinem nostram adiit, suppliciter exorans, ut Monasterium in occidentali parte Potherbrunnensis suburbij ab eo in honore sancte Dei Genitricis & perpetue Virginis Mariae omniumq; Sanctorum fundatum, nostra Imperiali auctoritate confirmaretur: quatinus fratres ipsius Monasterij in divino servitio jugiter permansuri ab omni seculari violentia & molestia remoti & miniti, tanto expeditius viam mandatorum Dei currebant, quanto eis terrena incommoditatis impedimenta nulla obstarent. Cujus laudabilis studij intentione congaudentes, & per interventum dilectissima conjugis nostre Cunigunde videlicet Imperatricis Augusta, aliorumq; fidelium nostrorum justis petitionibus gratuito assen-



assentientes. imperiali auctoritate decrevimus, ut omnia  
 a nobis vel ab ipso venerabili Episcopo de sua hereditate  
 vel aliunde per commutationem aut precariam vel  
 ab alijs Dei cultoribus eidem Monasterio collata, vi-  
 delicet in terris, villis, arvis, curtis, edificijs, manci-  
 pijs utriusque sexus, terris cultis & incultis, pratis, pa-  
 scuis, campis, aquis aquarumq; decursibus, molis, mo-  
 lendinis piscationibus, silvis, vineationibus, exitibus &  
 redditibus, vicijs & rivis, quasitis & inquirendis, cum  
 omni utilitate & integritate qua ullo modo ex eis prove-  
 nire poterit, ipsius Monasterii Abbas cum suis Fra-  
 tribus proprietario jure potestativè habeat atque possi-  
 deat, & cum Episcopi licentia quicquid illis placuerit  
 ad communem usum Ecclesie faciat. Insuper etiam fir-  
 mum & stabile perpetuo jure sancimus, ut nullus Dux  
 aut Comes aut aliqua persona parva vel magna quem-  
 libet Abbatum ipsius Monasterij cum suis Fratribus  
 super eisdem bonis inquietare, molestare aut divestire,  
 aut aliqua judiciaria potestate se intromittere presu-  
 mat, nisi Advocatus Ecclesie ab Abbate & Fratri-  
 bus in defensorem electus, & ab Episcopo constitutus  
 eo videlicet tenore, ut jure contentus Ecclesie cum præ-  
 cepto & consilio Abbatis omnia faciat atque disponat.  
 Si quis autem hoc nostre Imperialis confirmationis edi-  
 ctum aliqua presumptione infringere temptaverit, cen-  
 tum librarum examinati auri ad nostrum pondus com-  
 positione mulietur, ut quinquaginta nostra Camera per-  
 solvat, quinquaginta eidem Ecclesie quam ausu te-  
 merario inquietare presumpsit. Et ut hæc confirmatio  
 verius crederetur stabilisq; & inconvulsa omni tempore  
 habea-

habeatur, hanc Imperialis cedieli paginam inde conscribi & manu propria confirmantes sigillo nostro insigniri iussimus. Signum Domini Henrici Romanorum inuictissimi Imperatoris augusti. Guntherius Cancellarius vice Aribonis Archicappellani recognouit. Datum XV. III Kal Febr. Indict. VI Anno Dominica Incarnat. Millesimo vigesimo tertio. Anno vero Domini Henrici secundi regnantis XXI. Imperij vero ejus VIII. Actum Paderbrunnon. feliciter. Amen.

Num LXXXVI. MONASTERIO COEUNGA.]  
 S. Henricus Imp. an. 1015, Merseburgo, ubi dies Christo resurgenti sacros egerat, discessit, & proximos rogationum dies (16, 17, 18 Maij) in Capungun fuit, quo ipse curiam suam de civitate Cassulun dicta transtulit. Post hæc an. 1017 Regina Cunegundis à Franconwordi à Casare discedens, cum ad locum qui Capungun dicitur veniret, infirmatur: & ibi tunc Domino promisit se ad laudem ejus unum facturum Monasterium . . . Imp. audiens contectalem suam loqui habere, & votum fecisse Domino, grates Christo persolvit ex animo, & Pentecostē in Verthuni, quam primo sanctus Domini Sacerdos Luidigerus suis construxit impensis, venerabiliter celebravit, Abbate Hesthenrico sibi pleniter ibidem serviente, Ditmar. lib. 7. Proximo post anno 1018 Casare arma Burgundiæ inferente, Imperatrix ad sibi dilectam Capungam veniens, Monachicam ibi vitam ordinavit, Dimar. lib. 8 pag 244, ubi eadem sancta Imperatrix & virgo à morte S. Henrici Imp. religiosam vestem induta, reliquos vitæ annos sanctissime transegit, atq; anno 1040 defuncta est die



vertiâ Martij, ad quam de ea agit *Godefr. Henschenius*,  
 præmissio Actis erudito commentario, in quo §. 1.  
 num. 2 scribit *Confugiam* Cœnobium situm fuisse  
 apud *Cassellas* in *Hassia*, & pertinuisse ad diœcesim *Pa-*  
*derbornensem*, & inspectionem hujus Episcopi; uti *Brow-*  
*verus* in *Scholijs* ad *Vitam S. Meinverci* num. 69  
 clarè demonstraverit. De situ res est evidens: nam  
 uno milliari abest *Casselia*, infra quam *Fulda* miscetur  
 amnis, qui *Confungam* alluit. Alterum abnuo; non e-  
 nim clarè satis indicatur Num. LXXXVI hoc Cœno-  
 bium pertinuisse ad *Meinverci* inspectionem ac diœ-  
 cesim *Paderbornensem*, velut censet *Browerus*: cum  
 neq; hoc numero 86, neq; in diplomate *S. Henrici*  
*19 Kal. Febr. an. 1023, Indiēt. 6 Paderbrunna* dato, fiat  
 ulla mentio *Meinverci* Episcopi, sive diœcesis *Pa-*  
*derbornensis*. Immo sanctus Imperator in citato di-  
 plomate his utitur verbis: *Noverit omnium Christi*  
*fidelium nostrorumq; universitas, qualiter nos pro re-*  
*medio anime nostre dilectissimaq; conjugis nostre Cu-*  
*nigunde videlicet Imperatricis Auguste, atque paren-*  
*rum nostrorum, nec non pro animabus fidelium nostro-*  
*rum quorum ibi corpora quiescunt, Erphonis scilicet*  
*Comitis atque Cuononis, Monasterio nostro Confunga*  
*nominato, in honore . . . . constructo, ad usum sancti-*  
*monialium ibidem servientium, quoddam nostri juris*  
*pradium Hardinghuson dictum, concedimus atque lar-*  
*gimur, cui Monasterio venerabilis Outa Abbatisa præ-*  
*sidet. Fuit igitur Confunga regij juris Cœnobium, &*  
*nobile Imperij membrum, uti rectè Browerus: jus ve-*  
*ro sacrorum ad Archiepiscopum Moguntinum spe-*  
*ctavit.*

Stavit. *Wilib. Dilichius in Chron. Hassia parte 2. pag. 105, Ludovicum Pium Imp. conditorem Confungensis Parthenonis perperam facit: quem errorem iterum inculcat pag 115 & seq ad an. 1008: ibidemq; pag. 117 narrat Henricum III Imp. ob suspicionem violati tori repudiasse uxorem suam, quæ an. 1039 ingressa sit Cœnobium in Legendâ ejus Confugium appellatum, in quo etiam vitam finierit. Risum teneatis amici! Idem parte 1 Chron. pag. 155 tradit Casselliam an. 1008 prædium rusticum (Weyerhoff) fuisse ad Cœnobium Confugium pertinens. Sed pace Dilichij, anno 1008 Confungense Cœnobium nondum erat conditum: verum S. Henricus Imp. an. 1015 de civitate Cassellum transtulit curiam (id est, aulam) suam in Coupungun, ut jam ex Ditmaro Mersburgensi didicimus: immo Chvonradus Rex anno 913. Indict. I. 12 Kal. Martij Cassella dedit Sanctimonialibus in Monasterio Mescheri diploma, quo eis rogatu Herimanni Comitis jus eligendæ Abbatisæ confirmat. Omta, (S. Conigunda Augusta & Monachæ ex sorore neptis,) sanctæ commemorationis Abbatisa de Confungon obiit 14 Kal. Octobr. an. 1035, ut habet Chron. Hildesheim. & MS. Chron. Saxon. Ipse vidi chartam sub annum seculi superioris vigesimum confectam, in qua descripta habetur supellex sacra & profana Cœnobij Confungensis: & primo quidem loco recensentur sacre Reliquiæ, 14 diversis capsis & scrinijs inclusa. In primis una capsula argentea deaurata, in qua est quoddam scrinium crystallinum, in quo continetur arux de ligno S. Crucis, ornata auro & gemmis. Item*



*scrinium eburneum cum caligis S. Huberti, & Zona Domini, & alijs Reliquijs. Item plenarius ornatus auro & gemmis. Item unum altare portatile auro & gemmis ornatum. Item quadam scatula sigillata, in qua habentur margarite. Cetera scrinia norantur fuisse clausa. Item unum thuribulum argenteum. Item crux S. Mauritij aurea, cum pede argenteo deaurato. Item scrinium in quo habetur tibia D. Henrici Imp. fundatoris hujus loci. Casula S. Urbani M. Præterea supellex multa, calices & vasa sacra argentea & deaurata, quæ longum hic esset recensere. In bibliotheca codices XLVI. In choro libri ecclesiastici XXII, Sequitur deinde supellex profana. Grex 241 ovium, porcorum 74: boves 40, equi 17 numerabantur. Ad hæc redditus annuus in pecunia ducenti floreni, in frumentis, mille ducenta, & ex domestica agricultura trecenta, ut vocant, quartalia. Restabant eo tempore Cœnobio solvendi 300 floreni. Circa *Consfungam* pagi quatuor, & in *Thuringia* duo, cum omni censu, judicijs & jurisdictione pertinebant ad hujus Cœnobij ditionem. Sed heu fata rerum! anno 1531 illustris hic Parthenon abolitus est à *Philippo Hassie Landgravio*, qui geminam *Kaufungam* cum alijs pagis & prædijs ditioni suæ adjunxit, inque præfecturam convertit, quæ vulgò *das Ampt Kauffungen* appellatur. Præter *Ode* sive *Oute* primæ Abbatisiæ nomen, ex tot illustribus alijs, *Beauricis* etiam nomen hujusmodi tabulæ conservarunt: *In nomine sanctæ & individue Trinitatis. Ego Beatrix Dei gratia in Kaufungen Abbatisa, Cœnobio in Herswithelhusen in perpetuum.**

petuū. Amen. Notum esse volumus tam modernis quam  
 & futuris omnibus Christi fidelibus: quod D. Nicolin-  
 ywardus ministerialis noster, nostro consensu & volun-  
 tate decimam unius mansi, quam habet à nobis in supe-  
 riore parte villa Rosbach, consentientibus heredibus suis,  
 Cænobio Hersushehusen tradidit: eo videlicet pacto, ut  
 sibi & post eum, suis heredibus annuatim duo maltra  
 arena solvantur: sic tamen, quamdiu cultum fuerit à  
 jam dicto Cænobio. Et si sic acciderit, quod ipse vel sui si-  
 ne legitimo herede decedant, reditus Ecclesia nostra re-  
 deat. Quod ut ratum atque inconuulsū permaneat,  
 sigilli nostri auctoritate corroboramus. Hujus rei testes  
 sunt: Comes Friaericus frater Landgrauij, Comes Wi-  
 kerus, Comes Henricus de Cigenhagen, Ekkehardus mi-  
 nisterialis de Koufungen, Conradus de Dunrebach. A-  
 ctū sunt hæc anno Dom. incarnationis MCLXXXIX.

Num. LXXXIX. REGNI XXII, IMPERII X. ]  
 Accuratio est calculus Chronographi Hildeshei-  
 mensis apud Duchesne tom. 3 ad an. 1024: scribit  
 enim S. Henricum regnasse annis 22, hebdomadis 5,  
 die uno. Volfherus in Actis S. Godehardi cap. 4  
 num. 27 pia memoria Henricum Imp. ordinationis sua  
 anno vigesimo tertio ad Christum migrasse tradit. Pari-  
 tatione dicendus est imperium tenuisse annis de-  
 cem, mensibus quatuor, diebus 18. Auctor noster  
 omisiss mensibus rotundum annorum numerum  
 posuit, quem Browerus in editione sua correxit,  
 auctorem vitæ S. Henrici vel Ursbergensem fortè  
 secutus. Mortuus est S. Imperator in Castello Gruona  
 ad Lemam fluvium in pago Saxonico Logingaha vel  
 Latne-



*Lainega*, nullis ex *S. Cunigundâ* (Henrici Bavarix Ducis sorore, quam *Otione III. Imperatore* vivente jam duxerat, teste *Ditmaro* lib. 4. pag. 87) relictis liberis: ut mirum sit *Ludovicum Aurelium Perusinum*, in *Epitom. Annal. Ecclesiast. Cas. Baronij* lib. XI ad an. 1002 pag. 726 in edit, *Monasteriensi*, secutum errorem *Chartuitij* in *Vita S. Stephani Hungarorum Regis* cap. 9: nam *S. Stephanus Giselam* *S. Henrici* Imp. sororem, non verò filiam, conjugem habuit: quod ex *Adelboldo* pag. 446, & *Actis S. Henrici* apud *Gretserum* cap. 27, vel ex *Hermanno Contracto* ad an. 995, & *Ursbergensi* in *historia Henrici II*, alijsq; discere potuisset. Quænam verò fuerit *Hildegarda* poetria, quæ *S. Imperatori* hoc epitaphium poluit, juxta cum *Browero* ignorare me ingenuè fateor, nisi ea sit *Bu-chaugiensis* Antistita *Hiltegardis*, cujus meminit *H. Contracto*. ad an. 1027.

Num. XCI. IN CASTELLO WERLA. ] *Werle* & *Werla* à *Ditmaro* appellatum, situm olim in diocesi *Hildesheimensi* ad fluvium *Fusam*. Auctor *Speculi Saxonici* lib. 3 Artic. 62, *Werlam* inter quinque *Setes Palatinas* recenset. Anno 1002 post mortem *Otonis III* à *Proceribus Saxonix* de novo Rege eligendo deliberaturis constitutum in *Werlu colloquium* fuisse testatur *Ditmarus* lib. 4 pag. 87. Qui etiam lib. 5 pag. 105 memorat *Henricum Bavarix Ducem*, pauld post futurum *Cæsarem*, quemdam militem ad civitatem, quæ *Werla* dicitur, ad neptes suas consorores *Sophiam* & *Athelheidam* (*Gandesheimensem* & *Quidelinburgensem* *Abbatissas*) & ad omnes, quitunc  
ibi

ibi convenerant regni primates misisse. *Henricus IV*  
 Imp. Hildinshomensi Ecclesie, mediante fideli suo  
*Udone ejusdem Sedis Episcopo*, curtem suam nomine  
*Werla & villas eodem pertinentes, Immenrothe & Jch-*  
*there, cum omnibus appendicijs, id est, mancipijs, terris*  
*cultis & incultis, molendinis, aquis, campis, silvis, piscu-*  
*tionibus &c.* universè ducentos mansos in proprium  
 donat. *Herimannus Cancellarius vice VVicelonis Ar-*  
*chicancellarij* recognovit. Dat. Kalendis Januarij. An-  
 no incarnat. *MLXXXVI* Indi. VIII. Anno Domini  
 Imperatoris, regni quidem trigesimo primo, Imperij se-  
 cundo. Actum *VVormatiae*. Sunt hodie in *Sivershus-*  
*sano Archidiaconatu VVerla* parochia & *VVerla Ca-*  
*pella*, patronosq; agnoscunt nobiles *Borchtorfios*.

Num. XCIII. **CONRADUS.**] Hujus Caesaris  
 stemma habes pag. 303 & seq. quod etiam illustra-  
 tur in Actis *Burchardi Episc. VVormatiensis*. Ele-  
 ctus est *Conradus* frequentissimis comitijs apud vil-  
 lam *Kubam*, ut *H. Contractus ad an. 1024*, quam ad  
*Rhenum Moguntiam* inter & *VVormatiam* collo-  
 cant. Quid si legas *Kubam*, infra *Bingium* sitam?  
 Novus Rex diadema regum *Moguntiae* accepit ab  
*Aribone Archiep.* die natali Deiparæ sacrâ; ubi  
 post biduum, 4 Idus Septembr. *Heitharrico Abbati*  
*VVerdinensi* anteriorum Regum & Imp. indulta  
 confirmavit. Post hæc XIII die Septembris, iterum  
 factus est Principum conventus ad *Luppium* flumen  
 in loco *Hirtveldun*, meritis sanctissima *Ide* insigni. Hu-  
 jus vita ab *Uffingo* nostro scripta extat apud *Suirium*  
 4 Septembris, & in membræo codice in *Cœnobio*  
 nostro



nostro *Werthiniensi*, cujus quintus Abbas *Hogerus* repensis *Ottoni* Duci Saxonie alijs possessionibus regiam curtem *Herutvelt* acquisivit: quæ deinceps in proprietate sancti *Luidgeri* usq; in presens cernitur per durare, teste *Uffingo* in *Vita S. Ida* lib. 2 c. 1: cum antea usq; ad venerandi nostri Patris *Hogeri* tempora, sub Rege *Arnulfo*, locus ille *H. rtfeldt* juri esset addictus excell. ntissimi Ducis *Otonis*, qui hujus serenissimi *Augusti* *Otonis* exitii proavus, inquit *Uffingus*, lib. 1. cap. 9. Ceterum *Conradus* anno 1027, 7 *Kil. Aprilis*, ipso die *Paschatis* imperij insignia à *Joanne P. M.* accepit, estq; *Wipponis* testimonio solenni ritu *Cesar & Augustus Romano nomine dictus*.

Num. XCV. CONCILIUM IN SELIGANSTAD. ]  
 Hæc etiam leguntur in Actis *S. Godehardi* cap. 4 num. 28. *Seligensstadium* vetus est ad *Moenum*, *SS. Marcellini & Petri M.M.* Ordinis nostri, cum cognomine oppido *Cœnobium*. Conditorem primumque Abbatem habuit *Eginhardum*, de quo vide *Bernardum à Mallinckrot* de *Archicancellarijs S. R. Imp.* pag. 121 edit. *Monaster*, & *Johannem Mabillon* *Sæculo IV Aetorum SS. Ord. S. Benedicti*, parte 1. pag. 414. In hoc regali *Cœnobio* *Conradus Imp.* anno 1032 *Pascha*, & an. 1035 *Ascensionem Domini* celebravit, teste *chron. Hildesheim*, *Lamb. Schafnaburg.* ad an. 1063 *Selchinstat* regij juris *Abbatiam*, machinatione *Adelberti Bremensis Archiep.* ab *Henrico IV.* concessam *Archiepiscopo Moguntino* scribit. *Catalogum Abbatum* recitat *Bucelinus* parte 2. *Germ. sacra*, pag. 227. Hodie amœnissimo huic *Cœnobio* utilissimè præest *D. Franciscus Hoffmannus* *Coloniensis*,

Num. XCVII. GISLÆ IMPERATRICIS. ] *Gisela*,  
*Hermann*o Duce Alemanniæ & *Gerbirga* Regis Bur-  
 gundiæ *Conradi* filiâ, progenita; *Hermann*i Aleman-  
 niæ Ducis an. 1012 defuncti soror; post mortem pri-  
 mi mariti *Brunonis* Comitis, (cui genuerat *Liudol-*  
*fum* Comitem an. 1038. 23 Aprilis defunctum) se-  
 cundis nuptijs juncta fuit *Ernesto* Aleman. Duci,  
 eoq; an. 1015, 30 Maij, relictis duobus filijs, *Ernesto*  
 & *Hermann*o Alemanniæ Ducibus, morte sublato;  
*Gisela* tertio illicite nupsit *Cononi* sive *Conrado Salico*  
 cognato, teste *Ditmaro* lib. 7, pag. 223. Is Impera-  
 tor an. 1039, prid. Non. Junij, feria 2 Pentecostes, ho-  
 ra diei sexta, dum pranderet subito functus est fato  
*Ultrajecti*: quem secuta est *Gisela* Augusta an. 1043  
*Goslaria* 16 Kal. Martij, (ut habent *Ursberg Chron.*  
*Hildesh. & Chron. MS. Saxon. ad an. 1044.* In H.  
 Contracto, corruptis fortè numeris, legitur 15 Kal.  
 Maij) & *Spira* sepulta. Ejus encomium lege apud  
*Wipponem*, qui nullibi scribit *Giselam* genus ducere  
 à *Westfalis* Comitibus de *Werla*: nugatur verò  
*Joannes Crav*s Canon. Argentin. qui *Legem Salicam*  
 à *Conrado Salico* Imp. dictam fabulatur.

Ibid. IMBRIPOLI. ] Hæc iisdem verbis habet  
*Wolffherus* in Actis *S. Godhardi* cap. 4 num. 28, &  
*Chron. MS. Saxon. ad an. 1027.* *Browerus* pro *Im-*  
*bripoli* supposuit *Werle. Ratisbonam* *Ditmarus* ap-  
 pellat lib. 2. pag. 21, sive *Reinesburg* *Bavarij* caput re-  
 gni; *Annales* incerti auctoris apud *Pithœum* ad an.  
 869 *Reganesburg.* & *chron. Hildesh.* ad an. 1028 *Rege-*  
*nesburg*, urbem quasi à pluvia dictam nominant; ut  
 in



## 400 NOTE IN VITAM

in Vita S. Eberhardi nostri *Salzburgensis Archiep.*  
*cap 15 Imbriopolensis* Episcopus pro *Ratisbonensi* scri-  
 bitur: sed vera urbis etymologia non ab *Imbre*, sed  
 à *Rego* fluvio ducenda est, ceu indicant hi versus lib. 5  
 Itinerarij:

*Norica rura petii Regis conversus in Austrum.*

*Qua Ratisbona moenia celsa micant.*

*Regenburgh* veterum *Bavaria* Ducum sedes ad *Dan-*  
*nubium*, olim dicta fuit *Augusta Tiberij*.

Num. XC VIII. JUDICIO VII. EPISCOPOR.]  
 In Actis S. Godehardi cap 4 num. 29 recensentur istit  
*Bruno Augustensis*, *Everhardus Bavenbergensis*, *Me-*  
*ginovercus Paderbrunnensis*, *Meginhardus Wurz-*  
*burgensis*, *Hildivwardus CitiZensis*, *Sigebertus Min-*  
*densis Bruno Mersburgensis*: & ibidem num. 30 nomi-  
 natim exprimuntur XXIII Episcopi, & Abbates IV  
 qui huic Synodo an. 1027 interfuerunt. Ubi tamen  
 pro *Luzone Havesbergense*, sive *Halverbergense* le-  
 genlum cum MS. Chron. Saxon. ad an. 1027 *Luzo-*  
*ne Brandeburgense*, qui in Chronico citato ad ann.  
 1030 à *Musecone Polanorum Duce* captus abductus q̄  
 scribitur. Vide quæ *Browerus* ex MS. Chron. hic  
 notavit ad num. 100 pag 224. Fortasse *Adalbertus*  
 qui an. 1023, 6 Kal. Julij *Trajectensis* basilicæ dedica-  
 tioni interfuit, *Havelbergensis* est Episcopus, quem  
*W Heda* pag. 110 *Hammelburgensem* nominat.

Ibid. GEBEHARDUS FRATER J.M.P.] Chron.  
 H Idesheim. ad an. 1027 *Godehardum* appellat: sed  
 nostra lectio à MS. Chronico Saxon. firmatur. Hic  
*Gebehardus* *Conradi Imperatoris ex matre Adelheide*  
 frater

frater, Episcopus ordinatur Ratisbonensis, loco Gebhardi eius nominis secundi 16 Kal. Maij defuncti, ut H. Contract, ad an. 1036.

Num. XCIX. PROXIMO ANNO. ] *Brouverus* mendose legit *primo anno*, & locum concilij habiti vocat *Gezelet*, qui in autographo nostro *Gezeleth*, in Actis S. Godehardi cap. 4 num. 30 *Gezele*, in Chron. Hildesheim. ad an. 1028 *Gezele* appellatur.

Num. C. MISACO SCLAVORUM PRINCEPS. ] Chron. MS. Saxon. ad an. 1029. scribit *Conradum* Imp. *Albin* trajecisse, & in *Liczeke* copias contraxisse adversum *Misacorem Polonum*. Vide Chron. Hildesheim. ad an. 1029.

Num. CI. WALAHUSON. ] Auctor *Speculi Saxonici lib. 3 Artic. 62. VValahusam* inter quinq; Sedes Palatinas numerat. *VVilb. Heda*, pag. 84 in edit. *Buchelij*, diploma *Ottonis I* recitat datum in palatio regio quod dicitur *VValahuson*. Est verò oppidum *Thuringie*, longè diversum à *VVildeshusio*, nunc ditionis *Monasteriensis*, aliàs *Bremensis*, oppido: neq; audiendus hic *Buchelius* in notis ad *Hedam* pag. 90.

Num. CIII. LACNI. ] In autographum. In eodem pago *Lacni* situm fuit *Gardenebike*, in Comitatu *Herimanni Comitis*, infra Num. CXVII; & *Erpeffun*, pag. 60; num. 55. In diplomatibus *Ludovici Pij* Imperat. appellatur pagus *Logni* in *Angrarijs*. Diversus fortè est ab hoc pagus *Lainga*, in quo sita legitur in diplomate *Ottonis I*, apud *Maderum*, curtis *Salta*.

Num. CIV. CADALOGO. ] *Cadalogus* Episc. *Citicensis* successor *Hildevardi*, an. 1041 interfuit dedicationi



ni Basilicæ S. Mariæ Transaquensi, Mimigarde vordā  
4 Kal. Januarij. Anno 1045. Cathelo Citiensis Ep. obiit,  
em Eppo successit, Lamb. Schafnaburg. Episcopi Ci-  
zicenses Cathedrā Naumburgum post translata, dicti  
sunt deinceps Episcopi Naumburgenses.

Num. CV. BERNARDUS SPURIUS. ] Vulgò  
Wanbûrtich / qua voce in suo diplomate usus est  
Conradus Imp. sic delirum appellamus Wahnwîstg.  
Patberg haud longè abest Eresburgo sive Stadbergā  
oppido ad Dimelam fl. In monte constructum po-  
stea castrum beneficio Episcoporum Paderbornensium  
tenuere Comites de Patberg appellati: è quibus  
Erpo Comes condidit Cœnobium virorum Ord. S.  
Benedicti in Flechorp, quod nunc occupant Comites  
Waldceenses. Hujus construendi causam habes in  
Monumentis Paderbornensibus pag. 141. De Friderico  
Paderbergio lege Gobelinum in Cosmodrom. etat. cap. 84.

Ibid. IN COMITATU HAHOLDI. ] Hunc Co-  
mitatū S. Henrici munificentia consecutus est Mein-  
wercus, ut tradit Auctor noster Num. XXI: ubi pag.  
336 opinatus sum Haholdum Comitem (conditorem  
collegij Gesecensis circa an. 946, cujus foundationem  
Otto I. anno 952 suo diplomate confirmavit,) filium  
habuisse cognominem, à quo Meinwerci etiam eta-  
te dictus fuerit Comitatus Haholdi: sed alterum Ha-  
holdum, prioris filium, hætenus non reperi.

Num. CVII. SANNANABIKI. ] Vulgò Sanne-  
beck pagus est ditionis Paderbornensis, cujus dona-  
tionis tabulæ datæ sunt anno 1031, 3 Non. Augusti, In-  
dict. 14, in Immedeshu sun.

Waldeliquia & Sannabiki ep  
Böke in flechtstätt  
Transfata

Num.

Num. CVIII. TEMPORĒ AUTUMNALI.] Chron. MS. Saxon. ad an. 1031: *Imperator cum parva manu Saxonum Slavos autumnali tempore invasit, & Mifecorem diu sibi resistantem regionem Liufizi cum aliquot urbibus & prada, quæ prioribus annis in Saxonie partibus facta est restituere pacemq; juramento firmare coegit. Ad etiam Chron. Hildesh. ad an. 1031.*

Num. CX. Cœnobij Paderbornensis dedicatio peracta est an 1031. 4. Non. Novembr. hujus quoq; meminit Chron. MS. Saxon. ad eundem annum hifce verbis: *Meinwercus Patherbrunna Episcopus in suburbio Episcopij sui Monasterium construxit, & in honore omnium Sanctorum dedicavit, presentibus & adjuvantibus auctoritate sua Episcopis, Hunfrido Parthenopolitano, Godehardo Hildinshaimense, Sigiberto Mindense, in quo & Monachicum ordinem Cluniacensem instituit. Verum quæ Auctor noster hoc & sequentibus numeris complectitur, evidentius cognoscentur ex ipsis pijissimi fundatoris tabulis, quæ sic habent: In nomine sanctæ & individue Trinitatis. Rerum omnium creatorem Deum summum & incommutabile esse bonum, omnium constat ratione fidelium: cuius omnipotentiam aliquo indigere, superfluum est estimare vel credere. Quoniam verò in libro Salomonis scriptum invenimus, Divitiæ hominis redemptio animæ illius; & ab ipso auctore mundi præceptum legimus, Date eleemolynam. & omnia munda sunt vobis: restat, ut ex beneficijs ab eo nobis collatis, ob redemptionem animarum nostrarum qualiacumq; possimus in ejus servitio expendamus; pauperibusq; ejus mem-*



bris succurrendo, de mammona iniquitatis faciamus  
 amicos, qui nos recipiant in tabernacula eterna beatitudinis. Hac igitur ratione ammonitus ego Megino ver-  
 cus utinam Episcopus! consilio & auxilio beata me-  
 moria Heinrichi Imperatoris, pro remedio anime meæ  
 parentumq; meorum, in suburbio Episcopi mei Mona-  
 sterium construxi, & in honore omnium Sanctorum de-  
 votissimè consecravi; ejusdemq; in dotem Ecclesia ex  
 hereditate parentum meorum, sive acquisitione, pro-  
 pria, prædia subtus nominata cum omnibus suis perti-  
 nentijs sollemniter tradidi, delegavi, concessi: *V*idun  
 cum Ecclesia, *G*elendorp, *R*umbeke, *M*erebeke cum Ec-  
 clesia, *D*otenhufon, *W*almanninghufon, *R*ime, *D*ribu-  
 ri, *G*oltbeke, *H*avergo, *N*edere, *B*alehornon cum deci-  
 ma, *L*assebe cum decima, *W*ambeke, *F*ioensele, *R*a-  
 dengheim cum Ecclesia & decima, *P*utten cum Ecce-  
 sia & decima, & Ecclesiam in *V*orthufin; *T*esterbant  
 cum Ecclesijs *T*ulen, *H*ashtun, *G*ambron, *H*elvi, *N*iuve-  
 lon & decimis earum; *B*urgnon cum decima, & de *E*pi-  
 scopatu meo item *B*urgnon cum decima, *A*ndepo cum  
 decima, bonis meis centies restituta & redempta. Hac  
 igitur omnia præfato Monasterio à me collata cum suis  
 pertinentijs, terris videlicet cultis & incultis, mancipijs  
 utriusq; sexus, villis, pascuis, pratis, silvis, venationi-  
 bus, aquis aquarumq; decursibus, piscationibus, molen-  
 dinis, vijs & inuis, exutibus & redutibus, quasitis &  
 inquirendis, ceterisq; omnibus que quomodocumque  
 donari possunt utilitatibus, in mundiburdiū & iusti-  
 onem omnipotentis Dei Sanctorumq; omnium commit-  
 to: ammonens & contestans sub nomine Domini nostris  
 Iesus

*Jesu Christi, ut nullus successor meus, siue alia aliqua  
 persona magna vel parua contra Ecclesias Dei se uiuens,  
 foris aut intus eidem Monasterio rebusq; concessis seu  
 concedendis aliquam violentiam seu rapinam ulla te-  
 meritate inferre presumat. Si quis autem de prefato  
 Monasterio aliqua auferre vel minuere de thesauris vel  
 pradijs iniuste tempta uerit, vel Monachis ibidem con-  
 stitutis violentiã aliquam siue molestiã intulerit, omni-  
 potentis Dei Sanctorumq; ejus iram atq; offensam in-  
 currat; & in die iudicij, si non emendauerit, Domini-  
 co maledicto subiaceat: Ite maledicti in ignem æter-  
 num, qui præparatus est diabolo & angelis ejus. Con-  
 stituimus autem & volumus, non census vel debiti, sed  
 inuolabilis causã dilectionis, ut Abbas prenominati  
 Monasterij omni anno in dedicatione Ecclesia sue Epi-  
 scopum si presens est, Canonicosq; suos ad conuuiuium  
 inuitet; nichilq; aliud aliquid, præter quod caritas di-  
 ctauerit, aliquando persolvere cogatur. Defuncto uero  
 Abbate, habeant Monachi potestatem Abbatem secun-  
 dum Dei timorem eligendi: nec quisquam eis per ali-  
 quam violentiam seu per malignum consilium in hac re  
 obstet. Hoc autem uotum meum Domine Jesu Christe  
 peto ut clementer suscipias, tribuasq; ut quicumq; hanc  
 traditionem nostram atque licentiam liberalem infrin-  
 gere vel permutare quolibet ingenio temptauerit, ma-  
 ledictionem & ultionem, quam in uasoribus Ecclesiarũ  
 tuarum præparasti, incurrat. Actum in die consecra-  
 tionis ejusdem Monasterij, anno ab incarnatione Do-  
 mini MXXXI, Indictione XIII, III Non. Novembr.  
 Presentibus & adiuuantibus auctoritate sua Episcopis,*



Domno Hunfrido Parthenopolitano, Godehardo Hildesheimense, Sigeberto Mindense. Hanc autem traditionem Amalungus Comes summus matris Ecclesie advocatus manu sua suscepit, & regia potestatis banno in Comitatu suo stabilivit. Super his presentium atq; futurorum orationem nobis prodesse obsecramus, ut ipse mihi mercedem in die iudicij restituat, pro cuius amore hæc incæpi atq; perfecti. Inscriptio sigilli: † Me-ginvercus Paterburnensis Eps.

Ibid. BARDO WERTHENENSIS ABBAS.] Huius sancti Abbatis nostri & Archiepiscopi Moguntini præclarum extat elogium apud Wölsferum in Actis S. Godehardi cap. 4. num. 32. Chronicon Hildesheimense ad an. 1031 hæc de eo memorat: Arnolfus Pater Monasterij Herveldensis, ..... proprio est honore privatus: In cuius loci vicissitudinem subrogatur Bardo Procurator Monasterij Werdunensis, suggestione Gisla Imperatricis: eidem vero Bardoni successit Geroldus Fuldensis Monachus ..... Anno Roma digrediens Cumis VIII Idus Aprilis ex hac vita migravit Cujus honoris principatum obtinuit Bardo tunc nuper prelatus Abbas Herveldensi Monasterio. Eadem ferè habet Chronicon MS. Saxon. ad an. 1031, testaturque Bardonem primò Wertenensis Cœnobij Procuratorem fuisse: & ad an. 1051, Bardo Archiepiscopus Moguntinus in Fuldensi Monasterio, sub Monachica professione nutritus, indeque pro vitæ merito ad Pontificalem dignitatem proventus, virtutibus clarus in Christo quievit. S. Annonis Archiep. Colon. apud Surium 4 Decembr. in ejusdem Actis hæc sunt verba:

verba; Simeon ille nominatissimus, quo Treviris incli-  
 to gloriatur patrono; sed & Bardo sanctissimus, urbis  
 Moguntinae decus, revera sanctitatis suae meritum plu-  
 rimis indicijs commendantes, omni quidem reverentia  
 jure sunt colendi. Ibidem cap. 12 S. Bardo ad interpel-  
 lationem S. Annonis Moguntiae visum caeco resti-  
 tuit. Agunt etiam de S. Bardone Marianus Scotus,  
 & Lambertus Schafnaburg. ad eosd. annos. Deniq;  
 Herman, Contractus ad an. 1031 *Bardonem vitam &  
 habitum Monachum venerandum* appellat; & anno  
 1051, Eadem estate Bardo venerabilis Moguntinae Se-  
 dis ex Monacho Archiepiscopus, omni pietate & sancti-  
 tate mirabilis, tertio Idus Junij ab hac vita substractus,  
 multis post obitum claret miraculis, Sigebertus quoq;  
 Gemblacensis ad an. 1051, *Bardo Moguntinus Epi-  
 scopus obiit, cujus sanctitas per multam miraculorum  
 gratiam patuit.* Fasti nostri Werthinenses vetusti re-  
 centesque omnes consignant S. Bardonis nomen  
 III Idus Junij; in Proprio etiam Sanctorum Mogun-  
 tinensium XI Junij agitur de S. Bardone sub ritu du-  
 plici, pag. 51, ubi tamen in *Lectioe V* dicitur obiisse  
 4 Idus Junij, Anno 1036, 25 Maij feria tertia Roga-  
 tionum S. Bardo cum Herimanno Colon. Archiep. &  
 Brunone Episc. VVirciburgensi interfuit dedicationi  
 Collegiate Ecclesiae SS. Apostolorum Petri & Andreae  
 Paderborne, teste Anonymo nostro pag. 156. Ad  
 Trithem. Chron Hirsau, ad an. 1031, & seqq. Nicola-  
 um Serarium Rerum Moguntiacarum lib. 5. Bernar-  
 dum à Mallinckrot de Archicancellarijs pag. 129 edit.  
 Monaster. Bucelin. in Catalogo Abbatum VVerthinen-  
 sium



sum pag. 313. Vidi iconem in quâ S. Bardo Fundator  
 Monasterij S. Jacobi Ord. S. Benedicti Moguntia re-  
 presentatur. Acta ejus olim conscripta eruditi exci-  
 disse deplorant.

Num. CXV. IMPERIALI PRÆCEPTO. ] *Conradus Imp.* foundationem Cœnobij Paderbornensis suo diplomate ratam habuit *Anno Domini* incarnationis *MXXXII*, XVII Kal. Febr. Indiēt. XV, Anno *Conradi secundi Regni VIII*, Imperij autem V. Actum Paderbrunnon Odabricus Cancellarius vice Bardonis Archicapellani recognovit. Hæ temporum nota habentur in apographo typis edito, & à *Ferdinando I* electo Roman. Imperatore Augusto an. 1628 cum alijs diplomatibus, rogante D. *Wilhelmo Ruvio Abbate Abdinghoffensi* 20. Novembris Vienna confirmato.

Num. CXVII. HILTIWARDESHUSUN. ] Cœnobium olim Monialium Ord. S. Benedicti situm ad *Vilurgim* infra *Mundam* & confluentes *Verra* & *Fulda*, vulgo *Hilvershausen*; de quo *Chron. MS. Saxon.* ad annum 1000: Cœnobium quod dicitur *Helmwardeshusen*, & sibi vicinum *Hildevwardeshusen* in superiori parte fluminis (*Vilurgis*) situm, ab *Ekkhardo Comite* fundantur. *Tagmarus* in Actis S. *Bernwardi* Episc. *Hildesheim.* apud *Surium* cap. 26 scribit *Abbatiam Hildevwardeshusensis Ecclesie* S. *Bernwardo* ab Imperatore traditam, & solemnè ab ipso dedicatione devotissimè consecratam, & divino servitio exultam pluribusq; beneficijs ac donis ab eo ditatam: ubi etiam sua matertera *Marris* regimen agebat. Hanc *Roibegardem* digna memoria *Hildevwardeshusensis* Eccle-

*Ecclesia Abbatissam* laudat Tangmarus cap 36 mortis suæ anno 1006 præciam, quæque die Christo nascenti sacrâ purissimam Deo animam reddiderit. *S. Henricus* Imp. & *conterialis* ejus *Cunigundis* Imperatrix *Angusta* protomartyri sancto *Stephano* atque *Vito* martyri in *Hiltwardeshusen* Monasterio, in villa *Gemmet* in pago *Logni* in Comitatu *Herimanni* jugera sexaginta sex cum suis pertinentijs, interventu *Meinwerchi* *Pæterbrunnensis* Episcopi, in proprium tradiderunt anno *MXVI*, Indiët *XV*. Actum *Couphunga*, Cum superiori seculo *Elisabetha* *Joachimi* *I* Elect. *Brandeburgici* filia, *Erici Senioris* Ducis *Brunsvicensis* anno 1540, 26. Julij defuncti vidua, anno 1542 multa pro arbitrio in rebus sacris novaret, antiquato prisco vivendi præcandiq; ritu, obtrusit Monasterijs in terris *Gottingen*si ac *Calenberg*ensi sitis, mense Junio an. 1543 nova dogmata ritusq; ab orthodoxâ fide alienos auctore potissimum *Antonio Corvino*, homine fidei ac sacri instituti sui desertore, Lutheriq; affectâ. Verum *Ericus Junior* Dux, *Erici & Elisabethæ* F. rerum potitus, anno 1547 in *Hiltwardeshuseno*, ceterisque Cœnobijs Romana sacra, cultumq; veterem cum religioso habitu restituit: tenuitq; ea deinceps tranquillitas ad annum usque 1584, quo rebus humanis 6 Idus Novembris exemptus est *Ericus Dux Junior*, & mox abolitis sacris Romanis, Cœnobiâ ab illo restituta in deplorandam rursus vastitatem, calamitatesq; retrusa sunt, è quibus nondum emerferunt.



Num. CXXI. PROXIMO ANNO] Videlicet 1033. quo Imperator natalem Domini Patherbrunna, Pascha Neumagen 22 Aprilis feriavit: ubi Geroldus Werthinenſis Abbas inſigne à Conrado Imp. diploma 4 Kal. Maji obtinuit, cujus ſynopſin vide apud Bucelin. in Catalogo Abbat. Werthinen. pag. 313. Tabulas verò, quibus hic memoratur Imperator Meinverco reſtituiſſe Comitatum Dodiconis, quem imprudens donaverat Ariboni Archiep. Moguntino, integras habes in Monument. Paderbornenſibus pag. 161. De Caſtello Lintburg, quod Conradus Imp. in Cœnobium Ordinis noſtri convertit, conſule Urſpergenſe Chronicon in geſtis Conradi Cæſaris, Bucelin. &c.

Num. CXXII. REVERSO WINONE] Secundo Abbate Helmwardeshuſano, quem Hieroſolymam à Meinverco miſſum num. 20 legiſti. Idem VVino an. 1033 Indiēt. 1, 12 Kal. Junij, Northuſe à Conrado Imp. obtinuit poteſtatem conſtruendi mercatum, conſtituendi monetam, accipiendi telonium in loco Helmwardeshuſo dicto, in Comitatu Bennonis Comit. & in pago Angeriſito: ubi etiam Imperator totius publicæ functionis negotium decernit colendum, haud ſecus quàm Moguntia, Colonia & Trutmannia. Burchardus Cancellarius vice Bardonis Archicapellani recognovit diploma.

Num. CXXIII. Nomina prædiorum in Brower editione mendosè expreſſa aut omiſſa, ex autograſſo Auctoris integritati ſuæ reſtitui.

Num. CXXIV. IN VIGILIA PENTECOSTES NON. JULII.] Obijt igitur B. Meinvercus anno  
MXXXVII

MXXXVI. Nonis Junij, Indict. IV, sepultusque est,  
 uti vivus iusserat, in crypta templi SS. Petri & Pauli  
 Apostolorum Paderboinæ: ubi quid apud Deum  
 promeruerit, inquit scriptor vitæ, fideliter deposcens,  
 salubriter experitur. Sub Conrado deinde Abbate an.  
 1376. 25 Aprilis è crypta translatus est in chorum  
 ejusdem templi, ubi sepulchrum ejus elevatum ho-  
 dieque visitur. Vestis ejus sacerdotalis, (casulam vul-  
 gò dicimus.) cum qua tumulatus fuerat, in transla-  
 tione reperta est incorrupta: ejus forma describitur  
 pag. 230. R. P. Papebrochius in Appendice ad XIX  
 Aprilis, agens de S. Emma, num. 4. pag. 963 notat in  
 Alberto Stadenſi, quòd verbis Adami, quæ in suum  
 Chronicon transtulit, nihil addiderit, ne quidem ap-  
 pellationem Sancti, *Meginvverke* debitam: ego ab hac  
 appellatione etiam consultò abstinui, exemplo *Chri-  
 stophori Brovveri*, qui principio operis sui de *Vitis  
 Illustrium & Sanctorum virorum per Germaniam*,  
 præfationi ad Lectorem subjungit menda quæ in su-  
 am editionem irrepsêre, monetque in paginarum  
 frontibus in *Meinverco* pro Sancto legendum *Bea-  
 to*. Verùm Papebrochius loc. cit. num. 5 immeritò  
 Scriptorem vitæ *B. Meinverci* his verbis castigat:  
*Et verò qui possit non aliquot post secula scripsisse vi-  
 deri, qui in referenda ipsa Sancti morte, pridie Penteco-  
 stes anno seculi XI quinquagesimo obita; adeo turpiter  
 erravit, ut, quoniam Idibus Junij S. Meinvercius co-  
 litur, ejusdem etiam obiisse crediderit; non animadvertens  
 quòd eo anno, juxta Paschales cyclos, Pentecoste ce-  
 lebratum fuerit III Idus Junij: qui dies cum minime*

idone-



*idoneus esset faciendis exequijs pridie defuncto Episcopo, dilata sunt hæc usque in feriam III Pentecostais hebdomada in ipsas Idus cadentem: & sic ea annuo illius festo deinceps obligata manserunt. Immeritò, inquam, hæc in Auctorem nostrum dicit Papebrochius, cum hic prorsus culpâ vacet. Scribit B. Meinvercum, peractâ an. 1036, 25 Maji, dedicatione Bustorffensis templi, piissimè defunctum Nonis Junij in vigilia Pentecostes, quo nihil est in hac historia certius: ita enim habet Chron. Hildesheimense ad an. MXXXVI: Meinvercus Patherbrunnensis Episcopus Nonis Junij obiit, cui Ruodolfus Herveldia Abbas successit. Chronicon quoq; MS. Saxonix, & Gobelinus Persona in Cosmodromio Etate 6. cap. 53. pag. 214. ad annum 1036 obitum B. Meinwerçi consignant. Non igitur turpiter erravit Encomiastes Meinwerçi: sed Papebrochij ipse incuriosus hic fuit, cū B. Meinvercus cū decessisse putavit an. M. quinquagesimo, quo juxta Paschales cyclos Pentecoste celebrata fuerit III Idus Junij; ipsaq; Idus annuo Meinwerçi festo deinceps obligatas mansisse: Nam B. Meinvercus, velut ostensum est, vitâ functus est anno 1036, ipsis Nonis Junij: quo die agunt de B. Meinverco Gelenius, & Theodorus Rhay in Animab. Illustrib. Julia, Clivia &c. alijq; ab eo citati Auctores, Martyrologium Bustorffianum, & Necrologium Abdinghoffense, quod ita habet: Nonis Junij, memoria sollemnis domini ac patris nostri Meinverci Episcopi. Si ex sententia Papebrochij B. Meinvercus obiisset anno 1050, incidisset feria 3 Pentecostes in Nonas Junij, non vero in ipsas Idus, velut per incogi-*

incogitantiam videtur poluisse *Papebrochius*, ideoq; etiam veniam meretur ab æquo Lectore: quem ego etiam atq; etiam obsecro, uti in observatorum in his notis errorum gratiam mihi quoq; faciat, suisq; locis sequentia addat.

*Pag. 283. lin. 25 post An. 922, adde, Tomo 2. Capit. Reg. Franc. apud Baluz. col. 300 legitur Hunvvardus Ep. Pado ipsæq; tabulæ alias habent temporum notas. Pag. 310 lin. 30 adde, ex Ditmari libr. 6 hæc de Silvestro P. M. refert: Pag. 311 lin. 11 post cap. 10. subde, & Nonnosius in Actis S. Henrici Imp. cap. 1. Ibid. lin 17, post illas voces, ab hoc seculo, adde: Leo Ostiensis, in Chron. Casinen. lib. 2 cap. 24, describit situm Paterni non longè ab urbe Castellina. Pag. 314 lin. 2, post voculam fuit, adnecte ista: Anno 929 Indict. 2, 16 Kal. Octob. Henricus Auceps donat conjugi suæ Reginæ Mathildæ prædia sua in *Quitlingaburg, Palitbi, Northusa, Gronan, Dudersteu*, cum civitatibus & omnibus ad prædicta loca pertinentibus. Actum in *Quitlingaburg*. Aliquot deinde à morte *Edith Reginæ* annis, *B. Mathildis* Abbatiam in prædio suo *Palidi* construxit, ejusque loci foundationem *Otto I Imp.* suo diplomate, anno 952, 16 Kal. Maij in *Palitbi* ratam habuit, donans eidem Ccenobio plures fundos, decimasq; per parochiam Ecclesie *Palidensis*, ut habent tabulæ à *Madero* editæ. Lege etiam cap. 4 *Vita B. Mathildis num. 77, a. d. 14 Maji. Polide*, seu *Pælde* Monasterium sæculo XII translatum videtur à *S. Norberto* ad *Pramonstratenses*, ut colligitur ex *Engelhusio* à *Madero* edito, p. 26, lib. de *Vernstate Domus Brunsvic. &c.**



## 414 OBSERVAT. IN VITAM

Pag. 318 lin. 15 adde : Sed & S. Henricum à Willigiso Archiep. Moguntia ante altare S. Martini coronatum & consecratum die Dominica, 7 Idus Junij, olim ad an. 1002 notavit Florentius Mon. Wigorn.

Pag. 319 lin 19, post scribit, subjunge : Gobelinus Pers. Cosmodr. atat. 6. cap. 52, Cunigundam Henrico Corbeja occurrisse asserit. Pag. 328. lin. 5. à fine, post vocem noster adde : Gobelin. etiam etate 6 cap. 52 pag 212, & Engelhusius apud Maderum lib. cit. pag. 42 horum meminere. Pag. 333, lin. 18 adde: Lege Acta S. Anfridi sive Anfridi Ep. Ultraject. apud Bollandi Continuatores ad III diem Maji. Ibid. lin. 19 post 23 Feb. adde: Florent. Wigorn. feriâ 6 migrasse notavit.

## Observationes

## In Vitam S. Meinulphi.

S. Meinulphus, in diœcesi Paderbornensi nobili inprimis loco natus, inter indigetes illius Ecclesiæ Divos meritò numeratur, cujus etiam Diaconus fuisse perhibetur. Integra hujus Sancti Acta nunc primum pròdeunt in lucem, descripta à me è veteri codice MS. bibliothecæ Abdinghoffensis. Horum segmenta quidem aliqua Brovverus Actis B Meinverci à se editis subtexit, auctoris tamen nomen non prodidit, quem etiam non præfert codex Hardehusanus, in quo Vita Meinulfi absq; prologo Sigewardi habetur, qui non desideratur in exemplari membraneo Bodecensi. At primitiva illa S. Meinulphi

phi Acta, quorum auctoritatem sequi se profiteretur *Sigevwardus*, profusus excidisse videntur. Quo sæculo, quave ætate vixerit *Sigevwardus*, conjectu est difficile. Habuit sæculo *XII* *Mindensis* Ecclesia ab anno 1122 usq; ad 1140 *Episcopum Sigevwardum*, eademq; ferè tempestate *Albinum* sive *Albuinum* Antistitem Ecclesia *Mersburgensis*: verùm fueritne *Sigevwardus* iste *Albini* hujus aliquando discipulus, omnino incertum est. Propius fortassè à vero abierit, qui *Sigevwardum*, teste *Schafnaburgensi*, anno 1039 *Fuldensem* factum *Abbatem*, auditorem antea dixerit fuisse *Albini* sive *Albuini*, quem *Chronologus Hildesheimensis* ad annum 1034 in philosophica arte eruditissimum, *Herfeldie* *Præpositum*, & prius *scholæ ibidem magistrum famosissimum*, *Abbatem* deniq; *Nienburgensem* celebrat: cum hi & loco, ætate, vitæq; instituto sese propiùs contingant, eaq; sit codicis *Abdinghoffsensis* vetustas, ut ad horum ferè ætatem referri queat. Quamquam & hæc opinio intra conjecturæ limites consistat. Post *Anonymum* igitur Vitæ *S. Meinulphi* primum scriptorem, & hunc nostrum *Sigevwardum*, tertius sæculo *XV* paraphrasin prioris Vitæ conscripsit, quam *Laur. Surius* ad *V. Octobris* tribuit *Gobelino*, agnoscit *Molanus*, & exemplaria *MSS*ta *Gobelini* nomen præferunt. *J. Bollandus* nihilominus in *Commentario Historico Actis S. Liborij* seorsum editis præmisso, § *III* num. *XI*, *Suriana* Acta ex hoc conjicit non esse *Gobelino* tribuenda, quòd in ijs nulla ejus voti à *S. Meinulpho* apud *Cenomanos* nuncupati mentio fiat, cujus in *Cosmodro*



## 416 OBSERVAT. IN VITAM

*modromio atate 6 cap. 41 meminit Gobelinus. Verum in antiquissimo codice membraneo Gobelini cap. 41 solum hæc leguntur primariâ manu scripta: Anno imperij Ludewici XXIII translatus est sanctus Liborius de civitate Cenomanica Gallie, in qua quondam ipse fuerat Episcopus, ad Paderborne civitatem Westfalia, Aldrico Cenomanensem & Badrado Paderburnensem regentibus Ecclesias. Et quidam Clericus Paderburnensis Ecclesie, Ido nomine, conscripsit miracula que vidit in translatione S. Liborij, & habentur scripta in Ecclesia Paderburnensi supradicta. Eo tempore floruit Rabanus poëta Abbas Fuldenfis. Ubi nulla sit mentio voti Cenomanis nuncupati: tamen si additiones ad marginem legantur alia manu & caractere longè recentiori scriptæ, quæ deinde à librarijs, aut Meibomio editore in textum seriemq; historię sunt receptæ: ut hoc uno Bollandi argumento Vita S. Meinulphi supposita Gobelino censerî nequeat; quæ in Bodecensi, Werthinensi, Abdinghoffensi Cœnobijs, & in bibliothecis Cathedrali, Collegij S. J. Paderborn. & Carthusiæ Colonensis M Sta extat cum hujusmodi prologo: Dum super flumina Babilonis. Vita verò sic incipit: Postquam Alexander Philippi Macedo.*

*Celsissimus ac Reverendissimus Princeps Ferdinandus Episcopus Paderbornensis &c. venustissimo epigrammate votivo præcipua Vitæ S. Meinulphi argumenta hunc in modum complexus est.*

De

417  
DE S. MEINULPHO,

Paderbornensi Diacono & indigenâ,

*qui multis clarus miraculis*

in cœnobio Bodecensi, loco natali, quiescit & colitur

III Non. Octob.

*Non pietate minus quam sanguine clarus avito*

*Meinolphus, Paderæ gloria prima sua,*

*Hæc situs est, postquam monuit tellure levandum*

*Sponte sua visus dissiluisse lapis.*

*Devenerare sacri custodem pignoris arcam,*

*Quisquis es antiquæ religionis amans.*

*Dic: Licet ostensum cervi inter cornua Numen,*

*Mystam oculis captum, virgineumq; peplum,*

*Et tot præterea miracula, quæ prior ætas*

*Et stupuit præsens, fas siluisse fore:*

*Virtutes, Meinolphæ, tuas tamen ipsa sepulcri*

*Certarent, rupto marmore, saxa loqui.*

Idem Celsissimus Princeps *Ferdinandus* primus  
cudi curavit nummos Imperiales cum effigie hujus  
Sancti, & hæc epigraphæ: *S. Meinolphus Diaconus Pa-*  
*derbornensis*; statuam præterea argenteam ei dedica-  
vit in æde Cathedrali.

Cap. 2. Tempore.] *Gobelinus*, vel ejusdem para-  
phrastes *Surius* cap. 1 exprimit annum 777; alia apo-  
grapha, uti & inscriptio imagini *S. Meinulphi* in æs  
incisâ subjecta, inculcant annum 770: cum tamen  
*Annales Tiliæni*, ceteriq; Chronographi primam *Ca-*  
*rolæ Magni* in *Saxones* expeditionem, atq; *Eresburgi*

EE

expug-



expugnationem referant ad annum 772: tamen si multa Saxonum millia suscepto Paderbornæ baptismo anno 777 Christo nomen dedisse iidem tradant. *Vide quæ notavi pag. 271.* Vitium *Wichtradi* viduæ per vim ab affine oblarum silentio pressit *Gobelinus in Vita S. Meinolphi*, quam rem retulit tamen in *Cosmodromio* state 6 cap. 40.

Baduradus. ] Cathedram Paderbornensem tenuit ab anno 815 usque ad an. 851, uti ostensum est supra pag. 277. & seq.

Cap. 8. Cartam testamenti ] Diploma appellat, quo *S. Meinolpho* facultas à *Ludovico Pio* concessa construendi monasterium: quam *Gobelinus*, in actis *MS. S. Meinulphi*, autumat impetratam *Aquisgranensi* anno 816 in concilio provinciali, anno imperij *Ludovici Pij* tertio: quo statum seu ordinem *Canonicarum*, quæ seculares appellantur, tunc noviter statuerat. Quæ etiam habet in *Cosmodrom. xt. 6 cap. 41 lin. 50.* Quamvis cap. 40 scripsisset, *Meinulphum* de bonis paternis monasterium *Monialium* seu *Canonicarum Regularium* in villa *Söbtecken* Paderbornensis diocesis fundasse & dotasse, ut legitur in editione *Morbomij*. Nimirum Patres Concilij *Aquisgranensis*, monente *Ludovico Pio Imp.* anno imperij ejus tertio, ob animarum sanctimonialium canonicè degentium salutem, divinâ inspirante gratiâ, ex *SS. Patrum* auctoritatibus, constitutiones quasdam in unum congestas, communi voto & consensu, sanctimonialibus tenendas observandasq; percensuerant. Inter alia, Cap. 8. præcipitur ijs, quæ se castimonialia nominis professione Domino de-

vinxerunt, ut in monasterijs jugiter resideant; omnes in dormitorio dormiant; ijsq; in refectorio comedentibus, & religiose silentium tenentibus, continuatim legatur lectio. Et cap. XI. præcipitur Abbatissis, ut monasteria puellarum undiq; firmissimis circumdente munitionibus, ut nulli nisi per portam pateat aditus. Cap. 18. modus statuitur coercendi intra septa monasterij sanctimonialem incorrigibilem, qui nullatenus huic tali seculum repetere fas est. Qualia utiq; non conveniunt ijs, quæ seculares Canonice dicuntur: ut merito hic dicat Brovverus, sed ἐπέχω. Si igitur omnibus sanctimonialibus canonicè degentibus, hanc regulam indubitanter observandam proposuit Ludovicus Pius Imp. in Capitulari anni 816. cap. 3; Capitularium lib. 1. cap. 79, & Additione 3, cap. 3. in edit. Steph. Baluzij. Vide Tom. VII. Conciliorum Ph. Labbei & Gabr. Cossartij. col. 1406 & seqq. Pro hujusmodi etiam virginibus Canonicis regularibus S. Meinulphus anno 816 licentiam accepit adificandi monasterium in Aquilgranensi concilio, velut notat Severinus Binius ad hoc concilium: ut proinde votum condendi monasterij anno demum 836 Cenomanis nuncupasse temerè dicatur S. Meinulphus.

Cap. X. Inter cornua. ] In Bodecensis templi medio psallentium choro visitur monumentum lapideum quadratum, duorum altitudine, trium fere pedum latitudine; huic imposita lamina ærea exhibet effigiem S. Meinulphi cum hac perigraphæ: Anno Domini MCCCCLXXXII translatus est summum altare



## 420 OBSERVAT. IN VITAM

*altare de loco isto : & fertur , quod S. Maynulfus vidit  
cervum cum cruce hic cubantem. Gloria tibi Trinitas.*

Cap. XI. 4. Idus Novembris. ] Legi alicubi, S. Meinolphum operâ & subsidio Corbejenſium Monachorum Bodecenſe collegium ſtruxiſſe. Templum porro Bodecenſe, quod Canonici Regulares Ord. S. Auguſtini ſeculo XV conſtructo novo pſallentium choro reſtauraverunt, conſecratum eſt cum arâ majori Nonis Junij, die S. Bonifacio Archiep. Martyri ſacrâ, à Iohanne Theſelicensi Epifcopo, Simonis Epifcopi Paderbornenſis Suffraganeo, anno MCCCCLXXXV, dedicatumq; ſanctiſſimæ Dei genitrici Maria, Cœnobium moderante Bernardo de Monasterio Priore.

Cap. XII. Conſumpti velaminis. ] Pannum hunc integrum aſſervari in Reliquijs S. Meinulfi cum ignis veſtigia, ex Suriana editione notat Brovverus.

Cap. XIII. 3 Nonas Novembris. ] In codice Hardehuſano aliâ manu additum eſt, menſem Novembrem hic pro Octobri poſitum : quod equidem non capio. Gobelini apographa, Suriana editio & epitome Brovveriana habent S. Meinolphum obiſſe III Non. Octobris : velut etiam Martyrologium Buſtorffienſe, & Martyrologium aliud à Brovvero hoc modo citatum : V Octobris Budica, Monasterio diaceſis Paderbornenſis, S. Meinulphi Diaconi & Confefſoris. Item Albertus Krantzius Metrop. lib. 1. cap. 16.

Lib. II. cap. III. Temporibus Arnulfi Regis, Biſonifq; Ep. ] Arnulfus Carolomanni Regis filius notus, Triburienſibus Principum comitijs anno 887 circa Idus Novembris, vivente Carolo Cratſo, Rex, &  
anno

anno 896 creatur Imperator, moriturque 3. Kal. Decemb. anno 899, ut tradit *Regino. Bisio Ep. Paderbornensi* Ecclesie præfuit ab an. 877, usque ad an. 900, vel 908. *Gobelinus* lapidem sepulchri ruptum tradit annis 50 post obitum S. *Meinulphi* 15. Kal. Februarij.

Cap. V. *Mainardum* Presbyterum. ] Hunc *Gobelinus* parochialis ecclesie *Attelensis*, intra primum lapidem Bodicâ dissiat, Rectorem facit.

Cap. VII. Miraculo curatæ à morbo cancri mulieris, subdit *Gobelinus* repertum inter ossa S. *Meinulphi*, cum ea transferrentur, tintinabulum æneum, solitum suopre tinnitu indicium facere, quoties *Bodecensium Vestalium* aliqua brevi esset abitura è vita. Scribit quoque *Gobelinus* tum in Actis S. *Meinulphi*, tum alibi, *Walburgem de Volde* postremam Collegij *Bodecensis* Antistitam ejusdem Campaniæris ultro neo crebroque sonitu, aded vebementi imminentis mortis metu percussam, uti autore *Wilhelmo de Monte electo* Præsule Paderbornensi, anno 1408 *Kalendis Septembris*, *Bodecensis* Collegij præfecturâ, privatam vitam deinceps actura, sponte se abdicaret, ac *Joanni Bael Priori* Canoniorum Regularium coloniam è *Suvollensi Bethlema* deducenti, locum illum cederet, maximo religionis incremento: nam è *Bodecensi* cœnobio egregiè instaurato deducta fuerunt deinceps colonie Canoniorum in isthac cœnobia: *Molenbeke* diocesis *Mindensis*, *Hirshenhagen* *Mogunt.* diocesis. *Hirshengarten* & *Hegenen* *Wormat.* diocesis. In *Insulâ Treviren.* diocesis. *Swich* *Colon.* diocesis. *Dalem* *Paderb.* diocesis. *Trutenhausen* *Argent.* diocesis.



Everfelaufen Trevir. diœc. S. *Leonardi* Basilea  
 Marsbach Basil. diœc. S. *Arbogasti* Argent. d. *Neptu-*  
*totff* Eysted. diœc. *Birlinghe* Wirtzb. diœc. *Frant-*  
*endale* Womat. diœc. *Heidenselt* Wirtzb. diœc.  
*Zwalenheim & Revenberg* Mogunt. d. *Blomenberg*  
*Paderb.* diœcesis, *Weyen* Trevir. diœcesis. De Cœ-  
 nobio Bodecensi vid. *Notit. Episcopatus Davenir.* *Jor-*  
*annis Lindebornij* p. 930. *Abbatissa Bodecenses* olim  
 habuere tuos *Marscalcos* è familia *Stoterei Dapifer-*  
*rum, Camerarium & Pincernam.* Anno 1221 *Bodice-*  
*præfuit* *Jutta* *Abbatissa.* Anno 1313. *ser. 3 post Domi-*  
*nicam Iudica,* hæ Vestales Bodecenses simul vixisse  
 leguntur: *Alheidis de Everstein* *Abbatissa,* *Alheidis*  
*de Emmere* *Preposita,* *Elisabetha de Jttere* *Decana,*  
*Ermgardis* *Thesauraria,* *Sophia de Assborg* *ex Hin-*  
*deneborg* *Celleraria,* *Beatrix de Enehusi* *Mechtridis*  
*de Develde* *Margareta de Lippiâ,* *Hedevigis* *Mars-*  
*scalci,* *Gertrudis de Elsepe* *Cunigundis de Dribberch*  
*Cunigundis de Norhusen* *Gertrudis de Rodenberg*  
*Jutta de Lippiâ,* *Beatrix de Ermwordessen* *Hedevigis*  
*de Eten.* *Hedevigis* *Abbatissa* legitur quoq; in  
 tabulis *Bodecensibus* anno & die carentibus. Anno  
 1342 vixit *Bertoldus de Bodiken* *Miles.* *Egregium* *tes-*  
*timonium sanctitatis S. Meinulsi* extat heic in *Actis*  
*S. Heimeradi* pag. 251 in fine. *Reliquiæ S. Meinulsi*  
 plurimâ cum religione adservantur in Cœnobio *Bode-*  
*deconsi,* in quo præter primarium tutelaris Sancti fer-  
 stum V Octobris, celebratur etiam festum *Transla-*  
*tionis, & Commemorationis.* *Templum* quoq; *pa-*  
*rochiale* in *Dornhagen* quod est in diœcesi *Pader-*  
*bornensi*

B. MEINULPHI.

425

bornensis, S. Meinulpho est Sacrum. R. P. Christophorus Broverus hæc duo testimonia præmisit Vita S. Meinulphi à se editæ: primum est ex Martyrologio, nescio quo, ad diem V Octobris: Budice, Monasterio diœcesis Paderbornensis, S. Meinulphi Diaconi & Confess. Alterum ex Metropoli Alberti Krantz. lib. 1. c. 16: Meinulphus enim in Ecclesia Paderburnensi Archidiaconi fungitur officio, & locuples patrimonium exstructo in villa Bodekem Virginum Monasterio convertit in usum religionis, eâ fuit sanctimonia, ut & in vita & in morte multis clareret miraculis; & in catalogum SS. sit adscriptus. Festum ejus V Octobris peragitur Ab eodem C. Broverus subjungitur in fine hæc

Admonitio de S. Meinulphi Vita.

Hanc ad V. Octobris dedit Laurentius Surius, sed alio vultu. Gobelinum profitetur auctorem, eundemq. agnoscit Molanus. Sed non stylotenus à Surio tantum mutata, sed interpolata quoque, seu ab alio Scriptore, seu interpretandi licentia. Ego, quod hujus vitæ specimen antiquum sese obtulit, Meinverco volui jungere, amputatis tamen, quas stellis notavi alienis ab historia digressionibus. Character sermonis tritum illud cacoëthes rhythmicæ locutionis habet, quod ingeniosè, ut putabant, isocolis & antistœchis efficiebant. Miracula studio prætermisimus; tum, quia apud Surium extant; tum quia brevitati hic consulendum putavimus. Scribit Krantzius l. 1. Metrop. c. 16, Budice Monasterium, collapsa Virginum disciplinâ, avorum suorum memoria Pontificis Max. autoritate traditum Canonicis Regularibus, qui hodieque locum incolunt.

EE 4

Obscr.



## Observationes

## In Vitam S. Heimeradi.

*Hartvigo*, cui *Acta B. Heimeradi* nuncupat *Egbertus*, vigesimus secundus à *S. Lullo Abbas Herveldensi* præfuit Archisterio, *Ruothardo Abbati XXI. anno MCLXXII 3 Idus Decembris* ultrò abdicanti proximus successor datus, ceu tradit *Lambertus Monachus Herveldensis*, vulgò *Schafnaburgensis* dictus, qui annales suos à *7. Lipsio* laudatos ad annum usq; 1077 electionemq; *Rudolfi Regis* produxit, atque cum hoc *Egberto* sub communi Abbate *Hartvigo Herveldia* vixit. Post *Egbertum*, primum Vitæ *B. Heimeradi* scriptorem, nunc primū è MS. codice *Bodocensi* erutum, ejusdem Sancti *Acta* versibus etiam descripsit *Erinherus*, laudatus ab *Horrione* in *Panegyrico Paderbornensi*. *Brovverus Scholij*s in *Meinwercum num. 70 pag. 218* testatur Vitam *B. Heimeradi* extare *Mstam* in Collegio *Soc. Jesu Paderbornensi*. *Daniel Papbrochius S. 7. in comment. ad vitam S. Hildegundis virginis Cisterien. a. d. XX Aprilis n. 3.* laudat illustrem codicem MS. qui Collegij *Paderbornensis* quondam fuerit, contineatq; , præter alia Sanctorum *Acta, Vitam devoti presbyteri Heimeradi in Hasingun*. Num verò idem is sit MS. codex, quo *Horrion* est usus, quemq; vidit *Brovverus*, id equidem ignoro.

Num. VII. *Herveldensis Abbas Arnoldus*. ] Is anno 1012 successit *S. Godehardo*, qui senio & labore  
jam

iam fessus, Herveldense regimen praclaro viro Arnol-  
do, suo prius eo loci Praeposito, commendavit. Lamb.  
Schafn. & S. Godehardi Acta cap. 2. num. 15.

Ibid. Mimilebo] *Mimelicha* Lamberto ad an. 973.  
Ursbergensi *Hiemelevva* in *Henrico Aucupe*, & in  
Ottone M. *Numilevva*, utrobique mendosè; & in  
Actis S. *Mathildis* c. 2 n. 9. *Memleben*. At *Ditmarus*  
*Mersburg*, lib. 1. pag. 10. edit. Mader. scribit *Henri-*  
*cum Aucupem* anno aetatis suae 60, regni 16, 6 Non.  
Julij anno 936 in *Mimileve* defunctum. Idem  
*Ditmarus* tradit sub finem libri secundi ad annum  
973, *Ottone* M. feria tertia ante Pentecosten ad  
*Mimelieben* venisse, ibidemque postridie, feria  
quarta, *Nonis Maji* diem extremum clausisse. Se-  
quenti vero nocte viscera ejus soluta in Ecclesia S. *Ma-*  
*rie* fuisse tumultata; corpus autem aromatibus condi-  
tum *Parthenopolim* translatum. Non igitur obiit *Otto*  
I, Imp. *Magdeburgi*, ceu *G. Henschenius* annotat lit. c.  
ad secundam vitam S. *Adelberti* Ep. num. 4, die 23 A-  
prilis. Post hæc *Otto* II Imp. pia genitricis suae *Adel-*  
*heidis* instinctu cujus gubernaculo vivebat, *Mimile-*  
*ve*, ubi pater suus obiit, justo acquisivit concambio; de-  
cimasque qua ad *Heresfeld* pertinebant. Et congrega-  
tis ibi *Monachis*, liberam fecit *Abbatiam*: datisque  
sibi rebus necessarijs, Apostolico confirmavit privilegio,  
*Ditmarus* principio libri III. Quæ hic de justo con-  
cambio scripsit *Ditmarus*, illustrari possunt ex diplo-  
mate *Otonis* I I Imper. dato *Walahuse* ad *Helman-*  
*annem*, anno 980 Indict. 3, 17 Kal. Octobr. quo *Liu-*



dolfus Abbas Corbeienfis per manum Advocati ſui  
*Lindolfi*, duas marcas *Meginrichsdorf*, & *Mimileve*  
 dictas, in pago *Hassegowve*, & in comitatu *Sig-  
 fridi* Comitis ſitas, cum omnibus rebus illuc rite per-  
 tinentibus in mancipijs utriusque ſexus, adificijs, arvis,  
 agris, pratis, ſilvis &c. *Ottoni* Imperatori in prop-  
 rium concedit; ac viciffim à *Cæfare* accipit in jus Ec-  
 cleſiæ *Corbeienfis*, quicquid Imperator habuit in  
 villis *Budineveldun*, *Brungeringhuſon*, *Lellibechi*, *Re-  
 hon*, *Corbechi*, & in *Haleghuſon* dictis, in pago *Niht-  
 herſe*, & in Comitatu *Aſichonis* Comitis ſitis; per ma-  
 num *Liutgeri* Advocati *Ottonis* Imp. *Ditmar*, lib. 7.  
 iterum de hoc loco: Notandum quoque, & non  
 abſque ſingultu proferendum, quòd *Monasterium* in  
*Mimmileve* conſtitutum à libertate diu corroboratū  
 in ſervitutem redactum eſt. Depoſito namque ejusdem  
 Cœnobij Abbate *Reinoldo*, diſperſis que late confratri-  
 bus his, *Heresfeldenſi* Eccleſiæ, ejusque tunc *Proviſori*  
*Arnoldo* illud ſubditum eſt, anno *MXVI*, ad quem  
 hæc etiam refert *Chron. MS. Saxonia*. Eâ igitur oc-  
 caſione *Arnoldus* Abbas *B. Heimeradum* inventum  
 in *Mimilebo* tranſmiſit *Heresfeldiam*, unde tamen  
 poſt brevem moram malè multatus diſceſſit. Situm  
 fuit *Mimileba* Cœnobiū in *Thuringia* ad *Unſtru-  
 tum* fluvium, *Ursbergenſi* Inſtruot; *Gobelino* et. 5. c. 11.  
 & et. 6. c. 55, *Unſtroth* dictum. Agit de Cœnobio  
*Memmileben* *Bucelinus* noſter *Germ. ſacra* parte  
 2. pag. 60. Verùm per incogitantiam iſtic tribuit *Ot-  
 toni II* Imp. quæ *Ditmarus* ſcripſit de *Ottone I*. Et in  
 parte altera *Monasteriologia* pag. 235 *Mimile-  
 benſem*

*hensem* Abbatiam appellat, quæ eadem est cum hac nostra *Mimileba*, cujus Abbatem *Reinholdum* quaeritur *Ditmarus* ad eam Cœnobio libertate depositum.

Cap. X. Episcopus *Meginwerc*. ] Quo modo *Meinwercus Heimeradum*, quod veste parum laetitâ amictus esset, contumeliosis primò compellationibus castigatum verberibus etiam cædi iusserit, habes in Actis *B. Meinwerci Num. XVIII. pag. 22.* Quando verò *Henricus Imp.* cum *Cunigonda* Augustâ *Paderbornæ* fuerit, docebunt te *Monumenta Paderbornensia pag. 180.*

Num. XI. Abbas *Hersfeld. Arnoldus*. ] Chronologus *Hildesheimensis* rem sic narrat ad annum 1031: *Arnolfus Pater Monasterij Herveldensis* precipuus in divinis & humanis rebus, quorundam fratrum eo loci cujusdam criminis objectione accusatus, miserabiliter proprio est honore privatus. Et ad annum 1032: *Arnolfus Abbas Herocampia V Kalendas Januarij* obiit, & ad *Gellinga* sepultus, ubi tunc gratia manendi habitavit. Sed inde post tres dies eandemque noctes deductus, & de terra effossus, ex præcepto *Rudolfi* sui successoris, *Herveldia* in Ecclesiâ *S. Michaelis* est translatus. Porro monasteriolum *Gellingen* situm fuit in *Thuringia*, ut *Lamb. Schafnab. ad an. 1032*: qui etiam *Monasterium Herveldense* anno 1037 incensum scribit; in quo tamen anno sequenti sepultus memoratur *Hagano Diaconus Regis Capellanus, XX Kal. Martii mortuus*, teste *chron. Hildesheim. De Abbatia Herveldensi legendus Buclinus. & Lambert. Schafn.*

Num.



## 428 OBSERVAT. IN VITAM

Num. XII. Hafungen, ] Mons Hassiæ vastè projectus in altum, in quo à morte *S. Heimeradi* templum molitus est *Aribo Archiep. Mogunt.* colophonem addidit *Sigefridus*, è Fuldenfi Abbate Archiepiscopus itidem Moguntinus, & cœtum Monachorum ibidem aggregavit; qui deinde, quòd *S. Gregorij VII Pont. Max.* partes contra Henricum IV Imp. schismaticum defenderent, exilio multati LXX numero, & à *S. Wilhelmo Hirsaugiensi Abbate* (qui è suis primam Monachorum coloniam in Hafungen deduxerat) benignè omnes excepti habitiq; sunt, donec tempestas illa desævissset. Anno 1071 *Otto Saxonici sanguinis princeps Baviariæ ducatu per calumniam exutus*, bello civili montem *Hafungen occupavit*, eumq; natura suâq; satis munitum, munitiorem tamen manu & opere fecit, Lamb. Schafn. *Sigefridus Archiep. Moguntinus obiit in Thuringia, & apud Hafungen sepelitur*, Chron. Hildesh. Wirzburgense Baluzij, & MS. Saxon. ad an. 1084; quo & Nicol. Serarius ex MS. codice tradit *Sigefridum Archiep. in cœnobio Hafungen mortuum sepultumque.*

Num. XIV. Comes Dudecho ] Rem hanc habes etiam in Actis *B. Meinverci* pag. 22, & de Comite *Dodicone* vide *ibid.* pag. 47. In castro *Vwartbergensi* fuit templum parochiale *S. Andreae Apostoli* sacrum, in quo anno 1351, in crastino *beati Dionysij & Sociorum ejus, Ioannes dictus Drenkere Presbyter fundavit altare in honorem Dei & S. Pauli Apostoli*, dotans illud cum octava parte decimarum in *Weiungen*, quas emerat ab illis de *Wellede*, pro centum & decem marcis, domum

num etiam ab iisdem comparat in castro *Wartberge* cum consensu *Baldevini* Episcopi Paderbornensis, (cui jus patronatûs successoribusq; ejus obtulit,) nec non Decani & Capituli Eccl. Paderbornensis & *Joannis* Rectoris ecclesiæ *S. Andrea*, qui mediam oblationum partem percipiet, ceu habent tabulæ.

Num. XVI. Abbatem Corbejensem ] *Drutmarum*. Vide quæ dixi pag. 366. Obijt an. 1046, ut *Lamb. Schafnab.*

Num. XVII. Visuri estis homines. ] *Clara & celebris valde his temporibus per Gallias erat memoria sancti Seboldi in Nurnberg, & sancti Hemeradi in Hafsungen, & magno populorum concursu cotidie frequentabantur propter opitulationes, quæ divinitus illic languentibus sæpenumero conferebantur, Lamb. Schafnab. ad annum 1072.*

Num. XX. Villa Elheno. ] Videtur esse *Elenen*, locus memoratus à *Lamb. Schafnab. ad an. 1075.*

Num. XXII. Quarto Kal. Julij. ] *Hemerad Monachus in vigilia S. Petri obiit, & statim multas virtutes Dominus per eum operatus est, ut habent vetusti Corbejensiû Annal. ad an. MXXIX; Trithem. quoq; Chro. Hirsaug. in S. VVilhelmo Abbate XII, S. Heimeradi obitum refert ad an. 1019. & 4 Kal. Julij. Adde Chron. Stederburgense, & W. Dilich. in Chron. Hassiæ ad an. 1019, Acta B. Meinverci num. LXI. pag. 105. Agunt etiam de S. Heimerado ad 28. diem Junij, Canisius, Molanus &c.*

Num. XXVIII. Meginfridum. ] Is *Meginfridus Præfectus Magedaburgensis pro libertate patriæ strenuè*

nuè



## 430 OBSERVAT. IN VITAM

nuè occubuit in prælio *Henricianos* inter & *Saxones* in loco *Fladeheim* decertato, an. ut Chron. MS. *Saxon.* 1080; ut *Hildesheimense*, 1079. Cœnobium *Hafungense* *Moguntinæ* diœcesis, exuvijis S. *Heimeradi* prodigijsq; olim percelebre, situm fuit in irriguo ac spatioso monte in confinio oppidi *Wolfshagen* in ditione *Hasso-Cassellanâ*. Primum huc *Abbatem Giselbertum*, primosq; *Ascetas*, teste *Trithemio*, ex archisterio suo *Hirsaugiensi* S. *Wilhelmus* *Abbas* transduxit, ut à me jam memoratum est; tametsi *Nicolaus de Sigen* cœnobij *Petrini Erfordiæ* olim Prior in excerptis suis chronicis ad annum *MLXXI* & alibi ex *Hafungensibus* monumentis annotatum reliquerit. *Cluniacenses* principiò *Monachos à Sigefrido* *Archipræsule Hafungam* adductos. Anno deinde decimiseptimi seculi quinto, (non, ut *Bucelinus* noster, decimo) in anniversario *Abbatum* conventu *Bursfeldiæ* a. d. *VIII* Kalend. *Septembris* indicto, *Joannes Abbas*, *Wilhelmo Hassiæ* Principe adsistente, se ac cœnobium *Hafungense* ad congregationem *Bursfeldensium* adjunxit, & ad priscam *Benedictinam Regulam* observantiam revocavit. Quod insigniter exinde floruit, donec *Hassiæ* *Principes Romana Sacra* eorumq; cultores ditione sua proscriberent: tunc enim pulsus *Monachis cœnobij Hafungensis*, uti & ceterorum ferè collegiorum, vectigalia proventusq; profanis usibus & arario Principis cefferunt. Hodie appellatur *Advocaria Hafungensis*, vulgò die *Bogtey Hafungen*.

FINIS.

Index

## Index.

Abdinghoffenses Monachi evocantur Cluniaco	35, 349.	
Abdinghoffensium religio	96. Dedicatio templi	124.
S. Adelbertus Ep. & M.	2.	203, 299.
Advocatus Ecclesie Paderbornensis Amelungus.		38.
S. Alexius conf.	34, 97, 346 & seq.	369, 214.
Alferus Abbas Poledensis,		205, 313.
Ambulator, seu solutarius equus,		31, 346.
S. Anno Archiep.		101, 377.
Aribo Arch. Mogunt.		141.
Arnoldus Ep. Halberstad.		116, 218, 386.
Aihela mater B. Meinwerci		6, 78, 353.
Atholfus miles Coloniensis Eccles.		74.
Aufridus vel Ansfridus Ep. Traject.		14, 206, 332.
Azela soror B. Meinwerci		6, 227.
Baldricus Comes Vitricus B. Meinwerci	78, 81, 209.	
352 & seqq. fundator Zephlicensis collegij		352.
Bambergensis Ecclesie dedicatio:		104, 384.
S. Bardo ex Abbate VVarchinensi Archiepisc. Mo-		
gunt.		147, 406.
Bernardus Aldenburghensis Episc.		116, 386.
Bernardus Marchio		66.
Bökenvorda. 17. 326, S. Bonifacius		191, 377.
Bramoch Ep. Halberstadensis		116.
Bruno Comes 14 316, 317. Brunonis fil. Ludolfus, 317.		
ejus filij, ibid.		
Bruno Ep. Augustanus, frat. S. Heinrichi.		16, 326.
Bruno, alias Gregorius V. PP. 12, 13, ejus Stemma		304,
& seqq.		
Carolus M. 268, 270. Confunga		132, 217, 391.
Cluniacum, 35, 208, 348. Cono fil. duci Ottonis,		115.
Comi-		



Comites: Amulungus 40. 44. 50. Ekkihardus 39.  
 Lindulfus 39. 41. 66. Udo 40. 50. 55. 69. Heri-  
 mannus 40. 50. 60. Benno 40. 50. 53. 56. 69. Erpo  
 41. 52. 72. Ekkiha 41. 52. 59. 62. Conradus 42. 50.  
 52. 55. Thiedericus 42. 51. 55. Doudica 47. 53. Si-  
 gebodo 47. 49. 385. Esic 50. 66. Thiatmarus 51. 64.  
 Tammo 52. 66. 69. Lintgerus 52. 65. 66. Sifridus  
 52. 55. Immidus 53. 72. Volchardus 53. Gerbertus  
 58. 63. 67. 69. Fruhericus 63. 66. Heinrichus 66.  
 Hamuko 69. Tanemarus 69. VViza 69. Bernar-  
 dus 72. Brun. 72. 142. Godiz 112. Beccelinus 113.  
 Theodoricus Comes Fresonia 142. Haoldus Comes  
 144. &c.

Conradus II Rex, 14. 314. & seq. 223. 137. 397.  
 Conradus Dux, 305  
 Corbeja Nova, 12. 17. 90. 211. 363 & seq.  
 Corbeiensis Abbates: Druhtmarus 91. 213. 364. Ludol-  
 fus 213. 365. 367. Marcwardus 367. vval. lib.  
 S. Cunegundis Regina coronatur Paderborne. 14. 205.  
 318. nullos è S. Henrico liberos reliquit. 396.  
 S. Cünera 210.  
 Diploma Benedicti P. M. 32. S. Henrici 360. 379.  
 Henrici VI. Imp. 350. Bernardi Ep. Paderb. 380.  
 Donationes plurime factæ eccles. Paderbor. 38 &  
 seqq. Vide Prædia Eccl. Pad. donata.  
 Dux Bernardus 25. fundat Luniburgi cœnobium, 333.  
 ejus frater Luitderus vel Ludigerus, 25. 334.  
 Dux Bernardus 52. 55. 72. 103. 217. 378.  
 Ekkihardus Comes, 89  
 Ekkihardus Marchio. 14. 205. 311. ejus filij. 205. 312.  
 Emma. 25. 334. & seq.  
 Eps.

Index.

<i>Episcopi Paderbornenses: I Hathumarus,</i>	3. 276.	<i>II Bar-</i>	
<i>duradus nobilis Saxo, pag. 4. obiit,</i>	277. 280.	<i>III.</i>	
<i>Luithardus, 3. 281. 282. IV, Biso, 5. 8. 282. 298. V.</i>		<i>Thiedericus,</i>	283.
<i>VI. Unovanus, 5. 283. male ap-</i>		<i>pellatus Hunwardus, 4. 13. VII. Dudo, 5. 284. &amp; seq.</i>	
<i>VIII. Volcmarus, 10. 285. IX. Retharius, 11. 286.</i>			
<i>300. X. Meinwercus, 5. ejus parentes 287. frater</i>			
<i>6. 288. 354. soror 6. Meinwercus operam dat lite-</i>			
<i>ris, 199. ejus patria &amp; educatio 196. genus regium,</i>			
<i>8. 295. Regius Capellan. 8. 201. 296. impetrat pradia</i>			
<i>à S. Henrico 16. sit Ep. Paderb. 18. 329. construit Ec-</i>			
<i>clesiam Paderbornensem, 20. moenia 99. obiit. 412.</i>			
<i>XI Rotho. 78. 371. &amp; seq. XII Immadus, 100. 376.</i>			
<i>Episcopi Slesvicenss,</i>			358.
<i>Erchanbaldus Archiep. Mogunt.</i>			112. 381.
<i>Ervete pradium obtinet Meinwercus à S. Henri-</i>			
<i>co.</i>			127. 388.
<i>Everhardus Episcopus Bambergensis 26. 342. idem</i>			
<i>aliter dictus Eppo.</i>			110.
<i>Fontes Paderæ, 192. Fons tumultuarius,</i>			193
<i>Fundatio cœnobii Abdinghoffensis,</i>			147. 403.
<i>Fundatio Bustorffensis collegij.</i>			156
<i>Gaudentius è Monacho Archiep. Gnesnensis,</i>			11. 300.
<i>Gebehardus frater Imperat.</i>			141. 400.
<i>Geroldus Comes. 97. 394. Levita Corbeia se-</i>			
<i>pultus.</i>			212. 363.
<i>Gisla mater S. Henrici. 17. Gisla Imperatrix,</i>			399.
<i>Glismod soror B. Meinwerci.</i>			6. 288.
<i>Godeßi Abbatissa Hervordiens.</i>			64.
			Gosla-



## Index.

Goslarieſis Synodus.	103. 377.
Gruona Caſtellum.	28. 345.
Hamonſtede.	112. 384.
Halberſtadenſis Eccleſia origo, 199. in ea educati	
Meinvercus, ibid. Hamerſtein.	105. 383.
Haſungen Cœnobium.	105. 218.
S. Heimeradus, 22. 105. 382. vita ejusdem.	231. 424.
Helmvvardeshuſen,	25. 90. 207. 336. 366.
Henricus Dux Bavaria, 200. 289. tres ejusdem ge-	
neris Duces.	294.
Henricus Dux Bavaria, S. Cunigunda frater.	146.
Henricus Minor Bertoldi fil.	201. 291. 324. 325.
Henricus S. Cunigunda frater, Dux Bavar. 6.	325.
S. Heribertus Arch. Colon.	13. 105. 386.
Heriſenſes Sanctimoniales.	218.
Hermannus Dux Suevia.	14. 16. 315. 322.
Hermannus de Weſtſalen, Comes.	136.
Herfeldia prædium Werthiniſe.	396.
Hervordia.	98. 215. 373. 374.
Hiltivvardeshuſon cœnob. monial.	225. 408.
S. Ida ſepulta Herfeldia.	137. 397.
Immed, vel Imadus pater B. Meinverci.	198. 287.
Imperatores: S. Henricus, 7. 14. 349. 395. Ludovicus	
Pius, 280. 279. Otto I. 285. Otto III. 204. 293. 311.	
Inveſtitura, abrogata.	329. & ſeqq.
Kauſſungen, Cœnobium monialium Ord. S. Benedicti,	
132. 217. 391. Abbaſſa ibid. Oda, 393; Beatrix,	393.
394. Opes ejus loci,	393.
	Lacnè

## Index.

Lacni pagus.	143.401.
S. Laborius Ep. Cenomanensis.	338. & seqq.
Lisbornensis Abbatia.	103.378.
Litones.	92.367.
S. Longinus Martyr.	101.216.
Lubemius Ep. Bremensis.	25.207.337.
Ludovicus Pius. 282. dividit inter filios Imperium.	279.
Ludovicus Rex Germ.	279.
Ludolfus Dux Sueviae Ottonis I. fil.	289.290.
S. Mainulfi vita. 162. Observationes in eadem.	414. & seqq.
Monasterienses Episcopi: Suitgerus 343. Thiedericus. 208.344. Sigifridus.	116.386.
Otto Comes de Hamerstein. 105. Uxor ejus.	382.
Otto Dux Bavariae.	7.288.289.
Otto Dux, Ludolfi filius.	289.290.
Paderborna committitur Episcopo Wirzburgensi. 2. Fontes. 192. Exurit. 11. 202. 101. Ibidem florent studia.	100.216.
Palisbi,	14.205.313.413.
Papia.	84.
Paterni obiit Otto III. Imp.	211.
Plessensis ditio donatur Ecclesiae Paderbornensi, cum 1100. mensis 37. asseritur eidem Ecclesiae. 350. Dynasta Plessenses obnoxij Ecclesiae Paderbornensi. 351.	
Pontifices Maximi: Leo III. 3. 127. 272. Joannes XVIII. 9. 297. Silvester. 13. 310. Gregorius V. 12. 302. 303.	275.
Pontifices sunt Vicarij Christi.	275.
Prædia Ecclesiae Paderbornensi donata: Burgnon, Balhorn,	FF 2.



Index.

born, Scharheim, 38, Høngeler, 39. in Osdaghhusen,	
39. in Raßherpe. 39. Sneun, 40. Sturmede, 40. Ge-	
seke, 40. Stoeheim, 40. Holtheim, 41. Aslan, 41.	
Winithi, 42. in Holtbusen 43. Bridi 42. Spürca,	
43. Adana, 43. &c. Colstide, Astenholt, Lanchel,	
44. Steini, 132. Thietmeressen, Gerden, Sideffen 44.	
Wesiga, 45. Astheim, 46. Carlsdorp, 46. Wart-	62.
berg &c. 47. Hemmichbusen,	
Regensburg, olim dicta Imbripolis.	399.
Regij Capellani ex illustribus familijs.	202.
Reliquias SS. Meinvercus impetrat à Benedi-	
cto PP.	31.
Retharius Episcopus Paderborn obit.	17.327.329.
Sagiminis usus Monachis certis diebus permis-	
sus.	95.213.369.
Saxones sacerdotibus tributarij.	1.195.269.
Sceldice, vel Scildse olim Abbatia.	104.217.379.380.
Sigehardus I Abbas Abdinghoffens.	76.352.
S. Simeon Treviris.	88.356.
Stemma S. Henrici.	200.295.
B. Suederus vel Suitgerus Ep. Monast.	27.343.
Synodus in Trotmunni, Dorimunde. 517. ejus de-	
creta ibid.	
Synodus Seligenstadiensis	117.219.387. & 398.
Testebant.	94.367. & seq.
Thetmarus Episc. Osnabrug.	15.321.386.
Theodericus Ep. Mindensis.	116.386.
Thiedericus Episcopus Monasteriensis Suitgeri suc-	
cessor.	28.208.344.
Thietmelle Dechmold.	128.388.
Trevir-	

## Index.

<i>Trevirenses Archiepiscopi: Adalbero invasor.</i>	86.355.
<i>Meingandus.</i>	86.355. Poppo.
<i>Velve.</i>	94.
<i>Ungari Saxoniam irrumpunt.</i>	98.215.374.
<i>Wal Abbas Corbeiensis.</i>	91.213.364.
<i>Walahufon.</i>	141.401.
<i>Werla castellum diocesis Hildesheimensis.</i>	135.396.
<i>Werthinesis Abbas Heitharicus.</i>	397.
<i>Wilhelmus Episcopus Strasburgensis.</i>	307.
<i>Wilhelmus Marchio.</i>	317.
<i>Wino Abbas Helmwardensis.</i>	53.155.410.
<i>Wolfgangus Abbas Abdinghoffensis.</i>	98.370.
<i>Wolfgangus Patriarcha Aquileiensis.</i>	139.
<i>corpus S. Felicis donat B. Meinverco.</i>	146.
<i>Wotolofus Episcopus Osnabrugensis.</i>	15.320.

Errores, qui irrepsere, benevolus Lector  
hoc modo corrigat.

Pag. 5. lin. 9 & 10, sic interpunge viginti quinque. Virtutes &c.  
 pag. 7. l. 23. lege, incarnationis. p. 13. l. 27. lege petijt. p. 14. l. 7.  
 exulavit p. 32. l. 25. indemnitas profigetur. p. 42. l. 3. infringe-  
 rentur. p. 45. l. 16. Venerabilis. p. 49. l. 3. usufructu. p. 56. l. 28.  
 Christianæ. p. 70. l. 24. Ecclesiæ. p. 94. l. 22. Velve & in p. 100. l.  
 15. claruerunt. p. 116. & 147. Parthenopolit. p. 120. l. 24. accusati.  
 p. 159. l. 18. CXXIII. pag. 160. l. 1. CXXIV. p. 181. l. ult. Arnulfi. p.  
 210. l. 11. est S. Cuneia ex XI millium. p. 229. l. 20. MXXXVI. p.  
 251. l. 28. intrassem. pag. 268. l. 12. relinquam. p. 272. l. 6. loci  
 perfidiam. p. 275. l. 26. DCCCIV. p. 283. l. 25. lib. 1. p. 307. l. 23.  
 Henricus. & lin. 27. an 1028. vel 1029. p. 353. l. 2. Comite. p. 357.  
 l. 11. nihilominus. p. 364. l. 13. voluit. & l. 25. solemnitatem. p.  
 377. l. 27. LVI. p. 401. p. 18. Thuringiæ ad Helmam. p. 423. l. 1.  
 aliud item in Bellersem. p. 74. l. 16. pro dedit, lege, accepit.